

STAPLETON, Thomas

Authoritatis ecclesiasticae circa S.  
Scripturarum approbationem... :  
luculenta & accurata defensio libris III  
digesta, contra disputationem de  
Scriptura Sacra Guilielmi Whitakeri... /  
authore D. Thoma Stapletono... --  
Antuerpiae : Apud Ioannem Keerbergium,  
1592

812 [i.e. 810], [21] p., A-Z8,  
2A-2Z8, 3A-3F8 ; 8°

Apostillas marginales. -- Error de  
pág., de p. 768 pasa a 771

1. Withaker, William-Crítica e  
interpretación 2. Withaker, William  
-Kritika eta interpretazioa 3. Biblia  
-Crítica textual 4. Biblia-Kritika  
textuala I. Título

R-6195 Enc. perg.

AUTHORITATIS ECCLESIASTICÆ CIRCA S. SCRIPTURARVM APPROBATIONEM,


ADEOQVE IN VNIVERSVM, LV-  
culenta & accurata Defensio Li-  
bris III. digesta.

CONTRA DISPUTATIONEM DE  
*Scriptura Sacra Guilielmi VWhitakeri Anglocaluinista  
in Academia Cantabrig. Professoris Regij.*

Authore D. THOMA STAPLETONO Anglo S.  
Theologiæ Doctore & in Academia Louaniensi  
S. Script. Professore Regio.

I. TIMOTH. I.

FINIS PRÆCEPTI EST CHARITAS DE  
*corde puro, & conscientia bona & fide non ficta: à quibus quidam aber-  
rantes conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse Legis Doctores; non  
intelligentes, neque qua loquuntur, neque de quibus affirmant.*




ANTVERPIÆ

Apud Ioannem Keerbergium.

ANNO CL. CL. XCII.

Cum Priuilegio Senatus Brabantie ad sexennium.






ILLVS<sup>mo</sup> ET RE-

VEREND<sup>mo</sup> DOM.

D. GVILIELMO ALANO

S. R. E. Cardinali Angliæ: tit. S. Martini in  
montibus; Archiepiscopo Mechliniensi de-  
signato, &c. Thomas Stapletonus perpe-  
tuam felicitatem precatur.



*VO ferè sunt, Cardinalis am-  
plissime, quæ viros literatos in eo  
deligendo cui labores suos dicare  
volunt, mouere solent: eius quem  
deligunt præstantia, dignitas, am-  
plitudo, & eius qui delectum facit; affectus, desi-  
derium, voluptas. Quorum illud ad Operis com-  
mendationem plurimum facit, istud Authoris  
ipsius consolationi subseruit. Nam & quæ in lu-  
cem prodeunt doctorum virorum monimenta;  
magna alicuius & præstantiss. viri vel titulo sæpè  
ornantur, vel patrocinio interdum egent; & pio-  
rum laborum Authores post deuorata scribendi  
tædia, ut in hoc amoris sui testimonio honestam  
oblectationem capiant, æquum est. Quare per hu-  
iusmodi officium scripta sane ipsa maiorem apud  
lectores auctoritatem accipiunt, Scriptores verò  
quod votis suis satisfactum vident, in eo se recreant*


ac reficiunt, quasque post fatigationem in umbra  
 conquiescunt. Nec enim mediocre peracti laboris  
 solatium est, illustri alicui & percharo capiti ex eo  
 gratificari, animiq; beneuoli testimonium publi-  
 cum dare posse. Tametsi enim pij omnes Scripto-  
 res, maximè qui de rebus sacris tractant, scriptio-  
 nem suam omnem & laborem ad Dei gloriam &  
 proximorum salutem potissimum destinant, hunc-  
 que sibi scopum unice præfigunt, & à solo Deo mer-  
 cedem expectantes, in spe gloria filiorum Dei ma-  
 ximè gloriantur; tamen sicuti quærentibus pri-  
 mum regnum Dei cætera multa adiiciuntur, &  
 præter gaudia beatorum in patria, quedam sunt  
 solatia miserorum in via; sic præter illum solem  
 iustitiæ, qui tandem nobis illucescet, spes nostra,  
 ut cum apparuerit satiemur in gloria, mutuis  
 intereucharitatis officijs nos inuicem oblectamus;  
 & hanc quasi in diuersorio & umbra refectione  
 capimus; manuumque nostrarum labores etiam  
 amicis & sodalibus in via offerimus; ut & quan-  
 tum à nobis diliguntur ipsi intelligant, & quã ab  
 ipsis diligi velimus cupiamusq; , hoc nostro quali-  
 cunq; officio significemus.

Vtrumq; verò istud quo communiter moueri  
 Scriptores dixi, me sanè ut hoc opusculum nostrum  
 amplitudini tue consecrarè, etiam permouit. Nam  
 & tu illa persona es, cuius maximè seu titulo or-  
 nari, seu patrociniò defendi hoc Opus possit; & ego  
 ergate talis sum, ut nulli libentius aut maiori cù  
 animi

animi mei voluptate illud cōsecrari velim. Quum enim gentis nostræ Cardinalis à suprema in terris potestate renunciatus iam dudum fueris, nostrorum sanè hominum nullus est ( de ijs qui foris sunt non loquor, quorum ego iudicium aut censuram contemnere debeo, quos in hac causa certos & iuratos hostes habeo ) qui hanc hominis Angli refutationem ab authore Anglo conscriptam, vel hoc inprimis nomine statim non exosculetur, quod sub tui amplissimi & gratissimi nominis patrocinio prodeat. Aliarum quoque gentium Catholici quibus tui nominis amplitudo ignota non est, quibus tua olim in hoc ipso quod tractamus scribendi genere fama & eruditio percelebris est, virtus quoque & prudentia innotuit, opus ipsum tanto gratius complectentur, spemque de eo maiorem concipient, quum amplissimo nomini tuo dicatum legent. Sperabunt enim aliquid esse tanta amplitudine, prudentia & eruditione dignum, neque tam ineptum me negotiatorem existimabunt, ut viles aut vulgares merces sagacissimo ac nobilissimo ingenio spectandas, & ab eminentissima navis viro approbandas, obtrudere velim. Ego verò cui demum libentius aut maiori cum animi mei voluptate, hanc præsertim pro fidei nostræ Catholicæ defensione concertationem dicare & offerre potui, quàm in huius generis studio veteri collegæ & confratri meo, nunc etiam amico perbeneuolo? Quod enim me olim in

*professione & promotione Theologica collegam habuisti, fuit id tunc communis fortune nostræ. Quod autem etiam nunc in hoc dignitatis tuæ splendore amicum habere dignaris, & fraterna quadam beneuolentia complecti non cessas singularis id est humanitatis, atque ad eò humilitatis tuæ. Accipe igitur Cardinalis amplissime hilari & amico vultu defensionem hanc nostram tuo celeberrimo nomini à me per libenter dicatam, ut veteris quidem amicitia, sed præsentis obseruantia, luculentum testimonium.*

Illustris. & Reuerendis. Dom. tuam Ecclesiæ suæ ac patriæ nostræ quàm diutissimè incolumem atque florentem Dei clementia conseruet. Louanij 22. Ianuarij. Anno 1592.



PRÆFATIO AD LECTOREM: IN QVA OPERIS  
HUIUS NECESSITAS ATQVE UTILITAS  
EXPLICANTUR.



ALVTIS humanæ aduersarius vt ab ipso creati hominis exordio, hominũ saluti insidiatus est, imbecillioris sexus opera vsusvt fortiorẽ subuerteret. (*Adam enim non est seductus, immediatè scilicet ab ipso serpente tentatus, sed mulier seducta in prauaricatione fuit,*) ita semper insidiari non desinit, eorum opera & ministerio vtens, quos infirmos ac instabiles in fide esse animaduertit, vt fortes ac firmos, si potest, subuertat, sin minus fatiget atque exerceat. Hanc ob causam homines hæreticos & seductores *Satanae ministros* vocat, *hominesque corruptos mente & reprobos circa fidem* esse docet Paulus, quos etiam *indoctos & instabiles* nuncupat Petrus. Quorum enim varijs iam & improbis cupiditibus animus corruptus est, qui fidei & religionis quam profitentur fundamenta ignorant, aut ea semel tenentes non satis firmiter illis adhærent, tum à Satana facile in errorem abducuntur, *qui operatur in filijs dissidentia*, tum idonea instrumenta fiunt per quos alios in errorem mittat. Horum igitur opera ac ministerio vtitur, vt corrupti mente alios corrumpant, *errantes & in errorem mittentes*. Sic enim proficiunt in peius vt corrupti & seducti, alios seducant, & discipulos post se abducant, aliorum sensus corrumpant vt excidant a simplicitate qua est in Christo, ac denique in nequitia & astutia (quarum hanc à se habent, alterum à magistro Satana edocti sunt) cir-

1. Tim. 2.

2. Cor. 11.

2. Tim. 2.

2. Pet. 3.

Ephes. 2.

2. Tim. 3.

Act. 20.

2. Cor. 11.

Ephes. 4. *cumueniant in errorem.* Cæterum quia contra omnem hanc operationem Satanæ in asseclis & ministris suis, in omnium ætatum hæreticis, erexit & instituit Christus redemptor noster, idoneos Noui Testamenti ministros, qui pro illis legatione fungerentur, qui

2. Cor. 3. *mysteria fidei dispensarent,* in quibus poneret verbum re-

2. Cor. 5. *conciliationis,* qui docerent omnes gentes seruare omnia

1. Cor. 3. *quæcunque ille præcepit,* quos demique dedit pastores &

2. Cor. 5. *doctores ad consummationem sanctorum* (*εις τελειωσιν των*)

Matt. 28. *ad corroborationem & confirmationem fidelium,*

Ephes. 4. *ne circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris, id est, ne per fraudem & impietatem seductorum in errore circumueniamur, quia inquam hos suos ministros, qui Satanæ ministris perpetuo se opponerent, Christus redemptor instituit, ordinauit, dedit; propterea hæc prima Satanæ cura est, & ad hoc primum atq; ante omnia suos ministros instigat, informat, erudit, vt Christi ministris Ecclesiæ Catholicæ pastoribus atque doctoribus fortiter sese opponant, eorum imprimis authoritatem conuellant, personas traducant. Ordinem vniuersum in odium atque inuidiam pertrahant, & quidem si fieri potest, omnes in vniuersum tales e medio tollant. Hæreticorum magistros describens Paulus dicit, *Quemadmodum Ioannes & Mambres resistenterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati.* Eisdem describens Petrus, ait: *Fuerunt Pseudoprophetae in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis.* Vterque Apostolus docet, quod sicut in veteri populo excitauit Satan magos & maleficos, qui signis suis mendacibus verum Dei prophetam Moysen apud Regem Pharaonem omni fide & authoritate spoliarent, varijs quoque postea temporibus pseudoprophetas innumeros erexit, qui se veris Dei prophetis, Eliæ, Elisæo, Michæ,*

Hæretici  
Satanæ o-  
pera exci-  
tati.

2. Tim. 3.

2. Pet. 2.

chæ,

chez, Esaiæ, Jeremiæ, apud reges Israel & Iuda, Achab, Ioram, Manasse, Sedechiam & alios manifestè opponerent, sibi que verbum Domini vendita-  
rent, clamantes & crepantes, *verbum Domini, verbum* Ier. 14. & 27.

*Domini, & Dominus non est locutus eis*; sic in Christi Ecclesia futurum, vt noui & mendaces magistri, quos *lupis rapacibus sub vestimentis ouium, furibus & latronibus* Matth. 7. Ioan. 10. Philipp 3. accomparat Christus, *malos & subdolos operarios, canes latrantes* vocat Paulus, contra Christi ministros in surgant, & in eo potissimum curam atque operam ponant, vt Dei vicarios, Christi legatos, præpositos & pastores populi fidelis, omni fide, gratia & authoritate spolient. Compertum quippe & exploratum habet versutus hostis, nullum esse ad totius orthodoxæ fidei subuersionem compendiū expeditius, quam vt pastorum atque doctorum in Ecclesia authoritatem, quam Christus voluit esse maximam, vel nullam esse persuadeat, vel certè nõ nisi exiguam atque vulgarem esse conuincat. Notum est illud Alexandri Regis postulatum, quum Athenas sibi subiugare vellet, vt decem Oratores Athenienses illi in manu traderent, à quibus ille eorum Rempub. perturbari aiebat, sed qui reuera pro salute Græciæ & patriæ libertate contra tyranni ambitionem fortiter dimicabant. Notum quoq; Plutar. in Demosth. Demosthenis super eo postulato responsum, lupos ouibus pacem & amicitiam sempiternam stipulatos fuisse, si canes à caulis longissimè remouerent, quorum se latratibus offendi dicerent; ouibusque persuasis atque abactis canibus, impunè & licenter in ouile grassatos lupos, maximam ouicularum laniationem exercuisse. Celebre quoque est illud L. Tarquinij commentum, quo Sexto filio apud Gabios omnem iam fidem & authoritatem nacto, de-  
cussis baculo papauerum capitibus, filium hac am- Tit. Liu. Dec. 1. lib. 1.

Ecclesia-  
sticæ au-  
thoritatis  
defensio  
quam ne-  
cessaria.

bage docuit, vt primores ciuitatis aliqua ratione è medio tolleret: sic enim demum fore (quod & paulò post accidit) vt illis sublatis Gabina res in Romani Regis imperium sine dimicatione veniret. Intellexit videlicet vterq; tyrannus ad Rempub. perdendam, populumque suo imperio subiugandum, nullum aut certius aut facilius compendium esse, quam vt primarij viri quorum consilio stare Resp. solet, imprimis, & ante omnia è medio tollantur: Hunc in modum & rebelles ipsi qui contra principem legitimum rebellionem moliantur, nulla id arte facilius consequuntur, quam vt principis vicarios & pto eo gubernacula tenentes apud populum modis omnibus traducant, eorum authoritatem imminuant, obedientiam tollant. Nec vllũ in Repub perniciosius malum est, quam quum contra ipsos magistratus insurgitur, & eorum potestas violatur. Quarum arborum & plantarum radices corrumpuntur, ab illis nullus fructus sperari potest. Cuius tecti aut ædificij fundamentum ipsum concutitur, eius ruina in proximo est, fonte corrupto & dissipato, nullus expectari potest aquarũ decursus. Quũ in prælio ducibus obièperatur, tota acies necessario turbatur, & ab hoste nullo negotio funditur ac fugatur. Vbi Nauclero gubernaculũ tenere nõ permittitur, in scopulos naus celeriter impiger. Nulla tã parua familia est, quæ diu subsistere queat, vbi patrisfamilias nulla authoritas est. Qui in tenebris via ignota ambulanti lucernam eripit aut lumen extinguit, vt in varia pericula eum conijciat, necesse est. Quod tot exemplis ars & natura docent, hoc ad Christi ecclesiam ac religionẽ subuertendã, viam ac compendiũ esse paratissimũ Satanas vidit.

Eo autem magis & acutius hoc vidit, eo sollicitius & accuratius hoc procurauit, quo ad Religio-  
nis

nis Christianæ conseruationem vnum authoritatis robur maximè esse necessarium intellexit. Quum enim *quod aliquid credimus Authoritati, quod autem intelligimus rationi debentur* (vt sapièter scripsit S. Augustinus) ideoque fides Christiana non arguit entis euidentibus, sed autoritate infallibili atque diuina nitatur, Christusque Imperator noster (vt ibidem loquitur Augustinus) vt fide homines duceret, cum argumentis conuinceret, autoritate in docendo vitur, sibi vt à Deo patre in mundum misso autoritatem venditat, miraculis frequentibus autoritatem cõciliat, alios deinceps cum eadem docendi ac prædicandi autoritate mittit, dicens: *Sicut Pater me misit in mundum, sic & ego misi vos.* Et iterum: *Qui vos audit me audit: qui vos spernit, me spernit.* Et rursum: *Qui non receperit vos, excutite puluerem de pedibus vestris;* ac denique: *Qui non crediderit* (vobis prædicantibus) *condemnabitur;* his de causis autoritatẽ à Christo in terris relictã, tanquã fidei Christianæ vnicũ robur, fundamentũ, radicẽ, fontẽ, ac deniq; lucem mundi omnibus modis, labefactare atque conuellere, extinguere & extirpare molitur Satan. Et quemadmodum Iudæos ne Christi doctrinam amplecterentur, id vnum attentissimè docuit Satan, vt Christi personam & autoritatem vilipenderent, dicerentque, *fabri filius est, homo vorax, potator vini. Samaritanus, Sabbatum non custodit, demonium habet, insaniuit, in Belzebub principe demoniorum eijcit demonia,* sic hæreticos ne Ecclesiæ pastores & doctores audiantur, accuratè Satan instruxit, vt Ecclesiæ personam & autoritatem contemptui ac despectui habeant, dicantque & dicere suos doceant: *Homines sunt, errare possunt, mali homines sunt, ignari, supersticiosi, fidei nostræ dominari volunt.* Denique vt aliorum hodie hæreticorum varias contra Ecclesiæ autoritatem blasphemias

De vtilit.  
cre. d. cap.  
11.

Ioan. 17.  
Luc. 10.  
Matth. 10.  
Mar. 16.

Matt. 13.  
Matt. 11.  
Ioan. 8.  
Ioan. 9.  
Ioan. 10.

hoc

hoc loco taceamus, Aduersarium hæreticum quem in hoc opere confutamus, vnde Christiane Lector, quam egregiè Satan instruxit, suas vt hac in re partes egregiè præstaret. Sic enim loqui Satan docuit. *Praxis Ecclesiæ est consuetudo hominum, patrum sententia est opinio hominum; Concilij definitio est iudicium hominum. Pape decretum est voluntas hominis idque vnus. Quid nobis cum Ecclesijs aut Concilijs, aut Papis, nisi quæ definiunt Scripturis consentanea esse doceant? Nos Ecclesiam errare vnde accepimus? & quam hanc tandem esse dicemus Ecclesiam? Hic certè nihil inuenies nisi humanum, ac proinde incertum, minimeq; tutum.* Bonus me hercle Satanæ discipulus est, qui tam rotundè & apertè vniuersam Ecclesiæ Christianæ authoritatem, quam fidei no-

<sup>a</sup> Ephes. 2.

<sup>b</sup> 1. Tim. 3

<sup>c</sup> Matth. 6.

<sup>d</sup> Rom. 10

& Eph. 4.

stræ<sup>a</sup> fundamētū,<sup>b</sup> columnam,<sup>c</sup> firmamentū,<sup>d</sup> lucem & radicem Christus esse voluit, vt merè humanam, vt incertam, minimeque tutam, penitus contemnit, despicit, conculcat. Illam enim quam adiungit conditionem, *nisi quæ definiunt Scripturis esse consentanea doceant*, nihil esse aliud quam ad populum phaleras (vt dici solet) in hoc opere ostēdimus.

Sed vt illo Reipub. hoste nihil perniciosius ac pestilentius est, qui vniuersam Magistratus totius authoritatem nihili habendam populo persuadet; nec in regem aut Principem grauius peccare quis potest, quam is qui gubernatores, prætores ac duces ab eo constitutos debita authoritate spoliatur; deniq; sicut ad cuiusvis regni, Reip. ciuitatis, pacē, cōcordiam, tranquillitatem conseruandam, (ex qua vna cætera dependent omnia) nihil magis necessarium est, quam vt totius Magistratus authoritas facta tecta conseruetur, quasi que sacrosancta habeatur (vt veteres Romani Consularem ac Tribunitiam suam potestatem sanxerunt) sic omnino religioni Christianæ nullus infensior hostis est, quam ille hæreti-

Lib. 1. ca.

7. sect. 9.

lib. 3. cap.

12. sect. 14

& cap. 14.

sect. 11.

cus, qui vniuersam Ecclesiæ authoritatem labefactat; nec in Deum ac Christum eius enormius peccare quis potest, quam is qui pastores, doctores, prepositos gregis Dominici debita authoritate spoliare contendit: denique ad totius fidei ac religionis orthodoxæ integritatem ac puritatem conseruandam nihil propius pertinet, aut magis necessarium est, quam vt pastorum ac doctorum quos Christus Ecclesiæ suæ dedit authoritas, sacrosancta vt est, ita ab omnibus sacrosancta habeatur, suoque in robore ac vigore integra & inuiolata persistat.

Quum igitur ante annos iam duodecim & amplius, de ipsa vera Ecclesia, eiusque varia & amplissima authoritate demonstrationem quandam methodicam libris duodecim comprehensam in lucem dedissem, illudque argumentum meo sane iudicio his temporibus imprimis necessarium atq; saluberrimum ea qua tunc potui diligentia tractassem; huius autem operis nostri librum nouum, qui est de Ecclesiæ authoritate circa S. Scripturarum Canonem consignandum, hæreticus quidam Anglocaluinista, sibi impugnandum delegisset, & in disputatione sua de S. Scriptura sex quæstionibus comprehensa, tertiam totam quæstionem contra me nominatim, & contra operis nostri antedicti librum nouum scripsisset, eius libri argumenta & capita omnia refutare conatus, hanc eius refutationem, tametsi multis nominibus omnirefensione indignam (vt ex hac defensione nostra quilibet Lector facile iudicabit) silentio tamē præterire aut dissimulare certas ob causas nolui. Primum & maximè propter ipsius argumenti summam utilitatem & dignitatem. Ecclesiæ enim Christi au-  
i. Argumenti utilitas & dignitas.

thoritatem, qua fides nostra nititur ac roboratur, hæc aduersarij disputatio non solum quoad Scri-  
 pturas

pturas consignandas, sed & in vniuersum labefactare atque conuellerè modis omnibus contendit. Quemadmodum autem ad omnia fidei dogmata tenenda, Ecclesiæ authoritas necessaria imprimis est, sic ad sacrarum Scripturarum certam notitiam & fidem hominum animis ingenerandam, eadem hic necessaria esse docetur. Porro vt S. Scripturæ certa & indubitata notitia, præ cæteris fidei dogmatibus eo magis necessaria videtur, quoad cætera fidei dogmata explicanda firmiterq; credenda fundamenti cuiusdam & ipsa instar est, principiumq; ac medium totius orthodoxæ doctrinæ nobilissimum; eo certè magis nostra omnium interest, illud medium, eam viam, illam authoritatem certam & exploratam habere, quæ ad S. Scripturarum certam & indubitatam notitiam nos perducit: ne videlicet pro Sacris prophana, pro Canonicis apocrypha, pro veris & genuinis notha atque adulterina, pro Dei verbo, humanæ fabulæ admittantur, ne deniq; quæ verè sacra, Canonica & diuina sunt, priuata cuiusquam temeritate, aut qualibet humana audacia reijciantur. Quum enim vt in cæteris fidei dogmatibus, sic & in ipso Scripturarum Canone negotium facefferet hæreticus, & non secus aliquos Sacrarum Scripturarum libros vel in vniuersum tollat, vel mutilet, deprauet, corrumpat, quam religionis nostræ Sacramenta, iustificationis ac salutis nostræ modum & media, cultû denique diuini nuministam internum quam externum vel sustulit in vniuersum, vel foedè & vanè contaminauit; est hæc nefaria hæreticorum hodie impietas, quæ nec ab ipsis sacratissimis scripturis vel negandis vel deprauandis abstinuit, omni quoque diligentia ac studio refutanda.

2. Authoritatis Ecclesiasticæ

Porro quum Ecclesiæ Catholicæ authoritas sit  
tanta

tanta esse manifestè ostenditur , vt ipsas diuinas Scripturas nobis illa consignet, vt de Sacrarũ Scripturarum libris illa iudicium ferat, vt quid pro Dei verbo scripto habendum sit , quid non, illa nos infallibiliter doceat; quin cætera quæuis fidei dogmata sua nobis autoritate commendare valeat, quin in alijs omnibus dogmatibus controuersis quid credendum sit illa iudicare debeat, quin alias omnes de religione quæstiones illa terminare possit nullus ambigendi locus relinquitur. Quid enim vel tam arduum & sublime ad inuestigandum, vel tam nobile & excellens ad prædicandum, vel tam necessarium ad certò ac infallibiliter cognoscendum est, quam ipsi Scripturarum libri, eaque quæ in illis continentur? Et quemadmodum propterea hanc Ecclesiæ autoritatem in ipsis Scripturis approbandis omni studio refutare & conuellere moluntur hæretici, ne in alijs de fide dubijs definiendis eandem potestatem exercere permittatur; ne certius aliquod in Ecclesiæ voce ac determinatione, quam in ipsa scripturarum lectione, de ijs quæ credenda sunt, iudicium esse existimetur; ne denique ad omnia credenda alia regula quærat<sup>ur</sup> quam ipsa Scriptura Sacra, Ecclesiæ autem vox atque iudicium pro certa aliqua fidei regula non habeatur, sic è diuerso hanc Ecclesiæ autoritatem in ipsis Scripturis approbandis & consignandis omnibus modis tueri ac propugnare nos Catholicos oportet, vt in alijs quibuscunque fidei dogmatibus indubitatè definiendis, quam sit certa & irrefragabilis eius autoritas, pijs omnibus compertum fiat; & de ijs quæ credenda sunt, certius nos & infallibilius informari ab Ecclesiæ voce, prædicatione, testimonio, iudicio, quam ex priuata aliqua Sacrarũ Scripturarum lectione pij omnes certò intelligant, & deniq;

circa alia  
obiecta  
confirmatio.

1.

2.

3.

4.

1. Tim. 3.

& denique ad omnia credenda regulam à Christo institutam nobisq; relictam, Ecclesiæ docentis vocem esse, eamque vt totius *veritatis columnam & firmamentum*, longe firmissimam, nemo dubitet. Ad hæc igitur duo religionis nostræ capita plenius adhuc demonstranda, atque aduersus noui aduersarij (qui ex sodalium suorum scriptis quæcunque potuit corrasit) nouas cauillationes fortius corroboranda, auctoritatem dico iudicij & testimonij Ecclesiastici tam in causa fidei quacunque, quam in ipsis Scripturarum libris approbandis & consignandis; operæ precium putavi hanc defensionem nostram scribere, scriptamque in lucem dare.

3. Auctoris defensio pene necessaria.

His accessit, quod quum opus illud nostrum an-  
 redictum compluribus (vt audio) Catholicis, maxime in Gallia & Germania non mediocriter placuit (cuius rei si opus esset publica testimonia, libris æditis inserta proferre possem) ideoque Catholici in Germania nonnulli (vt mihi relatum est) huius nouelli Anglocaluinistæ cauillationes refutari optabant; non putavi vel laborum nostrorū quos pro fidei Catholicæ defensione olim susceperam existimationem contemnere, vel Catholicorum pia desideria repellere aut negligere me debere. Porro disputationis quoq; aduersariæ, quæ ita suorum palatis placuit, vt non in Cantabrigia tantum magno cum Anglocaluinistarum applausu, sed & Herbornæ in Germania typis Christophori Coruini excusa prodierit, vanitas vix credibilis, absurditas, ineptia, impietas, plena ac iusta refutatione demonstrari debuit. Heretici sane tum in Anglia tū in Germania, hac disputatione processoris Anglocaluinistæ impense delectati sunt: & de suo Whitkero, quemadmodum audio, mirificè triumphant. Sane vt similes haberent labra lactucas, & cæcus cæcos

cæcos quã duceret, ambo in foueam caderent. Qui si nostram hanc defensionem communi tantũ sensu ac iudicio præditi legerint, pudebit aut certe pigebit vtrosque; illos, qui professorem Regium tam ineptum, ignarum, absurdum, mēdacem alant; hos qui disputationem tam insulsam & stupidam, tantis tamen laudibus efferunt.

Author ipse disputationis huius, Guilielmus Whitakerus, neutrquam etiam à nobis negligendus aut despectui habendus fuit. Non sane quia se & Doctorem Theologiæ & in Academia Cantabrigiensi professorem Regium scribit: quẽ vtrumque titulum non illi honori sed oneri, nec ornamento sed dedecori esse, nõ celebritatem sed ignominiam adferre hæc nostra defensio docebit. In ea enim quocunque se vertat Lector, statim sub pelle leonina non auriculæ tantum asininæ prominebunt; sed totus asinus conspicietur; & Doctor larvatus ac personatus professor detracta larua & exuta persona, vel disputator absurdus vel magister mendax primo statim aspectu apparebit. Non igitur vt ei responderem hi tituli me mouerunt, quem vbi primum legere cæpi, vidi vas signatum sed vacuum, & vanam sine viribus iram. Hominis mihi superbia & arrogantia retundenda fuit. Quales etiam doctores & professores Regios heretica nunc (proh dolor) Anglia, patria mea dulcissima, alat, audiat, admiretur, huius hominis exemplo, demonstrare debui. Superbia eius & arrogantia eum quiescere non sinit, qui omnibus se parem confisus, & à nullo sibi aduersario metuens, in doctissimum fere quemque audacter incurrit contra Nicolaum Sanderum virum omnium doctorum iudicio doctissimum, & contra opus eius celeberrimum de visibili Ecclesiæ Monarchia, eiusque operis librum octauum, & de-

4. Aduersarij ingēs  
superbia  
& pudēda  
infantia.

monstrationes 40. quibus Romanum Pontificem non esse Antichristum, nec esse posse, inuicte demonstrat, bonus iste Whitakerus ante annos aliquot scripsit, & argumentum infame (quod nec ipsi protestantes constanter affirmare longo tempore ausi fuerunt, donec proficientes in peius ad omne mendacium frontem perfricauerunt) tanta impudentia sustinet quanta vix dici potest: tanta sane ut in Scripturarum sensu explicando, omnium patrum consentientem sententiam perfricta fronte vel potius sine fronte reijciat. Sic enim in sua responsione contra Sanderum scribit. *Nec te aliquid demonstrasse existimabimus, si vel patrum integrum Senatum in nos commoueris, nisi quod dicitur, id Dei ipsius, non hominum voce comprobetur.* Ita huic effroni haeretico integer patrum Senatus, humanum iudicium est, Dei Spiritu destitutū, & à quolibet male sano cerebro examinandum, an Dei voce comprobetur. Sed hac Whitakeri dementia vsi sunt iniqui quoque Ariani in comitijs Petriconiae in regno Poloniae contra Catholicos an. 1566. & in Transsilvania in oppido Albæ Iuliae contra Lutheranos & Caluinistas ut Christi diuinitatem negarent anno 1567. Scripsit idem contra decem rationes Edmundi Campiani, martyris fortissimi, velut ex omnibus Academicis Anglocaluinistis vnus, qui in illud certamen descendere videretur, idoneus Sed eius responsionem plane vertiginosam eruditè & luculenter refutauit Ioannes Duræus. Deinde contra seminarij Rheimensis professores quaedam effutiuit, à quibus vicissim prout par erat, exceptus fuit. Nunc tandem maiora ausus, Roberti Bellarmini Controuersias, etiam antequam in lucem ederentur, & manuscriptas tantum, in quibus omnia hodie aut pene omnia de religione controuersa disputatione accurata tractantur,

Ad demonstrationem 7.

Vide Atheismos Possuini cap. 13. & 14.

tractantur, refutandas suscepit; & primam nunc quæ de Scriptura est, controuersiam in lucem dedit. In hac controuersia quum sex quæstiones tractet, in tertia quæ est de Scripturarum approbatione, omisso Bellarmino me vnum aggreditur: quod etiam ne quenquam fugeret, in ipsa fronte ac titulo libri lectorem monet. Disputare enim se proficitur *contra huius temporis Papiſtas, imprimis Robertum Bellarminum & Thomam Stapletonum.* Addit in præfatione ad Auditores totam instituti sui rationem. *Fecerunt, inquit, Papiſta, quod nos nunc primum facere incipimus: & quanquam in causa nunquam erunt superiores, at priores tamen extiterunt. Sunt in illorum Academijs professores, Duaci Stapletonus, Remis Alanus, ambo noſtrates, in alijs alij, qui controuersias multas explicarunt, & libros ediderunt: De Ecclesia & iustificatione Stapletonus, de Sacramentis Alanus. Sed omnium copiosissime has causas Romæ tractauit Robertus Bellarminus Iesuita, cuius dictata circumferuntur, & diligenter describuntur, & à valde multis leguntur. Et paulo post: Quidni idem nos facimus, vt corpus totum Controuersiarum in manibus sit, quæq; diffuse à noſtris & varijs scriptorum generibus disputantur, pro veritate contra Papiſmum ea colligamus, atque in vnum volumen compingamus: Postea facta omnium huius temporis controuersiarum partitione, hunc in modum concludit. Habetis viri grauiſſimi genera summa & capita harum Controuersiarum, quæ inter aduersarios noſtros & nos hodie maxima contentione agitantur, molem fere omnem massamq; Papiſticarum heresum videtis. His in rebus versandis, voluendis, explicandis, nos iam totos occupatos esse oportet. Aperuit nobis mysterium consilij sui, quasiq; alter Nabugodonosor in Regia sua cathedra pronunciat, cogitationem suam in eo esse, vt omnem Papiſtam scriptorem suo subijciat examini, omnemque (vt ait) molem ac*

*massam Papisticam* subuertat, aliosque Academicos professores omnes qui suæ sectæ Calvinicæ contradicant, suo subiugent imperio. Sed dum tantum fumum ac strepitum excitat, dum tam ingentem omnium expectationem mouet, vna parua Bethulia totum hominis fastum repressit; & in primo eius procinctu, in prima quam tractat Controuersia, vnica quæstio insignem hominis dementiã omnibus patefecit.

Disputa-  
tionis ad-  
uersariæ  
Emble-  
mata.

1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8. 9.

10.

11.

12.

13.

14.

In hac enim vna quæstione de S. Scripturarum Authoritate & approbatione, qua ad me, quasi de via, diuertere voluit, ita subtiliter & accuratè disputauit, vt vix vlla sectio sit, in qua vel 1. ignorantiam suam singularem Doctor indoctus non prodat, vel 2. ineptias planè ridiculas professor eximius non proferat, vel 3. absurdum aliquid temerè non asserat, adeoque sæpe 4. impudenter affirmet, 5. stupideque confirmet; vel argumenta planè straminea stolidosque 6. paralogismos non faciat, vel 7. seipsum peregregiè non refutet, vel sibi ipsi turpiter non 8. contradicat, vel 9. conclusiones confictas non inserat, vel denique ad rem ipsam 10. nihil respondeat, vel postremo apertè non 11. mentiatur: in quo vno ita se strenuum gessit, vt mendaciorum eius vnã pene Centuriã collegerimus. Istis adhuc addere licebit, frequentem eius 12. ignauiam qua imbellis aduersarius proponere non audet quæ sibi refutanda delegit, sed alte dissimulat ac prætermittit: 13. perfidiam quoque variã qua in Authoribus quos profert mutilandis vtitur. Nam de perpetuo quodam eius 14. effugio, totoque præsentis Controuersiæ statu immutato, quid hic attinet dicere? de quo suis in locis multa diximus.

Hæc sunt disputationis aduersariæ in vna modo  
aduersum

aduersum me quæstione, præclara Emblemata, præter alia adhuc facinora multa, quæ ad certas Emblematum species facile reduci non poterant. Hæc in Whitakero ingenij & eruditionis præsidia sunt; his ille artibus & viribus nititur, vt omnes huius temporis Papistas sua præclara disputatione conficiat. Quæ omnia & singula, ne quis me quicquam fingere aut amplificare suspicetur, huic nostræ præfationi eam statim subiecimus, notato libro, capite, & sectione, vbi singula statim nullo negotio reperiantur. Ex quibus sane omnibus tum causæ ipsius, quam defendit turpitudò manifeste se prodet, quæ eum videlicet ad tam turpia facinora compulit (quia mala causa non nisi pessime defendi poterat) tum vanissima hominis iactantia & disputatoris infantia parum magistralis ( qui tantum sibi tamen arrogauit ) luculenter conspicienda apparet. Ad quam vtramque cuiuslibet Lectoris oculis perspicua subiiciendam, disputationem eius vniuersam in hac quæstione contra me disputata ita complexus sum, vt nulla re prorsus prætermissa, non in libros tantum & capitula, sed etiam in minutissimas sectiones eam totam partitus sum: ne sane tanti disputatoris & pollicitatoris disputatio vlla ex parte Lectorem fugeret, sed singula rerum pondera ac momenta ante oculos librata Lector cerneret.

Quod si vero in vnica quæstione huius primæ suæ controuersie de ipsa Scriptura Sacra, (quum in primis disputationum lineis diligentissimos se præbere omnes scriptores soleant, & in S. Scripturæ Authoritate explicanda accuratissimè versari omnes hodie protestantes cupiât ) tot & tam multa peccauit disputator iste, tot & tam multa vanitatis suæ Emblemata spectanda proposuit, quid

In Epist.  
Dedicat.

in tam multis alijs huius vastæ disputationis sibi  
propositæ cōtrouersijs & quæstionibus fiet? Quan-  
tus in reliquis mendaciorum cumulus accrescet?  
Quas paralogismorum moles congeret? Quam  
infinite multa ab eo absurdè dicta, impudenter as-  
serta, inepte ac stupide prolata conspicientur?  
Quoties sibi contradicet, seque ipsum refutabit, in  
mendacijs suis nimis immemor? Quam innumera  
ignorantiæ, ignauiæ, perfidiæ argumenta dabit?  
Maxime quum iam non contra me sed cōtra Bel-  
larminum disputat? *cuius ingenium scilicet, iudicium  
subtile, lectionem multiplicem* ipse aduersarius merito  
confitetur, admiratur & laudat. Qui sane vir do-  
ctissimus si Whitakeri disputationem semel ag-  
grediatur, & in hoc sibi Angæo stabulo expurgan-  
do, vel ille, vel alij eius Societatis viri acutissimi  
bonas horas collocare velint, ut profectò Whita-  
kerus iste quouis atro carbone atrior, & quauis ra-  
na Seriphia venustior, cuiusuis aquæ aspersio-  
ne hæc vnguenta eluet.

Authoris  
defensio  
tur tam  
acris &  
accurata.

Ego interim aliqua, vt fateor, diligentia hanc  
eius disputationem, in qua me vnum sibi aduersa-  
rium esse voluit, expendi & examinaui, & quic-  
quid in ea vitiosum occurrebat, calamo altius im-  
presso, qua nota notari debuit, diligenter annota-  
ui. Nam quia causa grauissima tractatur, quasi que  
neruus religionis ac fidei nostræ principale quod-  
dam fundamentum in examen vocatur, ipseque  
aduersarius tantum sibi, vt iam dictum est, arroga-  
uit, suisque in Anglia & Germania tantopere pla-  
cet, malui in animaduertendo crudelis, quam in  
prætermittendo dissolutus videri, & malo nodo  
malus cuneus adhibendus fuit. Quæ res si illum  
offendat atq; perturbet, seipsum accuset, qui tam  
laxe, dissolute ac turpiter disputauit, meq; ad cer-  
tamen

tamē prouocauit. Volui enim sanè, vti dixi, hominis fastum ac superbiam, accurato hoc refutationis genere non nihil comprimere ac ~~stundere~~, vt qui tibi ita mire placuit, seipsum melius cognoscere incipiat: Vtque intelligat & videat omnis Lector orthodoxus, in quam multis peccant hæretici, quando accuratè & sigillatim à nobis refutantur. Miratur sane alicubi Plato qui fieri possit vt aliquis in his superbè sapiat & gloriatur, in quibus nondum quicquam sapit. Sed propriam superbix pœnam, qua perdit Deus sapientiam sapientium, & reprobat prudentiam prudentium, suæque religionis mysteria abscondit à sapientibus & reuelat paruulis, vir ille Dei Spiritu destitutus ignorauit. Nunc autem ex Scriptura diuinitus reuelata didicimus, Deum superbis resistere, & humilibus dare gratiam; cacorum oculos aperire, & oculos superborum humiliare; denique eos qui charitatem in corde puro & conscientia bona & fide non ficta abiecerunt (quod omnibus heresum magistris cõmune est) conuerti in vaniloquiũ, volentes esse legis Doctores, nõ intelligentes neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant. Sic sane Whitakerus noster, qui oēs de religione controuersias. i. omnes horũ temporũ hæreses, contra omnes hodie Cathol. Ecclesiæ scriptores sibi defendendas suscepit, nũc contra vnũ eumq; ceteris omnibus inferiorem, vnicam tantum quæstionem exagitans, ita turpiter se dedit, vt turpius se dare vix quisquam potuerit, nec alicuius nominis opinor hæreticus hodie se turpius dederit.

Anglocaluinistarũ maior hæctenus fuit superbia quã fortitudo. Anglicè multa & mēdacissimè iã ante aliquot annos scripserũt, & de multis mēdaciõrũ Centurijs, à Catholicis Louanij scriptoribus Anglis cõuicti sunt, tanta cũ eorum ignominia & infamia (Ioan. imprimis Inellus & Rober. Horne, ille Salis-

Anglo-caluinistar  
Scriptores  
infames.

buriensis hic Vintoniēsis Pseudoepiscopus) vt post  
 multā & variā scriptiōnē, non habentibus vltra im-  
 pudētissimis hominibus quod honestè replicarēt,  
 pro omni librorū nostrorū solutione, publico edi-  
 cto sub grauissimis pœnis interdictū fuerit, ne vlli  
 libri Anglici à Catholicis vltamarinis scripti in An-  
 gliā inueherētur, inuectiue distraherētur, aut distra-  
 cti apud quenquā seruarētur. Hæc fuit scriptorum  
 nostrorū ad quæ nos ipsi prouocauerāt, plena tū so-  
 lutio & vltima resolutio. Primus & vnicus qui ali-  
 quas de religione Controuersias via & ordine tra-  
 ctatas in lucē latinē dedit, Whitakerus iste est, doctor  
 (vt se scribit) Theologus, & in Academia Cantabri-  
 giensi professor Regius. Sed tales doctores & profes-  
 sores Regios habeant sanè Academiæ hæreticæ, vt  
 dignum sit patello operculū. Disputatorē profectò  
 tam absurdū, ineptū, ac stupidū, quā iste Whitake-  
 rus est, vix in infimo sacræ scientiæ gradu, Scholæ  
 & Academiæ Catholicæ æquanimiter ferent: quod  
 hæc nostra defensio perspicuè & abundè demōstra-  
 tum dabit. Ad quam te nūc, amice Lector, longius-  
 cula hac sed necessaria (vt defensionis nostræ tota  
 ratio tibi constaret) præfatione hætenus impeditū,  
 expendendam remitto. Authoritatis ecclesiasticæ  
 summam necessitatem, vimq; irrefragabilē, etiam  
 in ipsis S. Scripturarum libris ad nostram notitiam  
 deferendis, approbandis, & consignandis, adeoq; in  
 vniuersam contra varias hæreticorū cauillationes  
 accuratè defensam hæreticorum quoq; argumenta  
 in partē contrariā ab aduersario congesta, solidè re-  
 futata cōperies. Cuius laboris nostri ad sacræ verita-  
 tis studium vnicè suscepti, soli Deo omnis honor &  
 gloria; qui inter alias professionis quotidianæ curas  
 & alia scribēdi studia, etiā hoc mihi dedit velle, de-  
 ditq; perficere. Vale. Louanij 21. Decēb. An. 1591.

**G V I L I E L M I V V H I -**  
**T A K E R I E M B L E M A T A I N**  
**H A C V N A D I S P U T A T I O N I S S V Æ**  
 Quæstione tertia, contra Ecclesiæ Authoritatem  
 in S. Scripturis approbandis.

**I** G N O R A N T I A Doctoris indocti, libr. 1. cap. 1. sect. 2. 1.  
 cap. 2. sect. 4. cap. 4. ad sect. 2. cap. 8. ad sect. 1. cap. 9. sect. 13.  
 cap. 13. sect. 5. cap. 14. sect. 7. lib. 2. capit. 1. sect. 4. & 6. capit. 6.  
 sect. 2. cap. 10. sect. 2, & 9. lib. 3. cap. 4. sect. 1. & 2. cap. 5. sect. 1.  
 cap. 12. sect. 12. cap. 14. sect. 4. & 5. cap. 17. sect. 5.

Stupiditas varia, lib. 1. cap. 7. sect. 6. lib. 2. cap. 1. sect. 3. cap. 2.  
 7. sect. 8. c. 10. sect. 10. & 11. lib. 3. c. 1. sect. 7. c. 2. sect. 1. c. 3. c.  
 14. sect. 5. capit. 15. sect. 14. cap. 16. sect. 7. cap. 19. sect. 11.

Contradietiones manifestæ, lib. 1. cap. 1. sect. 3. & 9. cap. 9. 3.  
 sect. 8. lib. 2. cap. 4. sect. 4. & 9. cap. 5. ad sect. 5. capit. 8. sect. 13.  
 cap. 9. sect. 4. lib. 3. cap. 12. sect. 7. & ad sect. 8. cap. 14. sect. 3. &  
 4. cap. 16. sect. 13.

Ineptè & ridiculè falsa, lib. 2. cap. 1. sect. 10. & 11. c. 4. sect. 4.  
 5. & 7. & 10. c. 5. sect. 2. & 4. & 7. & 8. & 12. & 13. c. 6. sect. 3.  
 c. 7. sect. 8. cap. 9. sect. 3. ad sect. 4. & 15. capit. 10. sect. 13. lib. 3.  
 c. 1. sect. 6. cap. 8. cap. 10. sect. 1. c. 13. sect. 1. cap. 14. sect. 2. c. 15.  
 sect. 3. cap. 16. sect. 9.

Mendacia mera. lib. 1. c. 2. sect. 3. & 5. & 6. c. 6. sect. 3. cap. 7. 5.  
 sect. 1. c. 9. sect. 2. & 12. c. 12. sect. 1. & 3. c. 13. sect. 4. & 9. c. 14.  
 sect. 1. & 6. & 9. & 11. & 12. & 13. lib. 2. c. 1. sect. 9. c. 2. sect. 2.  
 c. 3. sect. 1. & 2. & 3. & 5. c. 4. sect. 1. & 3. Tria pariter, & sect. 6.  
 & 7. & 8. & 10. & 14. c. 5. sect. 1. & 8. & 10. cap. 6. sect. 2. cap. 7.  
 sect. 1. & 2. & 4. & 8. c. 8. sect. 1. & 4. & 9. c. 9. sect. 2. & 5. & 9.  
 & 12. & 13. & 14. & 15. bis. cap. 20. sect. 1. & 3. & 9. & 12. &  
 15. c. 11. sect. 4. ter. & sect. 5. & 7. lib. 3. c. 1. sect. 1. cap. 3. cap. 7.  
 sect. 2. & 5. cap. 12. sect. 2. & 3. & 6. & 8. & 13. cap. 13. sect. 1. &  
 4. c. 14. sect. 1. & 5. & 8. & 9. & 12. cap. 15. sect. 8. & 10. & 14.  
 & 15. cap. 16. sect. 7. & 8. c. 17. ad sect. 2. & 3. cap. 18. bis. c. 19.  
 sect. 1. & 12. & 13.

Absurdè dicta, lib. 1. c. 1. sect. 10. c. 2. sect. 4. & 5. cap. 5. cap. 6.  
 8. ad sect. 1. & sect. 2. cap. 9. sect. 9. cap. 10. sect. 8. cap. 11. sect. 4. 6.  
 & 5. cap. 12. sect. 2. sex simul. cap. 13. sect. 8. cap. 14. ad sect. 6. &  
 ad sect. 10. lib. 2. cap. 3. sect. 4. cap. 4. sect. 4. & 17. cap. 6. sect. 2.  
 & 3. quater. cap. 7. sect. 8. & 16. lib. 3. cap. 1. sect. 6. & 7. capit. 2.  
 sect. 1. cap. 4. sect. 6. cap. 5. sect. 1. cap. 8. cap. 15. sect. 5. & 18. c.  
 16. sect. 6. 12. & 13.

7. Impudenter dicta. lib. 1. c. 1. sect. 12. c. 2. sect. 5. c. 10. ad sect. 4. lib. 2. c. 15. sect. 6. c. 11. sect. 4. lib. 3. c. 7. sect. 3. c. 12. sect. 16. c. 14. sect. 3. c. 15. sect. 9. & 11. c. 17. sect. 9.
8. Paralogismi, seu argumeta putida, & collectiones vitiosæ. lib. 1. c. 1. sect. 11. c. 8. sect. 3. c. 9. sect. 7. cap. 10. sect. 6. & 7. cap. 13. sect. 6. & 8. & 10. c. 14. sect. 9. & 10. lib. 2. c. 1. sect. 6. & 9. c. 4. sect. 3. & 16. & 18. & 23. cap. 6. sect. 3. cap. 10. sect. 8. & 9. & 15. c. 11. sect. 8. lib. 3. c. 1. sect. 1. & 4. c. 5. sect. 1. & 2. c. 6. cap. 7. sect. 1. & 4. c. 8. c. 10. sect. 2. c. 12. sect. 11. cap. 15. sect. 6. & 7. & 12. c. 16. sect. 11.
9. Conclusiones confictæ vt refutandi materiam haberet. lib. 1. c. 8. sect. 6. & 7. c. 9. sect. 1. & 3. lib. 2. cap. 1. sect. 1. & 5. c. 10. sect. 1. & 7.
10. Sui ipsius refutatio frequens: vt qui nescit neque quæ loquitur, neque de quibus affirmat. lib. 1. c. 1. sect. 3. c. 7. ad sect. 3. & 8. & 9. c. 14. sect. 5. lib. 2. c. 1. sect. 2. & 3. c. 3. ad sect. 4. c. 4. sect. 9. & 14. c. 5. sect. 5. c. 6. sect. 3. bis. cap. 8. sect. 5. & 6. & 7. & 15. & 18. c. 9. sect. 3. & 4. & 7. & 10. cap. 10. sect. 2. & 5. & 14. cap. 11. sect. 8. lib. 3. cap. 8. cap. 12. sect. 4. & 6. & 18. c. 15. sect. 17. c. 16. sect. 3.
11. Effugium perpetuum vt argumentum quod soluere non potest, eludat. lib. 4. c. 4. sect. 2. c. 13. sect. 2. & 13. lib. 2. capit. 3. sect. 4. c. 4. sect. 4. & 13. c. 5. sect. 3. & 6. & ad 8. sect. & sect. 10. & 11. & 12. c. 8. sect. 10. & 18. cap. 9. sect. 1. & 4. & 7. & 11. & 14. & 15. lib. 3. c. 12. sect. 7. & 17.
12. Responsiones prorsus impertinentes, quia quod ad rem responderet, nihil habuit. lib. 1. cap. 7. sect. 3. & 4. c. 9. sect. 11. c. 10. sect. 2. & 5. c. 12. sect. 4. c. 14. sect. 3. & 6. & 8. lib. 2. cap. 1. sect. 2. c. 4. sect. 12. & 16. c. 8. sec. 4. & 7. & 9. & 11. & 12. & 16. & 18. c. 10. sect. 10. & 12. lib. 3. c. sect. 3. cap. 6. c. 12. sect. 5. c. 13. sect. 2. c. 17. sect. 5. c. 19. sect. 2.
13. Ignauæ & imbellis aduersarij argumenta dissimulantis & prætermittentis ea quæ impugnare debebat. lib. 1. capit. 2. ad sect. 5. & 11. c. 9. ad sect. 4. & 6. lib. 2. c. 1. sect. 3. c. 5. ad sect. 1. & ad 8. c. 11. sect. 1. lib. 3. c. 12. ad sect. 1. c. 15. ad sect. 2. & 6. cap. 16. sect. 1. c. 17. sect. 1. & 7.
14. Perfidiæ exemplum mutilando & deprauando Authores quos allegat, atque ipsas adeo S. Scripturas. lib. 1. c. 2. ad sect. 6. c. 6. ad sect. 1. c. 9. ad sect. 3. c. 13. sect. 1. lib. 2. c. 2. sect. 17. c. 7. sect. 6. & 7. c. 8. sect. 4. & 8. & 17. c. 9. sect. 5. & 13. lib. 3. c. 7. sect. 5. 3. 11. sect. 1. & 2. c. 12. sect. 9. c. 19. sect. 4. & 5.

WHITAKERIALIA FACINOR-  
ra, quæ ad certas Emblematum species reduci  
non poterant.

- STUPOREM obijcit ipse stupidiſſimus, lib. 1. c. 7. ſect. 6.  
Sophiſma ſuum alteri imputat, lib. 1. cap. 8. ſect. 1.  
Blasphemat contra Chriſti ſapientiam, lib. 1. cap. 2. ſect. 6. cap.  
9. ſect. 9. lib. 2. c. 4. ſect. 4. lib. 3. c. 12. ſect. 16. c. 11. ſect. 10.  
Agit fatuum ruſticum, lib. 1. c. 13. ſect. 4.  
Eius fides Manichæa fides, lib. 1. capit. 13. ad ſection. 13. lib. 2.  
cap. 3. ſect. 4.  
Obiectionem alienam proponit, ſolutionem diſſimulat, libr.  
1. cap. 14. ſect. 8.  
Sophiſticè arguit, lib. 1. c. 14. ad ſect. 9.  
Quovis tyrone Theologico ineptior, lib. 2. c. 1. ad ſect. 1.  
Stupidè quærit quod ante oculos inuentum iacet, lib. 2. capit.  
1. ſect. 3.  
Illud quærit quod pro ipſo nihil, contra illum multum facit.  
ibidem.  
Eius ignorantia audax & audacia mendax. Ibid. ſect. 4.  
Ridiculè argumentatur, lib. 2. cap. 5. ſect. 2. cap. 8. ſect. 7. cap. 9.  
ad ſect. 4.  
S. Scripturam falſi arguit, lib. 2. c. 1. ad ſect. 9.  
Probari petit quod luculenter probatum fuit. Ibid. ſect. 11.  
Ridiculus accuſator. Ibid. & c. 5. ſect. 8. c. 9. ſect. 15.  
Eius mala fides, lib. 2. c. 1. ad ſect. 11.  
Poſuit mendacium ſpem ſuam, lib. 2. c. 3. ad ſect. 1. c. 8. ſect. 17.  
c. 9. ſect. 14. c. 10. ſect. 1. & 13. lib. 3. c. 14. ſect. 12.  
Thraſonem agit, lib. 2. c. 3. ad ſect. 2. c. 5. ſect. 4.  
Voces hæreticas profert, lib. 2. c. ſect. 4.  
Veritatem quam impugnat confiteretur, lib. 2. capit. 4. ſect. 4. &  
9. cap. 5. ſect. 2. & 5. cap. 8. ſect. 18. cap. 9. ſect. 4. lib. 3. capit.  
14. ſect. 3.  
Eius hypocrifiſis, lib. 2. c. 9. ſect. 2. & 5. & ad ſect. 6.  
Suam Scabiem alij affricat, lib. 2. c. 4. ſect. 7. lib. 3. c. 13. ſect. 4.  
cap. 14. ſect. 8.  
Suis argumentis ſe ſuoſque condemnat, lib. 2. c. 6. ſect. 3. & c.  
11. ad ſect. 6.  
Non intelligit quod impugnat, lib. 2. c. 10. ſect. 11.  
Argumento ſuo ipſe reſpondet, lib. 2. c. 10. ad ſect. 8.  
Auguſtinum non intelligit, lib. 2. c. 7. ſect. 6. & ſect. 7. & ca. 8.  
ad ſect. 9. & 11.  
Bonus anticaluinista, lib. 2. c. 8. ſect. 1.

Eius conclusio anathema dicit Paulo. lib. 2. c. 8. ad sect. 17.

Suam vanitatem prodit. lib. 2. c. 9. sect. 7. & 10. & 16.

Eius disputatio disciplinam Ecclesiasticam & pauli doctrinā de firmamento Ecclesiæ subuertit. lib. 3. c. 1. sect. 6. Iudaisantibus & omnibus hæreticis contra concilia suffragatur. Ibidem. sect. 7.

Christi in terris prædicationem omni autoritate spoliatur, & propitiationem per eum factam euacuat. lib. eod. c. 2.

Christo contradicit. lib. 3. c. 4. sect. 1.

D. Petri verbis abutitur. lib. 3. c. 4. sect. 1.

In Pauli verbis bis peccat. Ibid. sect. 2.

In D. Lucæ verbis bis peccat. Ibid. sect. 3.

Pauli verbis abutitur. Ibid. sect. 4. & alijs Scripturis. sect. 5.

Pelagianismum docet. lib. 3. c. 4. sect. 6.

Scripturas non intelligit. lib. 3. c. 5. sect. 1.

Pauli autoritatem petulanter & ignoranter impugnat. lib. 3. c. 7. sect. 4.

Docet absurdissimè legi naturali nos credere. lib. 3. c. 8.

Christi verbis foedè abutitur. lib. 3. c. 11. sect. 1.

Scripta Moysaica Christi verbis anteposit. Ibid. sect. 13.

S. Scriptura nequiter abutitur. lib. 1. c. 17. sect. 9.

Ciuilem potestatem non secus quàm Ecclesiasticam subuertit. lib. 3. c. 13. sect. 5.

Quæstionis statum ignoranter immutat. lib. 3. c. 14. sect. 4.

Suis verbis refutatur. Ibid.

Ab vna quæstione in alteram transit. Ibid.

Professor indignè propositiones suas nō intelligit. Ibi. sect. 5.

Scripturas citat quæ contra seipsum militant. Ibid.

Apertè id dicit quod dicere se negat. Ibid. sect. 9.

Scripturæ verba inuertit. lib. 3. c. 15. sect. 1.

Similibus à seipso prolatis refutatur. lib. 3. c. 16. sect. 17.

Seipsum hæreticum confitetur. lib. 3. c. 17. sect. 6.

S. Scripturæ authoritati derogat. lib. 3. c. 17. sect. 9.

D. Ambrosij verba alienissima glossa peruertit. lib. 3. cap. 19. sect. 5.

Barbarus scriptor. lib. 3. c. 19. sect. 13.

## ADGVIL. WHITAKERVM

## ADMONTIO.

**P**VDET me pigerquetui, Whitakere, qui in  
 vnica quæstione disputationis tuæ tam mul-  
 ta peccasti, tot mendacia effutisti, tot paralo-  
 gismos fecisti, toties tibi contradixisti, teque  
 ipsum refutasti, tam multa absurdè, impudenter,  
 impiè protulisti, tam ignaum aduersarium, perfidum,  
 & ignarum te præbuiſti. Disputare te profite-  
 ris, & disputationem instituis aduersus huius tem-  
 poris Papistas, Robertum Bellarminum & me: idq;  
 de Scriptura Sacra, de Numero librorum eius, de  
 editione authentica, de Authoritate, de perspicui-  
 tate, de interpretatione, de perfectione eius. Aduer-  
 sarios tibi delegisti non prorsus obefæ naris, & in  
 hac Controuersiarum palæstra nō mediocriter ver-  
 satos. Argumentum tractas prorsus nobilissimum  
 & de quo Lectorem tuum in fine operis mones, *sex*  
*questiones à nobis defendi egregiè absurdas, hereticas, su-*  
*crilegas. Quibus enumeratis, concludis. Hæc portentosa*  
*errorum Papisticorum in hoc libro refellimus, non modò ar-*  
*gumentis, testimonijsque scripturarum, sed reliquis etiam*  
*subsidijs, quibus ipsi potissimum confidunt aduersarij.* Opus  
 ipsum ac disputationem hanc tuam Academia tuæ  
 Cancellario Guilielmo Cecilio, *studiorum tuorum, vt*  
*scribis, magno patrono ac Mecænati, dedicas.* Addis  
 nihil te hic facere quod non probauerit Cantuariensis pseu-  
 do-archiepiscopus, quem Reuerendissimum patrem (ri-  
 dentibus te effuse puritanis nasoq; adunco suspen-  
 dentibus) *virum sapientissimum & doctissimum* vocas, hic  
 etiam freudentibus puritanis: qui contra hunc ho-  
 minem non simplici responsione, sed replica quoq;  
 & duplica in lucem editis strennue pugnauerunt.  
 Qui (inquis) postquam controuersiam totam perlegerat. &  
 penitus

Ad lect.  
 Christ.  
 post finē  
 operis.

In Episto-  
 la dedica-  
 toria in  
 fine.

penitus cognouerat, edendam iudicauit. Mores postremo Lectorem te sic ista edere, quemadmodum sunt ab astutis & studiosis auditoribus tuis excepta, à teque recognita. In admonitione tua ad lectorem Christianum post finem operis. Quæ sanè omnia huiusmodi sunt, vt disputatio hæc tua limatum aliquid, & perpolitum; solidum & elaboratum; optimis argumentis firmaq; veritate nixum, omnibus denique suis numeris absolutum esse debeat. Nec enim vel tales aduersarij negligendi erant, quasi futiliter disputantem deprehendere nequirent; nec tam nobile argumentum, maximè in quo aduersarij tam absurdè & sacrilegè (tuo iudicio) scripssissent, nisi firmissimis & optimis argumentis propugnari, ipsamque aduersariorum absurditatem sacrilegam, seu sacrilegia absurda euidenter & ad oculum demonstrari oportebat; nec tam magno patrono ac Meccenati nisi magno studio elaboratum, veraque & solida laude dignum offerendum fuit, nec denique Reuerendissimus ille Pater tuus vir sapientissimus ac doctissimus aliquid edendum iudicaret, quod sua Reuerenda Paternitate, sapientia, eruditione dignum non esset. Nec postremo vllum scriptiois genus hoc ipso quod Acroamaticum dicitur, vel magis elaboratum industria, vel arte, ordine, ac doctrina magis exquisitum, vbi ad veri inuestigationem magis accommodatum esse solet. Nunc autem quæ tua est insignis impudentia & temeritas, despectis aduersarijs, neglecta argumèti nobilitate, contempto tuo Meccenate, ad summam Reuerendissimi tui Patris ignominiam, cum maxima auditorum tuorum verecundia, disputationem emisisti omnibus disputandi vitijs scatentem, nulla disputationis lege seruata, nullis argumentis nisi sanè insulsis atque ridiculis instructam; in qua præter mendacia,

paralogismos, absurdè, impudenter, ineptè & ridiculè prolata, frequenter ad rem nihil respondes, sed vel aduersarij argumentum dissimulas, vel verba mutilas, vel conclusionem alienam confingis, vel effugio quodam perpetuo elabi conaris; ignorantie atque adeò stuporis sæpè conuinceris, tibi ipsi contradicis, teipsum refutas. multaque alia perpetras quouis disputatore, nedum professore Regio, indigna, vt Indiculus iste præmissus ad oculum te docere poterit. Sed ex his omnibus vnum in disputando vitium, seu scelus potius ac facinus indignissimum est (teipso iudice, vt mox ex tuis verbis referam) quod totius Controuersie statum in hac de Scripturæ autoritate questione immutas, & peruertis, quod in ipso primo capite defensionis huius nostræ clarissimè tibi explicatum cernes. Quæ vna res quàm indigna sit, maximè in hoc argumento & in hac causa, tute ipse nobis referes, tuoque te ore iudicabis. In epistola tua dedicatoriâ sic scribis. *Id etiam in illo sermone nostro meminimus à me tributum Bellarmino, quod patrum testimonia minus quàm alij consueuerunt corrumpat, nec statum Controuersie tam cupide malitiosèq; peruertat, quod tibi intellexi magnopere in quibusdam displicere, cum disputationes controuersiasq; religiosas sic tractari deceat, vt nihil callidè dicatur, solaque veritas sanctis studijs inuestigetur. Dixi verò hac in re & aduersarios multum, & nos aliquando peccare, plusquam huius tam diuinæ veritatis indagatores deceret, quæ quanto est cœlestior & nos propius attingit, tantò fuit querenda & tractanda sincerius. Sed cum multi contentions potius quam veritatis cupidi nihil ferè aliud sibi proponant, quam vt contra aduersarios aliquid dicant, & eius cause quam melius amant quàm intelligunt defensores habeantur, sit vt Controuersie status iaceat, frigeat, negligatur, & veritas quod fieri solet altercando amittatur. Hæc tua verba sunt. Sed tu es ille*

ille vir VWhitaker, de quo hic sententiam tulisti. Tu in hac tertia questione de S. Scripturarum approbatione, quam eas hac de re disputationes impugnas, Controuersie statum penitus immutasti, eamque mihi sententiam in quam omnes tuas copias immittas, impingis; quæ à me ipso eodem in opere meo, ac libro proximè præcedenti ex proposito refutatur. Quo factum est vt tu non solum cōtentionis magis cupidus quàm veritatis appareas, causamque quam defendis magis amare quam intelligere proberis, verum etiam perpetuum tibi effugium nactus fueris, quo argumentorum meorū vim, quum alia via elabi non liceat, pulchrè admodum & dexterè auertas. De quo tuo perpetuo effugio plura \* postea audies. Nunc id tantum te admonitum volo, te in hac disputatione tua tot modis & tam perpetuò tuam vel infantiam, vel improbitatem vel vtramque prodere, vt aduersarios tuos penitus contempsisse, in argumento ipso præuaricatorem egisse, Meccenati ac patrono tuo planè illuisse, Reuerendissimi patris tui honori & exiltimationi plurimum detraxisse, auditoribus deniq; tuis summam iniuriam, Academiæ Cantabrigiensi & cathedræ regiæ summum dedecus attulisse, omnium lectorum iudicio conuincaris. Dicis Reuerendissimum illum patrem, sapientissimum & doctissimum virum Controuersiam hanc totā tuā perlegisse, penitus cognouisse, edēdam iudicasse. Id si ita est, profectò qualis pater talis filius, vt dici solet: & in patria cæcorum, qui monoculus est, vir princeps habetur, vt Gallicū habet prouerbum. Quod igitur Iuliano apostatæ Christianorum libros superba voce damnant, ac dicēti:

\* Lib. 2. c.  
5. sect. 8.  
& cap. 6.  
sect. 3. nu.  
3. c. 8. sect.  
10. cap. 9.  
sect. 14.

Niceph.  
hist. eccle.  
lib. 10. c.  
25.

ἀνεγνων, ἐγνων, κατέγνων, legi, cognoui, condemnaui, eleganter & appositè respondit Basilius ille Magnus, seu quisquis ille fuit inter Christianos tūc celebris,

ἀνέγνως, ἀλλ' ἐκ ἐγνως: εἰ γὰρ ἐγνώς, ἐκ ἀνκατήγνως. Legisti, sed non cognouisti; Si enim cognouisses, non condemnasses; idem de tui Reuerendissimi patris iudicio respondeo. ἀνέγνω; ἀλλὰ ἐκ ἐγνω, εἰ γὰρ ἐγνώ, ἐκ ἀνκατήγνω μάλλον κατέγνω. Legit quidem Controuersiam tuam, sed non cognouit. Si enim cognouisset, non approbasset, sed potius condemnasset. Nunc autem & tu & Mecœnas tuus, & Reuerendissimus ille pater tuus, hac nostra perlecta defensione, penitus cognoscetis hanc tuam disputationem vulcano magis quàm prælo dignam fuisse. Age igitur Whitakere, & ad summam patientiam te compone: Ea enim certè tibi necessaria fuerit, vt crebras ac iustas planèque necessarias (nisi causæ desertor esse vellè) reprehensiones nostras æquanimiter feras. Quæ si tibi molestæ sunt, tibi ipsi acceptas ferto, qui tanto fumo ac strepitu excitato, & aduersarijs tuo quoq; iudicio strenuis ad pugnam prouocatis, tam ignauum te & imbellem præstiteris, tam turpiter & ignominiosè te gesseris, vt tot & tam acerbis plagas accipere necesse fuerit, idque planè currente calamo; quum ad tuam futilissimam disputationem refutandam solus mihi in scribendo, nullus in inueniendo labor subiundus fuerit.

Poterit tibi ad salutem res esse, si pugnae huius in vnica quaestione tam infelicem exitum diligenter & attentè intuitus, in teipsum non nihil descendas, causæq; quam tueris turpitudinem expendas, atque ita aduertas, te verè ex illis esse, quos Apostolus dicit, *in vaniloquium conuersi, volentes esse legis Doctores*. *1. Tim. 6.* *res, non intelligentes neque qua loquuntur neque de quibus affirmant.* Quæ verba in te ad amussim quadrare, emblemata disputationis tuæ, quæ in hunc Indiculum collegimus, ad oculum demonstrant. Vide igitur & agnosce, & in teipso accuratè perpende,

C

quàm

quàm in teipso verum sit, quod iterum Apostolus  
 1. Tim. 6. dicit: *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermoni-  
 bus Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatē  
 est doctrina, superbus est, nihil sciens, sed languens circa  
 quæstiones & pugnas verborum.* Tu enim quia verè  
 ἐρισποδιδασκῶν λέεις, aliter doces quàm tot seculorum fi-  
 des Catholica habet, quia non acquiescis sanis ser-  
 monibus Christi, id est, præceptis Apostolicis & ec-  
 clesiasticis iuxta voluntatem Christi, & ei quæ se-  
 cundum pietatem est doctrinæ, id est, illi doctrinæ  
 quæ conformis est regulæ fidei à maioribus eccle-  
 siarum traditæ, quia spernis Ecclesiæ magisterium  
 quod tam amplissimis verbis Christus Redemptor  
 noster instituit, & commendauit, quod Apostolicæ  
 postea literæ vehementer inculcarunt, vt in hac de-  
 fensione nostra vberius ostensum est, propterea ma-  
 nifestè apparet, superbum te esse, ex superbia fastu-  
 que animi ac tumore, Ecclesiæ magisterium con-  
 tempsisse, μηδὲν ἐπιστάμενον te esse, nulla rerum vera  
 scientia pollere, sed languere te, id est, inutiliter ac  
 futiliter laborare, sicuti morbo diuturno languen-  
 tes circa ea quæ sunt laboriosa frustra contendunt,  
 circa quæstiones & disputationes, semper quæren-  
 do & nunquam inueniendo, *semper discendo & nun-  
 quam ad scientiam veritatis perueniendo;* ac postremò  
 2. Tim. 3. circa λογομαχίας quandam & pugnas verborum ina-  
 niter decertando. Vide inquam & aduerte quàm  
 te graphicè Apostolus descripsit, nec mireris si quo-  
 rum facta imitaris, eorum τὰ πάτη indueris. Fieri  
 non potest; vt hæresis causam quisquam tueatur,  
 qui hæreticorum vitijs & morbis, pessimisque affe-  
 ctibus, non imbuitur. Habent illi magistrum Sata-  
 nam, sicut veri Doctores Ecclesiæ, Spiritum Sanctū.  
 Ab illo patre mendacij, sunt hæretici magistri mē-  
 daces, sicut à Spiritu veritatis Catholici Doctores  
 edocti

edocti docent omnem veritatem. Est in illo opera-  
 tio erroris, sicut est in Spiritu Sancto doctrina veri-  
 tatis. Inde factum est, vt sectarijs modernis te ad-  
 iungens VWhitakere, & patriæ tuæ foedissimum  
 schisma arctè cõplectens, minister Satanæ effectus,  
 in hac tua disputatione appareas Doctor indoctus,  
 professor perfidus, & magister mendax, adeoq; pla-  
 nè impudentissimus. Non potest religio mendax,  
 falsa, diabolica, absque mendacijs, paralogismis,  
 alijsque Diaboli artibus propugnari. Quod absur-  
 dum est, non nisi absurde defendi potest. Mala cau-  
 sa bonis argumentis niti nequit. Omne verum vero  
 consonat: & vno absurdo dato multa sequuntur.  
 Sed quando ad causam pessimam, ingenium acce-  
 dit stupidum, earum rerum quas tractat ignoran-  
 tia, fallendi ac mentiendi libido, contentionis stu-  
 dium, & gloriolæ cupido; huiusmodi scriptore ac  
 tractatore nihil foedius, nihil absurdius, nihil infœ-  
 licius esse, necesse est. Talem te tua disputatio exhi-  
 buit, & nostra defensio monstravit. Hinc tua  
 rotæ & tam foeda emblemata in vnica quæstione:  
 quæ quot & quanta futura sint, si rota reliqua di-  
 sputatio tua simili diligentia excuteretur, iam tute  
 ipse, vt opinor, reformidas; certè quilibet Lector  
 facilè conijciat. Vide igitur VWhitakere, vt deinceps  
 si non ipsius sacræ veritatis, at saltem nominis  
 & existimationis tuæ rationem habeas: Si ecclesia-  
 sticæ authoritatis à Christo Redemptore summo  
 in loco constitutæ, hostis perduellis perpetuò esse  
 velis, at vide ne perpetuò pro absurdissimo scriptore,  
 pro Doctore indocto, professore perfido, magi-  
 stro mendaci haberi velis. Si planè stat sententia sa-  
 luberrimam religioni Christianæ conseruandæ &  
 maximè necessariam authoritatem vsque & vsque  
 impugnare, & hæreticum pertinacem obdurato

corde perpetim agere, maioribus tamen si potes ingenij & eruditionis præsidijs, maiori fide, pudore, modestia ad pessimam tuam causam accede. Sed mihi crede vt istud præstes, simulque susceptam tuam tuearis fieri nequit. Atto carbone dealbari paries non potest: Ad regulam obliquam recta linea nunquam ducitur: nec ex quolibet ligno fit Mercurius. Id ergo vnum superest, vt tuæ te turpitudinis, quam causa turpissima necessariam tibi fecit, pudeat ac pigeat, & captiuando intellectu in obsequiũ Christi, Ecclesiæ magis filius quàm hostis esse malis. Durum est tibi contra stimulum calcitrare, contra veritatem, contra Christum, contra columnam & firmamentum veritatis, quæ est Ecclesia Dei vitii, corpus & plenitudo Christi, contra quam nec ipsæ portæ inferi præualebunt. Vale & resipisce.

*Vvhitakere, tuum resonat loca candida nomen,  
Vno te atravit hæresis atra libro.  
Ibis ad atratos socios, tenebrosaq; regna,  
Nicitius tenebras fugeris hæreticas.  
Vt fugias (si vera placent) hæc lecta morebunt,  
Nam lucem Ecclesiæ te docet iste liber.*

AVTHO.



# AUTHORITATIS

## ECCLESIASTICAE

### CIRCA S. SCRIPTURARUM

### APPROBATIONEM, CONTRA

Guilielmum Whitakerum Anglo-caluinistam, defensio.

#### P R O O E M I V M.




*ATIS incommode accidit, Guilielme Whitakere, quod quo tempore tua disputatio de S. Scriptura, in qua me impugnandum tibi delegisti, ex Nundinis Francofordianis per typographum quendam Antverpiensem ad me Duacum*

*perlata est, mense Iunio huius anni 1590. biennio postquam edita fuerat: eodem tempore Louaniensis professio Regia Regijs literis mihi recenter oblata & à me suscepta sit. Hinc enim factum est, ut quum hoc toto biennio disputationis huius tuae vel minimus rumusculus ad me non peruenerit, de ea examinanda interim cogitare nihil licuerit; & de ea tandem perlata, perinde ut oportuit, cogitare mihi non vacauerit: alia potius meditati ac paranti, quae ad nouam hanc professionem necessario meditanda erant. Verumtamen illas tuae disputationis partes quae me proprie attingunt (multo enim maxima libri tui Argumenta contra R. Patrem Robertum Bellarminum exarasti) breuiter percurri. In quibus quum non solum pauca esse quae contra nos disputas, verum etiam infirma valde atq; debilia, ne dicam inepta prorsus atque insulsa, Regioque professore (qualem te scribis) indigna esse animaduertissem; dubitavi satis diu an de vlla re-*

futatione cogitandum mihi foret, tum hac noua nunc voca-  
 tione futuro occupatissimo, tum ad alia quadam perficienda  
 qua nunc typis dare coepi magis propenso, & ab amicis quam-  
 plurimis vehementer incitato. Quia tamen vnā integram  
 aduersum me disputationem scripsisti, eamque de re grauif-  
 sima, & accuratissima discussione digna, in qua ex duode-  
 cim libris nostris de principijs fidei doctrinalibus ante annos  
 iam duodecim editis, vnum pene integrum, nonum videlicet,  
 de Canone S. Scripturae per Ecclesiam consignando, refutare  
 conaris, aliquid tibi respondere ad Dei gloriam sacraeque ve-  
 ritatis defensionem decreui, vbi primum aliqua nobis in hac  
 quotidiana & noua nostra professione vacationes darentur:  
 primumque ocium meum huic tuae disputationi expen-  
 denda addicere institui. Nunc igitur post tertium circiter  
 professionis nostrae mensem, vacationibus Natalitjs pauca-  
 rum hebdomadarum occurrentibus, defensionem nostram  
 propitio Christo aggredi, atque auspiciari volui, aliasque  
 postea successiuas horas, donec ad vmbilicū perduxero, huic  
 operi impendere. Tractas in tua disputatione de S. Scriptura  
 quaestiones sex; in quarum tertia, qua est de Authoritate  
 Scripturae ea tibi ferè omnia refutanda sumpsisti; qua in  
 principiorum fidei doctrinalium libro nono à me etiam dispu-  
 tata inuenisti. In reliquis quaestionibus in Bellarmino re-  
 futando totus es; nisi quod in quaestione quinta, qua est de  
 Interpretatione S. Scripturae pauca quadam vno aut alte-  
 ro in loco contra me disputas; qua quia & pauca sunt &  
 planè friuola, nec à reliqua tua disputatione diuisa commo-  
 dè tractari possunt, penitus praetermittenda censui. Ex hac  
 tuae tertiae quaestionis qua tota contra me est, plena & abso-  
 luta refutatione, facile iudicabit Lector, qualis tu, quamque  
 asininus (sic enim res ipsa loquitur) disputator es: plusque  
 mirabitur in hac vna tua disputatione planè ineptissima re-  
 futanda, tot bonas horas me collocasse, quam alia illa pauca  
 & minutiora praetermisisse. Sed & mihi sanè persuadeo,  
 hac nostra defensione tuo sic desiderio satisfactum fore, vt  
 indigne

indignè non sis laturus, quòd in reliquis tibi pepercerim. At-  
 tamen si omnino te indignari sensero quòd paucas paginas  
 disputationi tuæ contra alium insertas, intactas reliquerim,  
 dabitur postea (si Deus voluerit) tempus & locus placandi  
 te, rebus quæq; supplendi quæ hic tibi deesse videntur. Nam  
 ad rem ipsam & orthodoxi Lectoris desiderium quod atti-  
 net, hæc Ecclesiæ autoritate circa ipsas Scripturas appro-  
 bandæ, & ad certam notitiam nostram deducendas bene  
 stabilitæ, & contra cavillationes omnes vestras luculenter  
 defensa, altera questione de Scripturarû per Ecclesiæ certâ  
 & infallibili interpretatione, per seipsa consequetur, quum  
 nemini dubium esse queat, ea certissimè autoritate exponi  
 Scripturas posse, quæ ipsas nobis Scripturas consignavit: &  
 eum maximè Libri Sacri sensum doceremè posse, cuius iudi-  
 cio & testimonio, librum hunc Sacrum esse cognovi & cre-  
 didi. Nunc igitur in hac tertia questione quomodo procedas  
 & qualem te virum præstes, videamus. Sanè vt tibi per om-  
 nia satisfaciam, verba tua & sententias integras, quæ me  
 contingunt bona fide subiiciam, & nihil planè eorum quæ  
 contra me in hac tertia questione disputas, prætermittam.  
 Rem ergo nunc ipsam, propitio Christo, aggrediar.



The first part of the document discusses the importance of maintaining accurate records of all transactions, including sales, purchases, and expenses. It emphasizes the need for regular audits and the use of standardized accounting practices to ensure the reliability of the financial data.


The second part of the document details the various methods used to collect and analyze financial data. This includes the use of questionnaires, interviews, and direct observation to gather information from different stakeholders within the organization. The analysis of this data is then used to identify trends, patterns, and areas for improvement.

The third part of the document focuses on the implementation of financial controls and internal audit procedures. It describes how these controls are designed to prevent fraud, reduce errors, and ensure compliance with applicable laws and regulations. The role of the internal audit function is also discussed, highlighting its importance in providing independent assurance on the organization's financial reporting.

The fourth part of the document addresses the challenges of financial management in a dynamic and competitive environment. It discusses the need for flexibility, innovation, and effective communication to overcome these challenges and achieve the organization's financial goals.

Finally, the document concludes by summarizing the key findings and recommendations. It stresses the importance of a holistic approach to financial management, one that integrates all aspects of the organization's operations and ensures that financial health is maintained over the long term.





DE STATV CON-  
TROVERSIÆ CIRCA S.  
SCRIPTVRARVM APPROBA-  
TIONEM PER ECCLĒSIAM.

C A P. I.



N Questione tua tertia, quæ est de  
Scripturæ authoritate, ante omnia  
statum Controversiæ inquiris. Re-  
ctè id quidem. Sed utinam eum  
tam dexterè, vel potius tam synce-  
rè & candidè explicasses, quàm

Professorem Regium & virum bonum decuit. Id  
sifecisses, nec tuos primùm auditores, posteaque  
lectores tam nequiter decepisses, nec mecum in hac  
causa verbum vnum commutasses; nec deniq; to-  
tam tuam quæ sequitur disputationem tam multis  
& manibus verbis, planè extra chorum saltitando,  
texuisses. Statum enim Controversiæ nobis impu-  
gis, & mihi meque his de rebus disputationi ateri-  
bis, qualis à seipso, idque in ipso quem impugnas  
loco, disertè reprobatur. Statum illum quæstionis  
ponis & defendendum suscipis, quem ego ipse in  
eodem opere accurata disputatione mihi defen-  
dendum suscepi. Quid igitur hic agis vir bone?  
Quid umbram ipse tuam persequeris? Quæ hæc  
vel insana contradicendi libido, vel stupida eorum  
quæ ante oculos sunt ignorantia? Aut enim nostra  
quæ impugnas attentè legisti, intellexisti, tenuisti,  
& sententiam à seipso probatam cæco impetu (vt

Statū Cō-  
trouersiæ  
aduersa-  
rius peni-  
tus im-  
mutat.

suas oves Ajax) flagellare voluisti; aut vel non legisti, vel lecta non intellexisti; & crassa illa est, ne dicam asinina, & Professore Regio multum indigna stupiditas. An non ita ut dixi se res habet? Id ex verbis tuis ac meis luce meridiana clarius iam iam apparebit.

Huius Controuersiae statum ac punctum explicaturus, primum aliorum Catholicorum sententias profert, Eckij, Pighij, Coclaei, & Cani, ac tandem ad me venis & dicis.

*Whitakerus.*

*1. sectio.*

Sic Stapletonus noster toto penè lib. 9. principiorum doctrinalium hanc Controuersiam explicat: nobis non constare Scripturas à Deo prodijisse, nisi ex ecclesiae testimonio: & cap. 1. quaestionis statum inquit, ubi ait, non quaeri vtrum Scriptura in se sacra ac diuina sit, sed vnde nobis constet eam sacram ac diuinam esse; ideoque Calvinum reprehendit quod statum quaestionis aliter proponeret, cum diceret Papistas affirmare ab Ecclesia pendere, quae reuerentia Scripturae debeat. Omni enim reuerentia (inquit) Scripturae in se dignae sunt, non autem quoad nos in tanto honore haberentur. Longè hoc aliud est (inquit) quam ab Ecclesia pendere, qui libri in Scripturae cathalogo censeantur. Illud enim (ait) Scripturam cõsiderat in seipsa, hoc eandem, quoad nos.

*Stapletonus.*

Postquam tibi sententia iterit, omnem nostram in lib. 9. principiorum fidei disputationem examinare, & subuertere, optimè veritati, & lectoribus & honori tuo consulisses, si mea verba, bona fide & integra recitasses. Nunc quia id rarissimè facis, varijs reprehensionibus teipsum obnoxium fecisti, & fingendi ac mentuendi libidinem tuam, ignauiam quoque

quoque; & timiditatem, qui totum aduersarij tui argumētum proponere non es ausus, turpiter prodidisti. Istud quidem in sequentibus & sapissimè & clarissimè Lectori demonstrabitur. Nunc meam sententiam plenius Lector intellexisset, si adhuc verba proximè sequentia addidisses, in quibus, vt in margine Lectorem moneo, præsentis controuersiæ status consistit. Hæc videlicet. *Nos autem in hac controuersia non querimus quare Scriptura hæc vel illa sit sacra aut diuina, & vnde hoc habeat in seipsa, sed querimus vnde hoc nobis constat quod sit diuina.* Hunc quæstionis statum Calvinum peruertere dixi; quem tu nunc bonus Calvinista tibi defendendum suscepisti.

*Whitakerus.*

Sed \* quid quæso interest inter has duas sententias: Ex Ecclesiæ iudicio pendet, quanta reuerentia Scripturæ debeat, & Ex Ecclesiæ iudicio pendet, qui libri sint in Canonem recipiendi; cum Sacra Scriptura cui reuerentia diuina debetur, in libris tantum Canonicis reperiatur? Papistæ posterius affirmant: ergo & prius.

*Stapletonus*

Næ tu magnus scilicet arguator es & strenuè admodum ac subtiliter Calvinum tuum defendis. Hunc enim in modum arguis. S. Scriptura cui reuerentia debetur, in libris tantum Canonicis reperitur. Ergo idem est dicere, *ex Ecclesiæ iudicio pendet qui libri in Canonem recipiendi sunt*, ac dicere: *ex Ecclesiæ iudicio pendet, quanta reuerentia Scripturæ debeat.* Quæ malè & ineptè ista cohæreāt, quis non videt? Ostendam tibi in re simili. In illa duarum mulierum concertatione, de paruulo filio superstite relicto, altero interim paruulo de nocte suffocato, ex Salomonis iudicio pendeat, cuius mulieris superstitem paruulum esse constaret. Ex Salomonis tamen iudicio

non

Status  
præsentis  
cōtrouers-  
iæ verus.

2. Scio.  
\* Doctoris  
indocti  
ignorantia.

Scripturæ  
reuerentia  
in se non  
pendet ab  
Ecclesiæ  
iudicio.

non pendeat quod vere matris talis paruulus filius  
 verus esset, aut quod illa mulier talem filiū ita for-  
 matum pareret. Salomonis iudicium quod dixit  
 1. Reg. 3. *hæc est mater eius*, non fecit vt ille paruulus talis ma-  
 tris filius, vel illa mulier talis paruuli mater esset,  
 sed vt in illa controuersia de vera matre paruuli,  
 certo constaret, quæ esset mater paruuli, et cuius  
 mulieris ille filius esset. Eodem modo in causa præ-  
 senti se res habet. Ecclesia iudicans ac decernens  
 hos libros esse Scripturas sacras atq; diuinās, & in  
 Canonem seu numerum librorum sacrorum refe-  
 rendos, quasi veros & genuinos fœtus diuini Spiri-  
 tus, non facit vt ipsi libri sacri ac diuini Spiritus  
 fœtus sint, sed vt à nobis pro sacris ac diuinis ha-  
 beantur: Nec ex hoc Ecclesiæ iudicio pœdet, quan-  
 ta reuerentia Scripturæ aut libris sacris debeat, sed  
 ex Ecclesiæ iudicio pendet qui tandem libri pro  
 Scripturis sacris recipiendi & habendi sint. Quom-  
 o igitur quæritur qui libri in Canonem recipiendi  
 sunt, & vnde hoc nobis constare queat, quæ huius  
 cōtrouersię quæstio est, quæritur qui libri à populo  
 Christiano pro Sacris Scripturis habendi sunt.  
 Quum autem quæritur, quanta reuerentia Scriptu-  
 ræ debeat, quæ Caluini quæstio est non nostra,  
 quæritur quanta sit illorum librorum excellentia  
 in se, & quàm infallibilis earum veritas: quæ excel-  
 lentia & veritatis infallibilitas, etiam si in Canonē  
 necdum reciperentur, illis inest. Sicuti enim verum  
 omne, verū sēper est, etsi vel ignoretur vel negetur  
 (neq; enim nostrū affirmare vel negare aliquid po-  
 nit in re) sic Dei verbum scriptum, diuinum est &  
 erit, etsi tale esse vel à multis ignoretur, vt ab infide-  
 libus ethnicis; vel negetur, vt quædam eius partes à  
 quibusdam hæreticis: ac deniq; etsi in Canonem  
 receptum necdum esset: sicuti ille paruulus quem  
 suæ

suæ matri Salomon adiudicauit, suæ matris verus filius fuisset, etiamsi ea res in iudicium nunquam vocata esset, nec ita Salomon vnquam iudicasset. Ipsa Euangelia literæ quæ Apostolicæ aliquot prius annis scripta fuerunt, quàm à toto populo Christiano pro Euangelicis & Apostolicis agnita. An quàm primum Paulus ad Romanos (verbi gratia) è Corintho scripsit, confestim illa epistola pro Canonica ab vniuersis recepta fuit? An verò quia recepta necdum erat, ideo veritatem planè diuinam non continebat: Omnis igitur Scriptura diuina, à quo primū die scripta fuit, diuina erat. Sed incertum diuini verbi Canonem non statim recepta & ab omnibus pro huiusmodi agnita erat. Hoc igitur posterius per Ecclesiæ iudicium & auctoritatem factū fuisse dicimus. Illud prius ex natura rei ita se habere affirmamus.

In hoc ergo statum quæstionis inuertit Calvinus, sententiamque odiosam & falsam Catholicis impingit: quòd reuerentiam Scripturæ ex se debitam ab Ecclesiæ iudicio pendere, à nobis affirmari dicat. Quod sanè diuersum & maius quid esse, quàm Scripturarum Canonem fideli populo consignare, ipsemet Calvinus (quod tu VWhitakere videre non vis) perspicuè vidit. Idcirco enim hæc duo coniunxit. *Pendet (inquiunt) ab Ecclesiæ determinatione; & quæ scripturæ reuerentia debeat, & qui libri in eius Catalogo censeantur.* Nisi hæc duo diuersa sint, quorsum illa repetita coniunctio? Sic tu VWhitakere vt Calvinū tuum defendas, sensum & sententiam Caluino suam eripis. Virget enim hoc & exagitat contra Catholicos Calvinus, quòd ipsam in se S. Scripturæ reuerentiam ab Ecclesia pendere volumus. *Inualuit (inquit) apud plerosque perniciosissimus error, Scripturæ tantū inesse momenti, quantum illi Ecclesiæ suffragiis conceditur:*

Calvinus quo modo statum cōtrouersie inuertit.

Caluino suo VWhitakerus cōtrarius.

*conceditur: ac si verò aeterna inuiolabilisque Dei veritas hominum arbitrio niteretur.* Hæc ille de Catholicis, non iam id impugnans, quòd hos esse Scripturæ libros, illos non esse Ecclesia iudicat; sed quòd, quid, & quantum reuerentiæ Scripturæ debeat, Ecclesia determinet.

Alijs similibus res explicatur.

Deinde sicut alia quæstio est inquirere, quid de filio Dei incarnato credendum sit, aut quanta sit potestas Spiritus paraleti quem suis discipulis Christus promisit, quantumq; vtrique honos & reuerentia debeat, alia verò an Iesus Mariæ filius ille filius Dei incarnatus fuerit, aut ille Spiritus Sanctus quem in die Pentecostes discipuli acceperunt, sit ille paraletus, quem Christus promiserat. De priorienim quæstione multi Iudæi necdum conuersi eadem nobiscum sentiunt quoad Christum, & olim Montanistæ sentiebant quoad Spiritum Sanctum, in posteriori quæstione Iudæi omnes necdum conuersi contradicunt, quoad Christum, & impij Montanistæ contradicebant quoad Spiritum Sanctum, dicentes & blasphemantes, suum Montanum illum fuisse paraletum quem Christus promiserat, sic omnino alia & longè alia quæstio est, quæ vel quanta sit Scripturarum excellentia, reuerentia, fides; & quæ tandem sunt Scripturæ ipsæ. Porro vt omnis Scriptura cui debetur reuerentia, in libris tantùm Canonicis reperitur; sic totū quod filio Dei incarnato debetur, totus honor, tota reuerentia Iesu tantùm Mariæ filio debetur: tota quoq; paraleti potestas docendi & suggerendi nobis omnia, illi Spiritui Sancto tribuenda est quem Apostoli in die Pentecostes acceperunt. Age ergo & infer nunc VWhitakere. Quis filio Dei honor, quæ reuerentia debeat, multi adhuc increduli Iudæi agnoscunt: & Spiritus Sancti potestatem atq; officium

cium Montanistæ agnouerunt: Ergo Iesum Mariæ filium, illum filium Dei incarnatum esse ijdem credunt, & Montanistę, verum paracletum in die Pentecostes datum, in suo Montano colebant: eò quòd quicquid de filio Dei incarnato credendum est, id soli Iesu Mariæ filio competit: & omnis paracleti potestas ad illum Spiritum Sanctum pertinet, qui in die Pétecostes datus est. Vides iam, opinor, satisfq; intelligis non propterea idem esse. *Ex Ecclesie iudicio pendet, quanta reuerentia Scriptura debeat: & Ex Ecclesie iudicio pendet, qui libri sint in Canonem recipiendi*, eò quòd Sacra Scriptura cui illa reuerentia diuina debetur, in libris tantum Canonicis reperiatur: nec vllò modo sequi, vt tu stultissimè disputasti, *Papista posterius affirmant: ergo & prius*. Hac igitur Caluini tui inani defensione interiecta, in qua dum alterius vram calumniam defendere voluisti, tuam ineptiã & infantiam prodidisti: pergis in statu quæstionis explicando; & allegatis aliorum Catholicorum sententijs, concludis.

*Whitakerus.*

3. Sectio.

Non igitur Scripturam ab Ecclesia pendere volunt, quoad se, sed quoad nos. Et nunc propemodum veræ causæ statum tenemus: in quo non nihil profecimus. Et hæc videri possint \* non admodum improbanda, Scripturam habere in se authoritatem, sed eam non constare nobis nisi propter Ecclesiam.

\* Sibi repugnat,

*Stapletonus.*

Hæc distinctio, Whitakere, si tibi non admodum improbanda videtur, cur eandem distinctionem à Caluino factam, nullam plane esse, ostendere modò voluisti? Et inter has duas sententias nihil interesse affirmasti, *ex Ecclesie iudicio pendet, quanta reuerentia Scriptura debeat: & ex Ecclesie iudicio pendet, qui libri sint in*

Whitakerus sibi cōtrarius.

*sunt in Canonem recipiendi.* Agnoscis iam ipsemet hæc duo planè distincta esse, multumque interesse, Scripturam habere authoritatem in se, sui que præstantia & diuina veritate ( hoc enim est, *ab Ecclesia non pendere, quantum ipsi reuerentia debeat* ) sed eam non constare nobis, publicè videlicet vt de fide sit, hanc esse Scripturam sacram, nisi propter Ecclesiam eiusque externum & ordinarium testimonium. Hoc enim est dicere, *nisi per Ecclesiam eius libri in Canonem recipiantur.* Hinc manifestè apparet, quòd non veritatis studio, sed Caluini defendendi, mei que reprehendendi desiderio, hoc est, non vt Theologus & Theologiæ professor, sed vt iuratus hæreticus ac cauillator impotens, distinctionem illam nullam esse docere voluisti.

*VWhitakerus.*

4. Sect.

Sed qua in re positum sit ipsum momentū punctumque Controuersiæ, mox ostendemus.

*Stapletonus.*

In hac sanè distinctione iam agitata & explicata, positum est punctum & momentum Controuersiæ, quam ego in libro meo quem tu nunc impugnas, tractaui, sicuti in verbis illis meis à te in prima tua sectione prætermisisti, (ideoque fraudulenter & improbè prætermisisti, ne qua in re Controuersiæ statum ego quem impugnas ponerem, Lector intelligeret,) & à me supra repetitis manifestè pater. *Quærimus, inquam, in hac Controuersia, non quare Scriptura hac vel illa sit sacra & diuina, & vnde hoc habeat in seipsa; sed quærimus vnde hoc nobis constat, quòd sit diuina.* Et dicimus per Ecclesiæ Catholicæ testimonium hoc nobis constare. Istud est quod in hac Controuersia propriè quæritur, nosque Catholici propriè & diserte statuimus; quod optimè intelligens Calvinus vafre, vt solet, statum questionis inuertit, vt satis iam

Statum cō-  
trouersiæ  
præsentis  
verus.

iam explicatum est. Mox videbitur statum quæ-  
tu Controuersia ponis, nullum planè esse, id est à  
me quem impugnas, controuersum aut dubium  
non esse, sed à te prorsus confictum, vt perpetuum  
perfugium haberes, quo nostra argumenta elude-  
res, sicuti in sequentibus Lector videbit. Sed nunc  
tecum pergamus.

*Whitakerus.*

*s. Sect.*

Interim quid Ecclesiæ nomine significant, vi-  
deamus. Ecclesiæ autem nomine in hac quæ-  
stione intelligunt Papistæ, non eam tantum Eccle-  
siam, quæ fuit temporibus Apostolorum (nam Ecclesiæ  
nomine  
quid in-  
telligatur. Thomas VValdensis eo nomine reprehenditur à  
Cano. 2. lib. loc. com. cap. 8. & à Stapletono etiam  
lib. 9. doctrinal. princip. cap. 12. & 13.) sed succe-  
dentem etiam, atque adeo præsentem Ecclesiam:  
non autem vniuersum populum, sed pastores tan-  
tum. Canus quando hanc quæstionem tractat, ali-  
quando pastores, aliquando Concilia, aliquando  
Pontificem Romanum intelligit. Stapletonus lib.  
9. cap. 1. hanc distinctionem adhibet. Ecclesia vt  
magistros & pastores populi fidelis significat, non  
modo veneratur Scripturam, sed & suo testimo-  
nio commendat, tradit, cõsignat, nimirum respe-  
ctiue ad populum sibi subiectum. Sed vt Ecclesia  
significat populum, aut etiam pastores tanquam  
membra, & priuatas personas tantummodò vene-  
ratur. Et cum Ecclesia obsignat Scripturã, non ex  
dubia simpliciter, sed quoad nos authenticã facit:  
nec authenticã simpliciter, sed quoad nos. Hinc  
quid Ecclesiæ nomine intelligãt, & quemadmodũ  
scripturã ab Ecclesia cõsignari atq; approbari sta-  
tuunt, perspicimus.

*Stapletonus.*

Ordo sanè disputationis postulabat, vt prius  
quàm de Ecclesiæ potestate & testimonio circa

D

quoduis

quoduis fidei obiectum disputaretur de ipsa Ecclesia in se constaret, & penes quos sit, & quid eius nomine significetur, quando de eius potestate inquiritur, & qualis etiam ipsa in se potestas sit, certa ne & infallibilis, an dubia & fallax. Quam ego sanè ob causam antequam ad hanc disputationem de approbatione & consignatione Scripturarum per Ecclesiam descenderem lib. 9. in alijs octo libris præcedentibus, tua illa superius posita discussi: & quid Ecclesiæ nomine intelligi debeat, quando de eius authoritate, iudicio, testimonio sermo fit, lib. 5. & 6. accuratius, vt potui, explicavi. Pastores videlicet & magistros Ecclesiarum hoc nomine intelligi, sicut Christus intellexit, quum diceret. *Dic Ecclesiæ; si Ecclesiam non audierit, &c.* sed vt inter pastores ordo est, sic in distinctis parochijs proprios pastores illos esse quos populus audire debet, in tota diocesi episcopos, in tota prouincia Archiepiscopos & primates, in toto orbe vnum Petri successorem Christiq; vicarium, Rom. Pontificem. Hanc totam meam disputationem tu hoc loco dissimulas, & vnam distinctionem obiter ad Caluini argumentum factã, non in qua quid Ecclesiæ nomine hic significetur plenè docere volui, notas; vnamque in fine libri disputationem meam commemoras, non item in qua hanc quæstionem tractavi, quid Ecclesiæ nomine intelligi debeat, quum de eius potestate inquiritur, sed in qua de Ecclesia sic intellecta vt antea disputatum fuit, id solum quærebatur an quoad hanc controuersiam de Scripturis consignandis, præsens quoque & cuiuslibet ætatis Ecclesia intelligenda esset, an sola Apostolica propriè dicta, vt quidam voluerunt: à quibus propter firma & certa argumenta dissentio: quæ tu nec in fine huius quæstionis tuæ vbi hanc rem iterum commemoras, vel mi-

nimo

Matth. 18.

Plenã disputationem dissimular fragmenta captans.

nimo digito attingere es ausus. Cæterum quia hanc tuam sententiam nostram utcumque imperfectè & mutilatè à te propositam, cōmemoras tantū non impugnas, ea stante, videamus quid tibi ab altera parte ponendum videatur.

*Whitakerus.*

Iam quæ nostra sit hac de re sententia, breuiter <sup>6. Sectio.</sup> exponemus. Non videtur magna controuersia. Tamen est maxima. Primum autem non negamus ad Ecclesiam pertinere, ut Scripturas approbet, agnoscat, recipiat, promulget, commendet suis omnibus <sup>Aduersarij confessio.</sup> & hoc testimonium esse verum atque ab omnibus suscipi oportere dicimus. Non ergo Ecclesiæ testimonium respicimus, ut de nobis Papistæ mentiuntur, sed amplectimur.

*Stapletonus.*

Nihil in hac tua disputatione libentius legi Whitakere, in quo te video à Caluini impietate, ad Lutheranorum sententiam moderatiorem, imò ad ipsam veritatem transiisse. Professionem enim hic tuam habemus hac sanè in parte orthodoxam, & Professore Theologo dignam. Testimonium Ecclesiæ agnoscis, quo Scripturæ non *agnoscantur tantum & recipiantur* (quod ad eorum obedientiam qui eam cum omni reuerentia suscipiunt, proprie pertinet, & quod solum Ecclesiæ Calvinus concedit) sed quo etiam *approbentur & promulgentur, ac denique commendentur suis omnibus*: quæ omnia eximiam Ecclesiæ auctoritatem erga suos omnes circa Scripturarum quoad nos notitiam & certitudinem, disertissimis verbis exponunt. Deinde hoc Ecclesiæ testimonium non *verum tantum* esse affirmas, sed *huiusmodi ut ab omnibus suscipi oporteat*. Quare nunc (ut tuis verbis utar) *propemodum verum causæ statum tenemus, in quo nonnihil profecimus*. Profecimus sanè

Concedit  
totū ad-  
uersarius  
quod im-  
pugnat.

Cap. 2.

Cap. 4.

plurimum, quando id totum quod toto hoc lib.  
9. princip. doctrinal. de Ecclesiæ autoritate circa  
Scripturarum approbationem & consignationem  
seu promulgationem docere, confirmare, & stabi-  
lire voluimus, contra varios nostri temporis hære-  
ticos, tu nunc liberaliter nobis concedis: & eo in  
libro ac loco cōcedis, quod in libro ac loco, librum  
illum nostrum præallegatum confutandum tibi  
suscepisti. Vide enim obsecro mi VWhitakere, an  
non eadem prorsus nobiscum dicas. Ego hoc li-  
bro 9. hanc controuersiam tractans per certas as-  
sertiones, totam Catholicam sententiam explico.  
Illarum assertionum prima hæc est. *Non est incon-  
ueniens vt ipsamet S. Scriptura per Ecclesiæ iudicium &  
authoritatem consignetur, populoque fidei tradatur.* Se-  
cunda assertio hæc est. *Necessarium est vt Ecclesiæ au-  
thoritas & iudicium Scripturarum Canonem fidelibus con-  
signet.* Has duas assertiones cæterarum omnium in  
eodem libro fundamenta, tu in verbis tuis citatis  
verissimas esse professus es. Quod enim ego dico  
per Ecclesiæ iudicium & autoritatem Scripturas  
populo fidei consignari & tradi, nec inconueniēs  
hoc esse, sed necessarium; hoc tu dicis, & verbis  
sanè efficacioribus affirmas, *ad Ecclesiam pertinere,*  
(vtique pro autoritate qua pollet & iudicio quo  
valet) *vt Scripturas approbet, promulget, & commendet  
suis omnibus;* atque ita quidem promulget ac com-  
mendet, vt eius hac in re *testimoniū ab omnibus suscipi  
oporteat.* id est, omnes obliget, tanquam cui necessa-  
riò credendum sit. Totam ergo nostram senten-  
tiam amicè amplecteris. Qua igitur in re tibi Sta-  
pletonus displicet? Aut eius hoc in libro 9. quem  
tibi impugandum delegisti disputatio, qua in re  
te offendit.

*Whitakerus.*

Sed \* negamus nos tantum ob illam Ecclesiae  
commendationem Scripturis fidem adhibere. Esse  
enim dicimus certius ac illustrius testimoniū, quo  
nobis persuadeatur hos libros sacros esse; testimo-  
nium nempe internum Spiritus Sancti sine quo  
Ecclesiae commendatio nullius apud nos ponderis  
aut momenti futura esset.

*Stapletonus.*

Quid ergo? Hoc internum Spiritus Sancti testi-  
monium Stapletonus tibi negat? Aut scripturis  
nos fidem adhibere ob Ecclesiae commendationem  
tantum Stapletonus affirmat? Vide igitur & vel  
nunc saltem agnosce, quid in huius libri 9. capit. 3.  
vni argumento Caluini respondens dicat. *Nec cum  
Ecclesiae testimonium aut iudicium predicamus, Dei Spiritū  
vel ab Ecclesia docente, vel à nobis audientibus excludimus,  
(vt vel stultissimè de nobis imaginantur, vel vafre & scelera-  
tè cogitare se fingunt protestantes) sed vtrobique disertè in-  
cludimus. Hunc enim Spiritum Dei & cum Ecclesia Dei in-  
separabiliter coniungi, in his quae sunt fidei tradendis supra  
docuimus lib. 8. cap. 12. & singulis quoque adesse, vt docenti  
Ecclesiae credant, ostendimus lib. eod. cap. 2. & 3.* Vides  
quam disertè testimonium diuini Spiritus inter-  
num profiteor: De quo infra plura dicemus.

Nunc verò quia testimonium hoc internum  
Spiritus Sancti tu hoc loco ita premis, vt nisi illud  
exprimatur, controuersiae statum non rectè poni  
posse tibi videatur, illud hic meminisse debebas, in-  
ternum quidem illud testimoniū necessarium esse  
vt docenti Ecclesiae credatur, vel vt has esse Scriptu-  
ras etiam non docente Ecclesia credatur; sed in hac  
controuersia & in hac quæstione, de hoc interno  
testimonio non disputari. Meminisse debebas quid  
in principio huius lib. 9. semel atque iterum præ-

*Internum  
S. testi-  
monium  
ad præ-  
sentem  
contro-  
uersiam  
non per-  
tinet.*

Lib. 9.  
cap. 1.  
Cap. 3.

Lib. 8.  
cap. 12.  
Ad publi-  
cum Ec-  
clesiæ te-  
stimoniū,  
internum  
Spiritus S.  
testimo-  
nium im-  
pertinens  
est.

Quæst. 3.  
c. 7. pag.  
221.

monui, & me tacente res ipsa loquitur. Sic enim scripsi: *Agitur hic de ordinaria, publica, & externa Canonica Scripturæ certitudine.* Et rursus paulò post: *Testimonium quidem Spiritus Dei est omni authoritate superius; sed ne seductori spiritus sub titulo divini spiritus se ingerant, debet hoc testimonium spiritus publicum esse, non privatum tantum; & manifestum ac certum, non arcanum, ut videlicet non solum sit à Deo testimonium illud, sed etiam constet esse à Deo.* Agitur enim de eo quod fidei est, & publicæ atque communis doctrinæ, de qua omnibus constare debet, quòd à Deo sit. Tale autem publicum & illustre Spiritus S. testimonium in Ecclesia Dei perpetuò residere supra docuimus. Hæc ibi. Dico igitur quando de Scripturarum approbatione, commendatione, promulgatione agitur hoc arcanum testimonium impertinens esse, sed ad publicum Ecclesiæ testimonium hanc rem pertinere. Ne autem quod dixi, arcanum testimonium hac in re impertinens esse, te statim offendat, ne etiam longa eius rei probatione te aut Lectorem detineam, tu ipse Whitakere hoc nos labore leuabis, tuaque confessione rem ita se habere comprobabis. Sic enim in hac tua disputatione, & in hac ipsa quæstione infra scribis. *Ecclesiæ quidem authoritate cogi possumus, ut Canonice Scripturam agnoscamus.* At verò ut in illa tanquam in firma quadam ac solida veritate acquiescamus, nunquam adduci possumus, priusquam internum Spiritus sancti testimonium accesserit. Et hoc argumentum non alijs, sed nobis persuadet: nec contra alios, sed contra nos ipsos valet. Non ergo alios conamur arcano Spiritus testimonio refellere, cum proprium & privatum & internum sit, sed communibus argumentis sumptis ex libris ipsis, atque ex Ecclesiæ iudicio, quæ sunt eiusmodi ut quemvis non perditum permoueant, nec reclamare sinant. Hæc ibi tu. Rursus alio in loco. Spiritus sanctum esse summum scripturæ interpretem dicimus; quia ut

nos certò finis persuasi de vero scriptura sensu, oportet nos <sup>Quæst. 5.</sup>  
 per Spiritum sanctum illuminari, alioqui nunquam illam <sup>c. 3. pag. 309.</sup>  
 quæ fidelium mentibus inest, *πληροφορίαν* assequemur, etsi  
 omnibus medijs utamur. Sed hæc est interna persuasio, &  
 nos ipsos tantum attingit. Alios enim hoc modo non cogi-  
 mus. Hæc tu ibi. Viroque in loco fateris hoc inter-  
 num Spiritus sancti testimonium ad alios persua-  
 dendos, aut ad notitiam ac certitudinem de scri-  
 pturis inducendos nihil facere, nec contra alios, sed  
 contra nos ipsos valere. Atqui in hac controuersia de  
 illa scripturarum certitudine & *πληροφορία* quæri-  
 tur, quæ omnibus persuadeat, quæ contra omnes  
 de scriptura aliqua dubitantes valeat. Eius igitur,  
 vt dixi, consideratio in hac controuersia impertinens  
 est: ideoque sub eius prætextu Ecclesiæ testimonio  
 ac iudicio detrahere frustra niteris. Quum autem  
 dico in hac controuersia hoc arcanum & internum  
 testimonium impertinens esse, ne blasphemiam  
 clamites, totumque sodalitium contra me concite-  
 tes, quasi qui testimonium Spiritus sancti circa  
 scripturarum notitiam ac certitudinem remoueã  
 atque excludam, dabo operam, vt melius me intel-  
 ligas. Arcanum hoc testimonium necessariũ pro-  
 fusus est, vt quis Ecclesiæ testimonio ac iudicio circa  
 scripturarum approbationem credat, neque absque  
 hoc interno diuini spiritus testimonio etiam si mil-  
 lies Ecclesia attestetur, commendet, promulget, ap-  
 probet scripturas, fides consequetur aut audienti <sup>Similibus  
res expli-  
catur.</sup>  
 populo persuadebitur. Cæterum tamen quemad-  
 modum miracula medium per se sunt aptum na-  
 tum ad fidem faciendam, vnde Christus Iudæis in-  
 credulis dixit, *Operibus credite*, quemadmodum ipsa <sup>Ioan. 8.</sup>  
 prædicatio externa Christi testimonium erat suffi-  
 cientissimum & per se aptum natum ad fidem in-  
 generandam, per se inquam in genere causæ exter-

Ecclesie  
authori-  
tas in vni-  
uersum  
ab aduer-  
sario  
impugna-  
tur.

clesiæ authoritatem remouere contendis, vt eius vocem, iudiciũ, ministerium, authoritatem, penitus & in omnibus similiter explodas? An ita in hac vna causa Ecclesiæ authoritatem persequeris & exturbas, vt etiam in omni causa ac loco eandem cupias exturbare? Sanè talia sunt tua argumeta, vt non solum in præsentis causa, sed etiam in vniuersum totam prorsus Ecclesiæ authoritatem, imo & ipsum quoque Ecclesiæ nomen, penitus exturbarent, si firma & valida essent. Hoc igitur in loco vel totius Ecclesiæ totiusque authoritatis Ecclesiasticæ hostem iuratum agis, & <sup>ἀθεοῦ</sup> te atque ethnicum proclamas; vel vnam huius authoritatis particulam dum conuellis, totum ædificium in ruinam trahis, & disputatorem te ineptissimum & præposterum præbes: ac si vel malus medicus dum vnum corporis prauum humorem expellit, totum hominem occideret, vel stultus architectus dum vni parieti ruinam minanti occurrere vult, totum ædificium à fundamentis subuertit.

Ecclesiæ  
veteris ac  
præsentis  
vox ne-  
cessaria.

Quæstionum igitur tuarum impietate demonstrata, nunc ad eas breuiter respondeo. Ecclesiæ iudiciũ & authoritas tum in veteri Ecclesia est, eiusque testimonijs, tum in præsentis Ecclesia eiusque viua voce. Quod igitur quæris vnde certius tibi constet de authoritate Patrum & Conciliorum quàm de scripturæ, V. G. hos esse Augustini vel Hieronymi libros, quàm hoc esse Euangelium Matthæi vel Marci, facile responderetur vtrumque tibi constare per præsentem Ecclesiam eiusque viuam vocem, quæ tibi vtrumque attestatur. Quod autem ex hac responsione inferis, tum præsidium veteris Ecclesiæ relinquendum est, perniculè inferis. Vtrumque enim necessarium est: viua vox præsentis Ecclesiæ mittit nos ad

nos ad veterem, tum ut ex ea veritatem discamus, tum ut utriusque conformitas appareat. Quid ridiculum caput? An quia noui Testamenti scripturis utimur, veteris scripturæ præsidium relinquendum esse clamabis, & Christo contradices, dicenti. *Bonus paterfamilias profert de thesauro suo vetera & noua?* Rursum. An eadem consequentia inferes? Viua vox Ecclesiæ præsentis docet nos Christum hæc & illa docuisse, præcepisse, ordinasse: (Neque enim omnes qui in Christum credunt, scripturas legere norunt, aut si legunt, intelligere possunt, ut statim respondeas hæc ex scripturis ipsis peti posse:) ergo Christi docentis & præcipientis authoritas relinquenda est, & sola sufficit viua vox præsentis Ecclesiæ? Dicam aliud magis familiare, ut tuæ tarditati tam multa quærenti & dubitanti succurram. Magistri & præceptores in scholis viua voce docent quid veteres grammatici & veteres philosophi de vtraque illa scientia tradiderint. An idcirco inferes? Ergo præsidium quod in veteribus istis philosophis ac grammaticis vos magistri & præceptores ponitis, ut relinquatis necesse est? Tam absurdum disputatorem an non omnes grammaticorum & philosophorum scholæ exhibebunt?

Deinde quæris quomodo constet hanc esse vere Ecclesiæ vocem quam præsentem audimus? Et quis hoc quærat nisi qui Christianus non est? Quid enim? Christianus es, & in symbolo profiteris, *Credo Ecclesiam Catholicam*, & adhuc nescis quæ sit vera Ecclesia? An quæ Catholica Ecclesia est, vera Ecclesia nõ est: aut in symbolo aliã credimus Ecclesiam quã quæ vera est? Quomodo igitur de vera Ecclesia quæris tu, si Christianus tu es? An cum debeas magister esse propter tempus, imò te Magistrum ac

Ecclesiæ  
verã vocẽ  
nemo  
Christia-  
nus igno-  
rat.

Hebr. 5.

thoritas ab audientis fide non pendet, nec ab interno testimonio Spiritus audienti dato, quod quidem testimonium audientes saepenumero rejciunt. Hæc statim ab initio paulò fufius explicare volui, quia ut video, perpetua hæc erit tua cantilena & exceptio, quòd non tantùm propter Ecclesiæ testimonium credimus, & quòd Spiritus sancti internũ testimonium certius ac illustrius est. Quanquam & suis locis ad singula plenius respondebitur.

*VWhitakerus.*

§. Sectio.  
\* Vos qui  
estis.

Iniuriosi igitur \* nobis sunt Papistæ, quum affirmant nos Ecclesiæ auctoritatem rejcere, ac nihil æstimare.

*Stapletonus.*

Quia iam secundo conquereris, iniuriam tibi aut tuis, à nobis fieri, eò quod dicimus Ecclesiæ testimonium in causa præsentì à vobis rejci, paucis respondeo. Quum dicis Whitakere, *Iniuriosi nobis sunt Papistæ, &c.* quæro à te quos nos dicis? An te ipsum tuosque Cantabrigienses? At hoc vobis crimen quis imposuerit, ego planè ignoro; nec meo in libro quem hic impugnas, vlla vestri mentio facta est. At si tuos dicis, magnos illos nostri temporis Archihæreticos, Lutherum, Brentium, Magdeburgenses Centuriatas, atque imprimis Calvinum, quatenus illi Ecclesiæ testimonium ac iudicium hac in re vel respuant vel admittant, in hoc 1. cap. huius lib. 9. verbis ipsorum allegatis, explicatum vide. Quorum sanè priores in vniuersum hoc non rejciunt, nec eo nomine à me culpantur; sed vnus Calvinus Ecclesiæ iudicium & auctoritatem penitùs rejcit, docetque *Ecclesiam quando Scripturam recipit, & suffragio suo obsignat, non ex dubia, aut alioqui controversa authenticam reddere, sed quia veritatem agnoscit, esse Dei sui pro pietatis officio nihil cunctando venerari.* Hæc eius

eius verba sunt. A cuius sententia, tu hic longè lateq; discrepas, utinam in alijs omnibus ita discrepares. Profiteris enim tu ad Ecclesiam pertinere non solum ut agnoscat & recipiat scripturas, quod solum Calvinus docet, sed etiam ut eas approbet, promulget, commendet suis omnibus, & quidem ita, ut eius testimonium ab omnibus suscipi oporteat. Denique non improbas hanc distinctionem, Scripturam habere in se authoritatem, sed eam non constare nobis nisi per Ecclesiam. Calvinus contra sic scribit. *Quod autem rogant, unde persuadebimur à Deo fluxisse scripturam, nisi ad Ecclesie decretum confugiamus, perinde est ac si quis roget, unde discemus lumen discernere à tenebris, album à nigro, suave ab amaro.* Hæc ille, Ecclesie iudicium & testimonium ut prorsus superuacaneum penitus reiiciens, ipsamque per se Scripturam omnibus sese commendare, suaque propria luce omnibus innotescere affirmans. Hunc ergò egregium nebulo- nem, & impudentem Ecclesie Dei contemptorem, meritò accusamus, quodq; circa consignationem, commendationem & approbationem Scripturarum, Ecclesie Dei testimonium reiiciat: nec propterea in vos, si Calvinistæ vos estis, ut tu te in hac tua disputatione esse frequenter ostendis, iniuriosi sumus, quum Ecclesie testimonium à vobis reiici affirmamus. Quod & mox ex tuis ipsius verbis certius constabit.

Anglo-  
caluinista  
VWhitakerus  
Caluino  
cōtrarius.

VWhitakerus.

9. Sectio.

Nos enim Ecclesie testimonium libenter amplectimur, eiusque authoritatem admittimus; sed affirmamus longè aliud certius & veriùs & augustius testimonium esse quàm Ecclesie. Summa nostræ sententiæ est, esse scripturam *αυτοπιστον*, id est, ex se suam omnem fidem & authoritatem habere; esse agnoscendam, esse recipiendam, non tantum quia

\* Aperta  
contra-  
dictio.

quia Ecclesia sic statuit, & iussit, sed quia à Deo prodijt. Prodijsse autem à Deo \* non ab Ecclesia, sed ex Spiritu S. certò intelligi.

*Stapletonus.*

Ecclef. 2.  
VWhita-  
kerus sibi  
cōtrarius.

Sapienter nos monet Sriptura. *Va duplici corde & peccatori ingredienti duabus vijs.* Dicis te Ecclesiæ testimonium amplecti, eius sçque authoritatem admittere; sed statim ostendis eius testimonium, eius sç; authoritatem in re præsentiprorfus nullam esse, ac nullius planè momenti. Omitto quod addis, *aliud esse certius testimonium quàm Ecclesiæ*, videlicet testimonium Spiritus sancti internum, de quo iam satis multa diximus. Taceo quòd hic ais *scripturam ex se esse αὐτοπισθόν*, quum illud cuilibet dogmati fidei, cuilibet reuelatæ veritati commune sit, quòd ex se fidem habeat, id est, ex se vera sit, non ex authoritate prædicantis veritatem accipiat, de quo etiam iam multa diximus. Prætermitto quod ais, *non tantum quia Ecclesia sic statuit agnoscendam esse scripturam.* De quo in sequentibus latior & aptior erit disputandi locus; hæc, inquam, nunc prætermitto, quum tu in his omnibus, & per hæc omnia, Ecclesiæ testimonium (quod te libenter amplecti profiteris,) & Ecclesiæ authoritatem (quam te admittere affirmas) extenuare & infirmare contendas. Illud vnum nunc vrgeo, quod postremo loco dixisti, *prodijsse à Deo scripturas, non ab Ecclesia, sed ex Spiritu sancto certò intelligi.* In his, inquam, verbis, alia nunc ingrederis via, & quod prius affirmasti, totum destruxisti, hominem duplicis cordis te esse demonstrasti. Quid enim? An non paulò superius dixisti, *Ecclesiæ testimonio scripturas ita approbari, promulgari, & commendari omnibus, vt hoc testimonium ab omnibus suscipi oporteat.* Quid est autem per Ecclesiam *scripturas approbari*, nisi eos Dei verbum esse, & à Deo prodijisse, per Ecclesiæ

**Ecclesiæ approbantis testimonium omnibus constare?** Quid est *eas promulgare, alijs & commendare*, nisi id efficere, ut ab alijs certò intelligatur eas à Deo prodijisse: Certò, inquam, intelligatur, quia *Ecclesiæ testimonium ab omnibus suscipi oportet?* Nunc verò in alium repente virum mutatus, ais non ab Ecclesia approbante, vel testificante, vel promulgante, vel commendante, *sed ex Spiritu sancto certò intelligi posse prodijisse à Deo Scripturas.* Si non ab Ecclesiæ testimonio certò intelligi potest scripturas à Deo prodijisse, quàm tu sceleratus & nefarius es, qui *Ecclesiæ testimonium de illis approbandis, agnoscendis, recipiendis, promulgandis, commendandis ab omnibus suscipi oportere affirmasti?* Itane ad Ecclesiæ testimonium ea in re suscipiendum me coges, qua in re per Ecclesiæ testimonium nihil certò possum intelligere? Ergo ad cæcos duces nos omnes Whitakere (omnes dicò, quia *ab omnibus Ecclesiæ testimoniū suscipi oportere affirmasti*) mittis, ut cæci cæcos sequentes, omnes in foueam ignorantiae cadamus? Hic te sublimem teneo disputator absurde, & quadrupedem ostendo. Aut enim in priori illa tua liberali confessione mentitus es in animam tuam; aut in hac posteriori assertionem tuam mentitus es contra verba tua. Hæc si vera non sunt, age disputator acute, & quod à Deo ipso fieri non posse omnes Theologi docent, id tu effcito, ut duo contradictoria sint vera. Hæc est enim manifesta & palpanda tua contradictio. *Ecclesiæ testimonium approbat, promulgat, & commendat scripturas; & hoc eius testimonium est verum, & ab omnibus suscipi oportet. prodijisse tamen scripturas à Deo, non ab Ecclesia sed à Spiritu S. certò intelligi potest.* Cæterum hoc est hæreticum esse & Catholicum videri velle. Hoc est absurdis opinionibus imbui, & earum absurditate carere velle.

Probatur  
 contradi-  
 ctio ma-  
 nifesta.

velle. Hoc denique est inter duas aquas (quod dicitur) natando fluctuare, vt dum per alterutram emergere nequit, inter vtramque submergendus maneat. Tu enim VWhitakere, vt orthodoxus viderere, nos que tibi iniuriosos probares, qui Ecclesie testimonium & auctoritatem à vobis negari dicimus (vt tua deplorat quærimonia) & vt auditoribus tuis, veritatis studiosis, aliquem veritatis gustum porrigeres, confessionem illam orthodoxam de Ecclesie testimonio scripturas approbante & promulgante ab omnibus suscipiendo præmittere voluisti. Ne tamen à tuorum placitis, Caluini maximè, recessisse viderere, mox in eadem pagina pedem refers, & negas prorsus ab Ecclesia certò intelligi posse, quod Scripturæ à Deo prodierint: Sic bonum lac quo tuos auditores lactaturus videbare, vbi primum in codicem tanquam in situlam, vnde hauriretur, retulisses, statim propositione contraria, velut improba vacca petulcis calcibus subuertisti.

10. Sect.

*VWhitakerus.*

\* Absurdum & absurdum & absurdum

Ecclesiam verò intelligimus, non vt illi, Pastores, Episcopos, Concilia, Papam, \* sed totam fidelium multitudinem.

*Stapletonus.*

Ecclesie nomine totam fidelium multitudinem intelligi non posse.

Hanc insanam hæresin tuam, in quinto & sexto principior. doctrinal. libr. quorum tu hic nonum tibi impugnandum delegisti, satis copiosè refutauimus. Sed & quàm facilè etiam hoc loco refutari queat, aduerte. Hic quippe vel priorem illam tuam confessionem orthodoxam de Ecclesie testimonio ab omnibus suscipiendo, totam rursus subuertisti, vel illa certè confessio, hanc tuam nunc Ecclesie descriptionem subuertit. Age etiam VWhitakere; si Ecclesia, cuius testimonium ab omnibus

omnibus suscipi oporteat (quod prius dixisti) non pastores, Episcopos &c. sed totam fidelium multitudinem significet, doce quæso quomodo totius multitudinis testimonium ab omnibus suscipi oporteat. Quid est enim tota fidelium multitudo nisi omnes & singuli credentes, quibus ipsa scriptura, ut cætera credibilia, per Ecclesiam promulgari, & commendari debet? Hæc est ergo tua doctrina Professor egregie. Ecclesiæ testimonium ab omnibus & singulis suscipi oportet, ipsa Ecclesia sunt isti omnes & singuli fideles. Ergo omnes & singuli fideles sibi ipsis testimonium præbere, suum proprium à seipsis testimonium suscipere, denique circa scripturarum approbationem, promulgationem & seipso audire, seipso docere, sibi ipsis discipuli & magistri, oves ac pastores, partes & iudices esse debent. Aut hoc, vir bone, concludere necessario debes, ex tuis præmissis, aut certè nihil concludis, sed ut pessimus architectus, quæ semel ædificasti, destruis, & scholam contradictionis aperis, & non nisi repugnantia & *à vis a vis* dices. Tali professore Regio floreat Cantabrigia necesse est.

Arifurda  
aduersarij  
doctrinae

Vide enim adhuc semel absurditatem tuam. Si aliquod est Ecclesiæ testimonium circa approbationem scripturarum quod ab omnibus suscipi oporteat, ut tu affirmasti, profectò illa Ecclesia testimonium præbens, suoque testimonio approbans, distincta esse necessario debet à tota fidelium multitudine, quæ haud dubiè illi omnes sunt, qui Ecclesiæ testimonium suscipiunt. Et ita se habet rei veritas ut locis citatis comprobauimus. Sed videamus quàm appositè hanc tuam absurdissimam sententiam probas.

Alia ab-  
surditas.

*Whitakerus.*

Ea\* enim didicit ex Spiritu sancto hanc scripturam

ram

11. Sect. ram esse sacram, hos libros esse Canonicos. Hanc  
 \* Proba- persuasionem Spiritus S. in omniū fidelium menti-  
 tio insul- bus consignavit.

Aburdif-  
 sima ar-  
 gumenta-  
 tio.

*Stapletonus.*

Doctoris  
 indocti  
 ignoratia.

Hæc igitur est tua collectio. Tota fidelium  
 multitudo à Spiritu sancto didicit has esse scriptu-  
 ras; Ergo tota fidelium multitudo est illa Ecclesia,  
 quæ testimonium perhibet scripturis quod à Deo  
 sunt, quæ commendat, promulgat, & approbat  
 illas, denique de qua in hæc controversia quaritur.  
 Hoc sanè argumentum, si bonum est, probabis  
 quoque Whitakerè, te vnum esse Ecclesiam. Sic  
 enim tecum argumentor. Guilielmus V Whitake-  
 rus à Spiritu sancto didicit, hæc scripturam esse  
 sacram, & hos libros esse Canonicos, hæcque per-  
 suasionem Spiritus sancti in V Whitakeri mente  
 consignavit. Ergo Guilielmus V Whitakerus est  
 Ecclesia, non pastores, Episcopi, &c. vt Papistæ vo-  
 lunt. Doctor indocte discas oportet, Ecclesiæ au-  
 thoritatem testificandi, promulgandi, & commen-  
 dandi scripturas longè alio principio ac fundamen-  
 to niti, quàm hac interna persuasionem Spiritus san-  
 cti. Hæc enim vt tute ipse in locis à me supra nota-  
 ris fatebare, nos ipsos tantum spectat non alios. Ec-  
 clesia igitur quæ suo testimonio scripturas alijs  
 commendare & promulgare debet, non hæc so-  
 lam internam persuasionem, vt habeat oportet,  
 (quæ tantum ad priuatam cuiusque Pastoris fidem  
 valet) sed authoritatem præterea à Christo accipere  
 debet docendi, prædicandi, testificandi ea quæ sunt  
 fidei, & inter cætera sacras scripturas promulgandi  
 & consignandi. Tota fidelium multitudo habet  
 Spiritum sanctum vt credat; sed nunquid etiam vt  
 doceat, vt prædicet, vt testificetur, vt suo testimo-  
 nio approbet &c. Cæterum hic obiter obserua,  
 Christiane

Christiane Lector, cur isti hæretici Ecclesiæ nomine, quum de eius autoritate agitur totâ fidelium multitudinem intelligi volunt, non Pastores Episcopos, Concilia, vt iste dicit. Sanè quia Pastores, Episcopos, Concilia, non habent: nec vllos episcopos, vlla Concilia proferre possunt, qui ipsorum dogmatibus suffragentur.

*VWhitakerus.*

Status igitur Controuersiæ est, vtrum credendum sit has scripturas quas habemus sacras ac Canonicas esse, tantummodo propter Ecclesiæ testimonium, an potius propter internam Spiritus S. persuasionem: quæ facit vt quæadmodum Scriptura est in se Canonica atque authentica, sic nobis quoque videatur, & sine qua Ecclesiæ testimonium mutum atque inualidum est.

*Stapletonus.*

Status controuersiæ quem tu hic ponis, quasi inter nos & te, nullus est, commentum tuum est, chimaera est, a te stultissimè inuenta, vt quum postea argumentis nostris pro Ecclesiæ maxima autoritate conuictus, ad rem respondere nequeas, hoc perfugium, hoc asylum, hoc latibulum, hanc quasi vulpes foueam habeas, qua caput in tuto ponas, vt tota sublequens disputatio cum tua magna ignominia docebit. Quid mi VWhitakere? Cōtrouersia inter nos est, an propter Ecclesiæ tantummodo autoritatem has esse Scripturas credendum sit, ac non potius propter internam Spiritus S. persuasionem ad hoc vt qui Ecclesiã audit, de facto credat? Vide igitur professor asinine quam in ipso vestibulo turpissimè impingas, quam in toto cardine futuræ disputationis, fœde mentiaris. Ego quem tibi impugnandum delegisti, & inter quem & te (contra eum disputaturus) hunc statum ponis, in eo ipso

*Aduersarij  
turpis &  
affectata  
ignorantia  
in ipso  
causa fundamento.*

libro quem impugnas (homo stupidissime) accurate  
 frequenter & ex instituto prorsus contrarium do-  
 cui. Nam lib. 8. qui hunc nonum quem impugnas  
 proximè præcedit (adeò in propinquo erat quod  
 cernere debebas) disputaturus de Ecclesiæ autori-  
 tate circa obiecta fidei promulganda, quæ, qualis,  
 & quanta sit in seipsa primum & ante omnia, ne  
 asinus aliquis solius Ecclesiæ auctoritatem a me  
 commendari existimaret, has propositiones seu  
 Assertiones præmitto, probo, confirmo. Primum,  
*Impossibile esse sine habitu fidei infuso* (quæ est interna  
 persuasio Spiritus Sancti vt tu semper stilo Calui-  
 niano loqueris) *actu fidei iustificantis credere*. Secundo:  
*hoc fidei Donum a Deo infusum adeo esse ad credendum  
 causam efficacem, vt possibile sit actu credere omnia cre-  
 enda* (quorum vnum hoc est, credere has esse Scri-  
 pturas) *per solam fidem infusam absque testimonio, doctri-  
 na & magisterio Ecclesiæ*. Quibus duabus conclusio-  
 nibus demõstratis, quæ solæ manifestissimè docêt,  
 mendacium hoc tuum luculentum esse, quo fin-  
 gis docere nos, quod *propter Ecclesiæ tantummodo te-  
 stimonium* has esse Scripturas credatur; postquam  
 in sequenti disputatione eiusdem libri per multa  
 Capita ostendissem, 1. Nihilominus iuxta ordinem  
 a Deo institutum, externa adiumenta ad fidem in-  
 generandam esse necessaria: 2. hæc media externa  
 non consistere in sola Scriptura. 3. vocem & testi-  
 monium Ecclesiæ esse medium externum ad cre-  
 dendum a Deo ordinatũ; 4. hanc vocem Ecclesiæ  
 esse medium necessarium, non vtile tantum quasi-  
 que indifferens, vnde sequitur obedientiam fidei  
 esse obedientiam Ecclesiæ, & sapientiam fidei esse  
 sapientiã Ecclesiæ. 5. vocem Ecclesiæ esse medium  
 certum & regulam infallibilem ipsius fidei. 6. vo-  
 cem Ecclesiæ non esse merè humanam, sed suo  
 modo

Lib. 8.  
Cap. 2.

Cap. 3.

Cap. 4.

Cap. 5.  
Cap. 6.  
Cap. 7. 8.

9.  
Cap. 10.  
& 11.

Cap. 12.  
& seq.  
Cap. 16.  
& seq.  
Cap. 19.

modo diuinam: ac postremò propter hæc omnia Ecclesiam esse matrem omnium fidelium sicuti deus est pater: quòd hæc inquam omnia per varia Capita demonstrassem; ne tamen ita hæc omnia Ecclesiæ me tribuere, quispiam opinaretur, vt etsi nõ solam eius vocem commendarem (quod satis antea in 2. & 3. capitibus ostensum fuit) saltem potius qualique certius aut verius medium ad credendum illam esse, quam sit interna Spiritus Sancti persuasio, affirmare vellem; iterum disputo, non esse Ecclesiam totam formalem rationem fidei nostræ aut vltimam eius resolutionem, quasi in ea tanquam authoritate quadam omni modo & simpliciter suprema sistere debeat fidelis animus; sed contrà formalem fidei nostræ rationem esse deum intus reuelantem, & vltimam fidei nostræ resolutionem esse deum veracem, denique quod Ecclesia quidem prædicãdo foris admonet potius quam intus docet, proponit, commendat, testificatur; sed quod cathedram in cælo habet qui corda docet, & vnctio docet nos de omnibus. Quo etiam in loco exactius quo tunc potui ostendere conatus sum, quomodo cum Ecclesiæ externo magisterio, interna vnctio sic concurrat, vt & hæc primas partes ad efficacem persuasionem obtineat; & cum hac tamen, Ecclesiæ externa vox audiri debeat: & quidem propter dei ordinationem qui per Ecclesiæ externum ministerium nos intus per suæ gratiæ vnctionẽ docere voluit (quod & vberius in hac sequenti defensione nostra ex Scripturis demonstrabitur) propterque nostram vel infirmitatem, qui hoc externo medio indigemus vel superbiam, vt in vnitatem fidei contineamur, necessario audiri debeat. Tu ergo VWhitakere maiori impudentia quam quæ facile explicari queat, cum in

Cap. 20.  
21. 22. &  
23.

Impudẽ-  
tia VVhi-

hac controuersia & questione sensum nobis impingis, qui à nobis maximè reprobatur: eum sustines ac defendis, quasi que negatum pro controuerso inter nos ponis, qui à nobis studiosè confirmatus est: & quidem in eo Opere confirmatus, cuius tu particulas quasdam tibi impugnandas suscepisti. Quæ sanè ita quum sint, vix fortassè opere precium fore multis videbitur, tecum hac in re ampliùs contendere aut disputare. Cæterum quia tu hunc quidem statum controuersia posuisti, vt hac quasi rima elaberere, quum te nostra argumenta constri-

Cur statum  
controuersia  
conuertit ad-  
uersarius.

Cur au-  
thor de-  
fensionem  
hanc sus-  
cepit.

ctum tenent; reuera autem totam Ecclesie hac in parte authoritatem conuellere & subuertere modis omnibus conaris, propterea ad authoritatis Ecclesiasticæ defensionem, Christi que gloriam, qui eam instituit, & ad tam necessariæ veritatis (sine qua tota fides nostra periclitatur & luxata ac disiecta iacet) ampliorem explicationem, cætera quæ in hac causa scribis, omnia & singula examinabo.

---

Q V A N T A E C C L E -  
S I Æ E R G A S C R I P T V R A M  
A V T H O R I T A S T R I B V A T V R .

C A P . I I .

*VWhitakerus.*

*I. Sect.* **R**ESTAT iam vt ad Papistarum argumenta accedamus. Sed prius explicandum est, quantum Ecclesie authoritatem, tum illorum, tum nostra opinione scripturam exerceat.

*Stapletonus.*

Nunc igitur primùm, statum controuersia inter  
te &

te & aduersarium quem quæris, ponere cupis. Status enim controuersiaë & τὸ κριναμενὸν illud est, quod vtraque pars controuertens de re proposita in vtramque partem definitè sentit. Qui ideò ante omnia, quasi scopus certaminis eminenti in loco collocatus, dilucidè exponi solet, vt sciat Lector quid vel huic parti sustinere, vel alteri impugnare incumbat: atque ita dijudicet vter felicius scopum suum attingat, vter probabilius sententiam suam defendat. Hoc igitur tu, quum in præcedenti capite te facturum dixeras, sed quæstionē potius ipsam agitando, quàm quæstionis statum figendo, rem infectam reliquisses, nunc iterum id te facturum promittis. Tam es scilicet in docendo methodicus & in disputando acutus. Videamus an id nunc feliciùs agas.

Sect. 12.

*VWhitakerus.*

Ex omnibus Pontificijs Stapletonus acutissimè 2. Sect. hanc quæstionem pertractauit. Eum ergo potissimum in hac causa examinabimus.

*Stapletonus.*

Si hoc tuum de meo opusculo iudicium vir quispiam grauis & doctus & pius tulisset, haberem de quo in Domino gauderem. Nunc hanc ex ore tuo commendationem hominis inconstantis ac leuis, (vt qui repugnantia frequenter doceas) indocti & rudis (vt qui ineptissima facis argumenta) ac postremò hæretici & sano iudicio vacui, perinde ac si nulla esset, accipio. Quòd autem me ad examen tuum vocare volueris, accipio libenter. Det Deus veritati gloriam, & falsitatis magistram aut corrigat aut confundat.

*VWhitakerus.*

Is 9. lib. doctrinal. principior. 2. cap. distinctione 3. Sect. \* Menda-  
quadam vtitur, quam \* à Coclæo accepit. Ait igi- cium.

tur scripturam dupliciter cōsiderandam esse, nempe quoad se & quoad nos. Quoad se, & ex se, ex auctore suo semper sacram esse dicit, siue ab Ecclesia acceptetur, siue non acceptetur. Licet enim (inquit) repudiare nunquam potest Ecclesia scripturam, quia à Deo profecta est, tamen aliquam Scripturæ partem non acceptare aliquando potest.

*Stapletonus.*

Agnosco hanc à me distinctionem loco citato positam esse, vt ad sensus Catholici explicationem necessariam, vtque clariùs intelligeretur quomodo, & quatenùs Ecclesiæ testimonio scripturæ approbentur. Tu verò meis te studijs & libris valdè familiarem facis, qui affirmas hanc distinctionem à Coclæo me accepisse, quū ego sanè Coclæi aliquid quod ad hanc rem faciat, nunquam viderim, ac ne audiuerim quidem. Sed nunc vt hanc tu distinctionem conuellas, aduertamus.

*VWhitakerus.*

4. Sect.

\* Ignorantia crassa  
Doctōris indocti.

Sed \* quid quæso interest inter non acceptare ac repudiare? planè nihil. Qui enim Deum non acceptat, is eum repudiat: & sic quidem Ecclesia scripturas illas quas non acceptauit olim, planè repudiavit. Quæro enim quare eas non acceptauerit? Ratio sanè hæc fuit, † quia eas adulterinas esse iudicauit; in quo sanè † falli potuit.

† Error duplex.

*Stapletonus.*

Næ tu subtilis & acutus disputator es, qui sic ratiocinaris. Qui Deum non acceptat, is eum repudiat. Ergo Ecclesia quas scripturas non acceptauit, eas repudiavit. Domine argumentans nego tibi antecedens, & si prolixius disputare vellem adderè quoque negandam esse consequentiam. Quid tu professor Regie, nihil interesse putas inter eum, qui Deum non acceptat, & qui Deum repudiat? Nulla

est

est distinctio infidelitatis negatiuæ & positiuæ? Sed in tua fortè schola hæc distinctiones non audiuntur. Dicam igitur apertius, vt intelligas Doctor indocte. Multi infideles Deum non acceptant, in Deum non credunt, quia de vero Deo nihil vnquã audierunt. *Quomodo enim credent ei quem non audierunt? aut quomodo audient sine prædicante?* Alij infideles & audiunt prædicationem de vero Deo, & repudiant, reijciunt, contemnunt. *Non enim omnes obediunt Euangelio.* An inter hos nullum discrimen esse existimas? Quum Christus Iudæis dicebat: *Si non venissem, & loquutus eis non fuisset, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo,* quod quæso peccatum dicebat, nisi magnum illud infidelitatis positiuæ, quo audientes credere noluerunt, id est, quo Christum repudiabant: & vt postea Paulus illis dixit: *verbum Euangelij repellebant.* An eodem peccato omnes peccauerunt, qui verbum Euangelij nunquam audierunt, ideoque non acceptarunt; imò si Paulo credimus, nec acceptare potuerunt? Ait enim: *Quomodo credent ei, quem non audierunt?* ordinariè scilicet, & citra priuilegium vocationis alicuius immediatæ? An non Christus apertè dicit Iudæos de hoc peccato excusandos fuisse, si eius prædicationem non audiissent? Excusantur ergo qui non audierunt, excusantur inquam non omnino, ita vt saluentur, sed ab illo peccato incredulitatis positiuæ, quia ideò non credunt, quia nolunt credere. Aliud igitur & longè aliud est Deum non acceptare, & in Deum non credere, sicut illi qui de Deo non audierunt; aliud verò Deum repudiare, audito Euangelio non obedire, agnitæ veritati resistere, sicut illi qui audientes credere noluerunt. Illorum enim incredulitas non peccatum nouum, sed veteris peccati (originalis

Infidelitas duplex

Rom. 10.

Ioan. 15.

Act. 15.

Rom. 10.

Serm. 11.  
de verb.  
Dom. &  
tract. 89.  
in Ioan.

scilicet) poena est: Horum incredulitas & peccatum & magnum peccatum est, & vt Augustinus illud vocat, *horrendum, & quo tenentur cuncta peccata.* Tu verò magister es in Israel, & hæc ignoras? Aut fortè ideo ignoras, quia non magister in Israel es, sed Samaritanus pseudomagister, qui *adoras quod nescis, & doces Theologiam quam nunquam didicisti.* Certè in scholis nostris, qui hanc distinctionem ignoraret, nec ad infimum huius sacræ scientiæ gradum admitteretur. Concludo igitur in præsentī causa. Sicuti in quolibet obiecto fidei, aliud est illud non acceptare, quia illud aliquis non didicit, aliud repudiare, quia discere non vult, sic in certis & definitis scripturarum libris, aliud est aliquam earum partem aliquando non acceptare, aliud verò repudiare: quod adhuc ex sequentibus magis elucescet.

Ioan. 4.

Errores  
duo in  
parua  
sententia.

Quæris tamen tu cur Ecclesia scripturas aliquas non acceptauerit, & respondes. *Ratio certè hæc fuit, quia eas adulterinas esse iudicauit, in quo sanè falli potuit.* Sic tu in vna breui sententia duos ingentes profers errores. Ingens & grauis error est, quòd Ecclesia aliquam scripturæ partem ideo aliquando non acceptauerit, eo quòd illam adulterinam iudicauit. Ingens iterum & grauis error est, Ecclesiam in suo iudicio falli potuisse, maximè in re tam graui tantiq; momenti quanta est, scripturas veras ab adulterinis rectè discernere. Quem errorem, aut alium quemuis errorem grauem circa materiam fidei, in Ecclesiam cadere non posse, in hoc Opere nostro de princip. doctrinal. accuratè demonstrauimus: tum in genere & in thesi lib. 8. tum in hac præsentī hypothesi hoc lib. 9. Contra quæ, quæ hic disputasti, postea suo loco examinabuntur. Interim vt tibi magis satisfiat, ad tuum hunc in hac hypothesi errorem refutandum, non alium quàm te ipsum profe-

proferemus. Quid enim? Nonne præcedenti cap. dixisti. *Ecclesiæ testimonium circa scripturas approbandas* soct. e. *promulgandas, commendandas verum esse, & ita verum ut illud ab omnibus suscipi oporteat?* Hæc sunt tua ipsissima verba. Si verum est *Ecclesiæ testimonium*, quomodo adulterinas eas scripturas iudicare potuit, ideoque ad tempus non acceptare, quas postea acceptavit, & approbavit? Si *Ecclesiæ testimonium in scripturis approbandis ab omnibus suscipi oportet*, quomodo in iudicio suo circa scripturas approbandas falli potuit? Quid? An errantis *Ecclesiæ testimonium ab omnibus suscipi oportere vis?* An hanc Theologiam Cantabrigiæ doces Professor Regie? Tantus Aduersarius à se ipso refutatur. est videlicet Theologus VWhitakerus, tam subtilis Professor, tam acutus disputator, ut ad VWhitakerum refutandum, non nisi ipso VWhitakero opus sit. Tui sanè me pudet, qui in tam paucis adhuc verbis tam multa vel absurda vel repugnantia docuisti: Tuorum verò auditorum, totiusque Scholæ Cantabrigiensis me miseret.

Vide enim adhuc semel in his tuis verbis quàm absurdè loqueris. Quæris cur Ecclesia aliquas scripturas nō acceptavit. Respondes, *Ratio hæc fuit, quòd eas adulterinas esse iudicavit.* Ab absurda aduersarij doctrina. Atqui si adulterinas esse iudicavit, iam nō solū eas non acceptavit, sed etiā repudiavit, non solū nō approbavit, sed & reprobavit. Quæ si tu semper eadē esse, & nihil differre vis, vide iterū quo te absurdo implicatū teneo. Maxima pars orbis Christiani hanc tuā disputationē nō approbavit, nec acceptavit, quia nunquā vidit, nunquā legit, ac nec de ea quicquā audiuit. Ergo maxima pars Christiani orbis tuā disputationē reprobavit, repudiavit, adulterinā & falsam esse iudicavit. Hęc tibi collectio placet? Si nō placet, tua quoque collectio prorsus costimilis displiceret tibi debet.

hoc illis accidere solet, qui veris rerum causis & aperta veritate superbè reiectis, nouas è suo cerebro comminisci, & per deuia errorum vagari volunt. Veram quippe huius rei causam, cur Ecclesia certas scripturæ partes aliquando non acceptauit, eam esse ostendi, quòd non omnia quæ creduntur, omni semper tempore credenda proponuntur, sed paulatim & per partes, non ipsa sanè fides, sed eius explicatio crescit. Hanc tu rationem auertere nolens, aliam es commentus, vt nunc vides, absurdissimam. Sed & illam nostram vellicare ac refutare contendis.

*VWhitakerus.*

5. Sect. Sed pergit Stapletonus, & ait: Ecclesiam suo iure posse aliquos aliquando libros non acceptare; & ostendit dogmata quædam à recentioribus Ecclesijs iam acceptari, quæ prius acceptata non fuerunt: quæ si iam quispiam repudiare vellet post Ecclesiæ acceptionem, eum hæreticum iure optimo dici & existimari debere. At\* affirmo nulla dogmata in articulos fidei relata iam esse, quæ ab antiqua Ecclesia Apostolorum temporibus acceptata non fuerunt, adeo vt terrauerint omnes illæ Ecclesiæ, quæcunque prius non eadem acceptarent. Sed instat ille in quibusdam, & capita quædam profert, quæ primò non acceptata fuisse dicit, nempe dogma de processione Spiritus sancti, de creatione animarum immediatè à Deo; de hæreticorum baptismo non iterando. At affirmo iterum dogmata hæc omnibus temporibus vim suam habuisse; adeo vt si iam sit hæreticum illis non assentiri, idem \* semper hæreticum fuerit. Dogmata enim Scripturarum non mutantur in Euangelio, sed semper ex æquo necessaria sunt. Eò recidunt omnia quæ affert Stapletonus, vt ostendat eos libros, qui antea ab Ecclesia recepti

\* *ἀπίστος*  
*ἔσθαι.*

\* *Forcus*  
*error.*

\* *Paradoxum*  
*ab*  
*ignorantia*  
*profectum.*

recepti non fuerunt, esse iam ob externum\* tantum\* Mendacium luculentum.  
Ecclesiæ testimonium recipiendos.

*Stapletonus\**

Si huius disputationis tuæ vitia singula, mendacia, absurda, repugnantia, notare & refutare curiosè vellem, in immensum cresceret hæc defensio. Tam enim eneruiter disputas, & ita ad omnem aduersarij ictum expositus nudus & inermis iaces, vt commiserendi potius quàm ferendi modus ac via ab accerrimo etiam, vindictæ quæ auidissimo aduersario quæri debeat: vt facile iam conijciam defensionis huius nostræ eum exitum fore, vt & ego verberando, & tu vapulando, vterque fatigandi simus. Sed agam, vt potero, breuissimè, quantum absque iniuria veritatis licet. In his tuis verbis, primum id falsum est quod scribis dicere me, *posse Ecclesiam suo iure aliquos aliquando libros scripturarum non acceptare.* Ego illa verba non dixi, nec in loco quem refutas, illa verba inueniuntur. Cur mentiri libet vir bone, & in Cathedra veritatis magistrum esse mendacij? An ideo hunc falsum sensum mihi affingis, vt talem esse Ecclesiæ potestatem docere videar, quæ pro suo iure posset aliquando libros aliquos scripturarum non acceptare, & iterum pro suo iure quando ita videretur, eosdem acceptare? Non est ea nostra sententia. Docemus nos posse Ecclesiam aliquando aliquos libros non acceptare, eo quòd eos adhuc libros nondum expenderit, sint ne acceptandi vel non; vel quia occasio id faciendi data non fuerit, vel quia alijs intentam doctrinis, aut afflictatam molestijs, de ea re seriò cogitare non licuerit: non autem ideo non acceptare, quia suo iure potest eos vel acceptare, vel non acceptare.

Mendax  
magister  
est aduersarius.

Deinde ad alia fidèi dogmata, similiter non ab exordio Ecclesiæ, sed successu & progressu temporis ac-

Ridicula  
aduersarij  
impuden-  
tia.

ris acceptata, quæ illic protuli, vt in causa simili si-  
mitem Ecclesiæ praxim ostenderem, Deus bone  
quàm neruosè, quàm solidè penè dixeram, stolidè  
respondes? At affirmo, inquis, *contrarium*. Et adhuc se-  
mel: At affirmo iterum *dogmata hæc omnibus temporibus*  
*vim suam habuisse, &c.* Ergo eximie Domine Pro-  
fessor, tua simplex affirmatio, iusta erit & firma re-  
futatio? Esto in Cathedra tua Regia alter Pythago-  
ras apud tuos discipulos fueris, vt illic & apud illos  
obtinere potuerit, omnemque dubitationi finem  
imponere, *αὐτὸ ἐστίν*. Sed cur ita vanus es, vt etiam  
apud omnes, qui hanc tuam disputationem legēt,  
eandem tibi authenticam potestatem arroges? &  
quidem in ea sententia refutanda, quæ est apud o-  
mnes Theologos vnanimi consensu receptissima?  
nisi fortè quia Theologus non es, nec in Theologi-  
ca disciplina adhuc versatus, audacem te ignoran-  
tia facit, vt solent luscii caballi esse omnium auda-  
cissimi. Aut fortè non simpliciter adhuc affirmas,  
sed affirmationis quoque tuæ quasi *αιτιολογίαν* sub-  
iungis. *Dogmata enim scripturarum non mutantur in*  
*Euangelio, sed semper ex æquo necessaria sunt.* Vis hæc tua  
verba probationis loco censeris? Sed quid aliud sunt  
quàm eiusdem rei alijs verbis alia & noua affirma-  
tio, planeque principij petitio? Hoc enim ipsum  
est, quod probare debes contra tot exempla à me  
prolata, *Dogmata scripturarum non mutari in Euangelio,*  
hoc sanè sensu quem subiungis, quod *semper ex*  
*æquo necessaria sunt*. hoc est, quod à nobis æquè ne-  
cessariò credenda sunt, & quod semper ex æquo  
credenda ab Ecclesia proposita & explicata sunt.  
Nam omnia illa fidei dogmata à me prolata, quæ  
Ecclesia pro huiusmodi post multum temporis tra-  
ctum acceptauit & definiuit, *nihilominus in se verita-*  
*tes fuisse certissimas* eodem in loco affirmo. Et rursum

Probat i-  
dem per  
idem.

no: *Erant quidem semper articuli verissimi, sed varijs & certis temporibus ab Ecclesia traditi &c.* Quare dogmata Scripturarum non mutari in seipsis sed semper ex æquo necessaria hoc est ex æquo vera esse, si in illis verbis dicere voluisti, ad rem propositam confirmandam & de quæstione præsentis nihil dixisti. Rem ergo eadem alijs verbis repetisti: & tuam affirmationem non aliqua probabili ratione confirmasti, sed noua affirmatione infirmam & ridiculam fecisti.

Iam verò qui factum est vir bone, vt dū dogmata fidei ab Ecclesia tandem acceptata quæ prius acceptata non fuerant, a me commemorata, tu proferas, tria tantum eorum proferas, & cætera capita silentio inuoluis? Cur ea maximè quæ ex Scripturis commemoraueram præterire voluisti? An non si aliqua tacere oportuit, quæ tamen ex Scripturis petita sunt, tacere minimè oportuit? Sed ignauus aduersarius omnia in medium proferre non es ausus, quia nec ad vnum quod respōderes, quicquam habebas. Ego verò eadem exempla iterum repeto vt tua hic ignauia & dementia clariùs elucescat: ignauia, qui nihil respondere potuisti; dementia qui nihilominus tã absurdum paradoxum absque vlla probatione sustinere voluisti. Posui hoc exemplum ex Scripturis. *Nomen meum Adonai non reuelauit illis, Abraham scilicet Isaac & Iacob.* Quid hoc nomē Adonai hoc loco significet, aut illa reuelatio quanti momenti ad fidei explicationem fuerit, non est hoc loco operosius explicandum. Quicquid illud fuerit, quum deus iam primum hoc nomen Moyfi, & verbo & factis illustribus reuelauerit, & hanc singularem suam ac nouam reuelationem deus Moyfi tam disertè explicauerit, idque eo tempore quo ad nobilissimam illam legationem obeundam qua filios Israel ex Ægypto educeret, ani-

mare

Aduersarius ignauus præcipua prætermittit.

Dogmata religionis non omnia simul publicari.

Exod. 6.

mare eum vellet, magni hand dubiè momenti rem fuisse dubitari non debet. Nunc quæro abs te vir bone. Abraham Isaac & Iacob quibus hoc nomen indicatū non fuit, ideoque illi reuelationi assentiri non potuerunt, an quia non sunt assensi, ideo hæretici fuerunt? Sic enim affirmas tu. *Affirmo (inquis) dogmata fidei omnibus temporibus vim suam habuisse, adeo ut si iam sit hæreticum illis non assentiri, idem semper hæreticum fuerit.* An forte dices, nomen Adonai non esse iam de fide? & Scripturarum veritatem negabis? Sed aliud exemplum quod ex Scripturis tunc protuli magis vrget. Dicit Apostolus. *Quod aliis generationibus non est agnitum filijs hominum, sicuti nunc reuelatum est Sanctis Apostolis eius & prophetis in Spiritu, gentes esse cohæredes & concorporales & conparticipes promissionis eius in Christo Iesu per Euangelium.* Dicit vocationem gentium ad fidem Euangelij non fuisse in alijs generationibus agnitam, nempe ante predicationem Apostolorum, sed nunc reuelatum hoc esse &c. sicuti primum Petro reuelatum hoc fuit in visione lintei de cælo demissi, quo omnia animalia munda & immunda continebantur. Quæro nunc iterum abs te, disputator acute, hoc fidei dogma, gentes esse Euangelij participes, si ante hanc reuelationem factam Iudeus aliquis negasset, hæreticus tuo iudicio censeretur? Agam pressius. Ipse D. Petrus qui ante hanc visionem acceptam hac de re dubitare videbatur, ideoque eo tum temporis puncto hanc visionem accepit, quo ad Cornelium gentilem (qui primus ex gentibus baptisatus a Petro fuit) baptisandum vocandus erat: aut (quia de D. Petro problematicum magis hoc est, opinantibus quibusdam doctis theologis Apostolos in die pentecostes omnium circa fidem quæstionū plenam & explicitam notitiam accepisse) Iudæi illi cōuersi

& iā Christiani fideles qui hoc D. Petri factō offendebantur dicentes. *Quare introisti ad viros præputiū habentes & manducaſti cū illis?* an tuo iudicio Whitakere hæreticam ſententiam tenebant, quia necdū gentibus prædicare Apoſtolos debuiffē credebant? A. II.

Dicam adhuc amplius. In quæſtione illa de obſervatione legalium, antequam ab Apoſtolis definita res eſſet, Iudæi illi omnes conuerſi tam Antiochiæ quam Hieroſolymis, qui ad eam gentes credentes obligari volebāt, hæretici quoque fuerunt? Aut illud dogma de fide a ſingulis credendum fuit antequam Apoſtoli illud decreuerant? Sanè hoc vnum dogma de relinquenda obſervatione legalium, vnum ex illis multis fuiſſe de quibus Chriſtus Apoſtolis dixit; *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo,* rectiſſimè iudicauit Origenes: id quod & tota illa Apoſtoli ad Galatas acerrima diſputatio ſatis demonſtrat. Age ergo Apoſtoli hoc dogma de deſerendis legalibus obſervationibus ad tempus & ab initio portare non potuerunt. At nūc illud dogma qui portare non vult, hæreticus eſt. Ergo ſecundum te VWhitakere Apoſtoli tunc hæretici fuerunt. Ais enim *fidei dogmata omnibus temporibus vim ſuam habuiſſe adeo vt ſi iam ſit hæreticum illis non aſſentiri, idem ſemper hæreticum fuerit.*

Ioan. 14.  
Lib. 2. cōtra  
Celſum.

Sed maneamus in exemplis prius prolatis. Hæreticorum baptiſmum non iterandum, quod nunc dogma fidei eſt, negauit aliquādo cum multis ſuis coepiſcopis, & quidem acerrimè negauit S. Ciprianus. Igitur te Iudice VWhitakere Ciprianus cū omnibus ſuis collegis hæreticus fuit, & nihil illi profuit nobile pro Chriſto martyrium, & è Sanctorum catalogo tua Pythagorica authoritate eradendus ille ſanctus eſt? Animarū originē quod immediatè creatæ a Deo fuerint, nūquam ſibi perſuadere

S. Au.

Epist. 28.  
& de Ge-  
nes. ad li-  
teram lib.  
10.

S. Augustinus potuit, propter difficultates quas in ea sententia asserenda videbat, vt in longa ad D. Hieronymum de hac questione epistola & alibi operosè ostendit. An igitur ille quoque tam Sanctus & celebris Ecclesiæ Doctor, te quoque Censore Whitakere hæreticam tenuisse sententiam aut hæreticus fuisse censebitur? Denique Spiritum Sanctum a patre filioque procedere quod in Concilio florétino necdum ante annos 200. definitum fuit, omnes illi græci episcopi negantes per te quoque per tot ætates hæretici fuerunt? Sed & age, vt vnũ adhuc aut alterũ exemplũ adijciam, tot illi & tam celebres antiqui patres, Tertullianus, Irenæus, Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, Ambrosius, Clemens Romanus, D. Bernardus, omnes hæretici fuerunt quia huic sententiæ (quæ nunc in eodem Concilio florentino *magna demum conquisitione facta* vt dogma fidei definita est) quod iustorum animæ ante diem iudicij dei visione fruuntur, non sunt assensi, sed sententiam contrariam tradiderunt? Tu fortasse vt quod temerè semel & ignoranter affirmasti, pertinaciter & superbè hæreticorum more defendas, hoc totum asserere non vereberis. Sed neminem puto sanæ mentis esse, qui sic tecum insanire volet. Gregorius Nazanzenus qui propter excellentem rei theologice peritiã Theologus a Græcis cognominatur, studiosè & accuratè docet, doctrinã ipsam de beatissima trinitate nõ nisi paulatim traditam fuisse: & in veteri Testamento patrẽ, in nouo filium, per Apostolos Spiritum sanctum reuelatum fuisse. Alijs huius rei exemplis perquirendis supersedeo. Nec tu si vel primis labris veram theologiam attigisses, paradoxũ hoc tuum contra tam perspicuam veritatem, sola tua affirmatione communitum, ita impudenter orbi publicasses.

Lib. 5. de  
Theolo-  
gia.

castes. Manet ergo firmum, sicut multa alia fidei dogmata, sic certos S. scripturæ libros progressu temporis ab Ecclesia acceptatos, quos prioribus temporibus non acceptauerat, hoc est, in Canonem non redegerat. Qua etiam de re adhuc in sequentibus plura dicentur.

In fine huius sectionis aliud facis splendidum mendacium & cote dignum, quo dicis hæc à me ideo disputari, *vt ostendam eos libros, qui ab Ecclesia ante recepti non fuerant, esse iam ob externum tantum Ecclesie testimonium recipiendos.* Mendaciū aduersarij splendidū. Iam enim cap. præcedenti satis luculenter ostendi, me semper cum Ecclesia internum Spiritus sancti donum coniungere, ideoque tantum propter Ecclesie testimonium aliquid credi oportere, me nunquam affirmare. Sed tibi volupe est, quia mendax magister es, subinde & identidem mentiri. Cur non aduertisti (si fortè operis nostri librum octauū nunquam legisti) saltem quod hoc lib. 9. quem impugnas cap. 1. dixeram. *Sine dono fidei Ecclesie vocem nihil operari supra docuimus.* Vbi & in margine appositum habes. lib. 8. cap. 22. Aut hæc verba non vidisti, & tu aduersarij quem refutandum delegisti, negligentissimus inspector es; aut vidisti, & mendaciorum studiosus fabricator es.

*VWhitakerus.*

Subiungit Ecclesie authoritatem respicere scri- 6. Sect. pturas tantum materialiter; quod explicat, quia videlicet Ecclesie iudicio nos obtemperare conuenit, & propter eius iudicium scripturam pro sacra acceptare. Esset autem (inquit) inconueniens, si scripturæ aut aliorum quæ creduntur veritas sic ab Ecclesie iudicio penderet, vt non aliter vera essent, nisi Ecclesia approbaret. Nunc autem (ait) Ecclesia non facit vt vera sint in se, sed vt pro veris credantur. Attendite scriptura est vera in se, & dogmata

F scripturæ

\* Blasphemia ex ignoratione scripturarum orta.

\* Mendacium. V270- bis qui bonū malum dicunt.

Scripturæ omnia vera sunt: sed non constaret nobis ea esse vera, nos non possemus Scripturæ credere, nisi Ecclesia scripturam & scripturæ dogmata approbaret. Etsi hæc vera in se sint, nobis tamen hæc vera non viderentur, à nobis non crederentur, neque (vt Stapletoni verbo utar) acceptarentur, nisi propter Ecclesiæ approbationem. Hoc \* totum est mysterium iniquitatis. Nos quidem longè aliter multoq; veriùs. Quòd enim Scripturæ nobis etiam veræ sint, id Ecclesiæ acceptum referri pernegamus: sed quòd illas nos veras esse credimus, id Spiritus sancti testimonio instinctuque fieri dicimus. Stapletonum docuit illam † blasphemiam Coclæus in lib. 2. de autoritate Ecclesiæ & Scripturæ, vbi multa scripturæ loca colligit, quæ homini incredibilia videri possint, quibus ille affirmat humanam imbecillitatem non posse assentiri, nisi Ecclesiæ autoritate confirmentur (horum incredibilium exempla multa ex Coclæo quum protulisses, & de tuo quædam addidisses, subiungis.) Num hæc omnia non alio testimonio aut argumento vera esse credemus, quàm quia Ecclesia sic statuit? Immanis & digna Coclæo ac Stapletono blasphemia.

*Stapletonus.*

Hæc quum tu scriberes VThitakere, hæc tua quum tui vel auditores in schola audirent, vel Lectores farinae tuæ legerent, tu tibi ipsi quàm mirè placebas, tui te auditores seu lectores quàm plenis buccis prædicabant, qui tantam in talibus Papistis blasphemiam, tam acutè deprehendere, tam diligenter obseruare, tam vehementer arguere, & cuius palpandam demonstrare potuisti, Nam & olim Luthero Coclæus molestissimus fuit, & hodie vobis Stapletonus molestus est. Ingentem ergo laudem & spolia ampla reportasti, qui tales duos athle-

tas tam

tas tam fortiter prostrauisti, & vtrumque *blasphemie*, adeoque *immanis blasphemie* conuictum, tuis quidem auditoribus exhibendum, lectoribus vero execrandum dedisti. Sed ego te bellator fortissime non quidem de blasphemia arguam ( nisi forte poena talionis exigenda à te foret ) sed vel crassæ ignorantia vel studiosæ malevolentia aperte conuincam. Et vt mollius tecum agam, ignorantiam tibi potius ac stupiditatem quam affectatam malevolentiam ( quod proprie opus diaboli est ) hoc loco impingam. Impingam sanè & conuincam vt dixi, ad me quod attinet. Coclæi enim librum quem citas, quem hactenus non viderim, ideoque qua fide eius verba recitaueris nesciam, de eo respondere, quod sanè perlibenter vellem, non possum.

*Ecclesiastici testimonij & iudicij necessitas explicatur.*

Mea igitur verba, quemadmodum & ipse citasti hæc sunt *Ecclesie iudicio nos obtemperare conuenit, & propter eius iudicium scripturam pro sacra acceptare. Deinde, Ecclesia facit, vt scriptura pro veris credantur.* Hæc mea sunt verba in forma. Sed his meis verbis tu nouam formam statim induis, & sic me loqui ais: *Nos non possemus Scriptura credere, nisi Ecclesia scripturam & scriptura dogmata approbaret.* Rursum: *Hæc nobis vera non viderentur, à nobis non crederentur, neque acceptarentur, nisi propter Ecclesie approbationem.* Et statim subiungis: *Hoc totum est mysterium iniquitatis.* Et paulò post: *Hæc est immanis blasphemia.* Sed vide & attende bene, quàm magno conatu meras nugas agis. Primum enim cur verba mea immutas? An tibi idem prorsus videtur, dicere, *Propter Ecclesie iudicium scripturam pro sacra acceptamus, quæ mea sunt verba, & dicere, Non possemus scriptura credere, nisi Ecclesia scripturam approbaret?* quæ tanquam mea verba repetis.

*Autgoris verba immutat aduersarius.*

Adversarij  
vel crassa  
ignorantia  
vel acerba  
maleuo-  
lencia.

Rursum idem ne est dicere, *Ecclesia facit vt scri-  
ptura credantur*, quod ego dico, ac dicere, *Scriptura à  
nobis non crederetur, nisi propter Ecclesia approbationem,*  
*quod me dicere fingis?* Age ergò, hæc etiam duo pro-  
nunciata pro eodem habeantur. Propter legem  
decalogi scriptam, homicidium, furtum, &c. co-  
gnouimus esse peccata. Et nisi esset lex Decalogi  
scripta, non possemus cognoscere illa esse pecca-  
ta. Rursum si lex Decalogi scripta facit, vt ho-  
mici- dium, furtum, &c. cognoscamus esse peccata;  
Et homicidium, furtum, &c. à nobis non cogno-  
scerentur esse peccata, nisi propter legis manda-  
tum. Etiam ista mi VWhitakere pro eodem ha-  
bes? Antam obesæ naris & crassi caluitij es, vt nec  
adhuc, quantum sit inter ea discrimen, intelligas?  
An quia *per legem cognitio peccati*, vt Apostolus dixit,  
ergo sine lege nulla cognitio peccati? An quia lex  
scripta docet, & arguit peccatum, lex naturæ quo-  
que non idem docet & arguit? An etiam similiter  
quia per Ecclesiæ iudicium cognitio scripturæ, er-  
go sine Ecclesiæ iudicio nulla esse potest cognitio  
scripturæ? An quia Ecclesia nos forinsecus docet,  
quæ sit scriptura, ideo Spiritus S, idem in cordibus  
nos non docet?

Rom. 7.

Ineptissime disputator, quum duæ causæ vnū  
effectum producant, aut per duo media ad vnum  
finem tenditur, an qui vnā causam ponit, alte-  
ram excludit? aut qui vnum medium docet, alte-  
rum negat? Cur ergo sic mea verba peruertis, vt  
quia vnum credendi medium posui, affirmare me  
vis, non nisi per illud medium credere nos posse?  
Hæc vt dixi, vel crassa est in te ignorantia, & pro-  
fessore Regio indigna, vel acerba maleuolentia &  
homine hæretico digna.

Sed esto sic dixerim, & vt tua ineptia, veræque  
Theologiæ

Theologiæ crassa incitia magis ac magis appareat, pone me id totum dixisse. *Nos non possemus Scripturam credere, nisi Ecclesia eam approbaret.* Rursum: *Scripturam à nobis non crederentur, neque acceptarentur, nisi propter Ecclesie approbationem.* Ac denique quod Coclæum ais dicere: *Hæc in scripturis incredibilia non aliter vera esse creduntur, quam quia Ecclesia sic credit, & sic credere iussit.* An istæ propositiones mysterium iniquitatis, atque immanis blasphemia videntur? An hæc serid loqueris? vide quid agas, ne quod nobis impingis, hoc totum D. Paulo, imò Spiritui sancto impingas. Paulus enim de quo vel de quibus, nisi de Ecclesie Doctoribus scripsit, quum diceret. *Quomodo credent ei quem non audierunt; & quomodo audient sine prædicante?* Ait disertè non posse incredulos credere, nisi audiant, nec posse audire sine prædicante: ideoque postea concludit. *Fides est ex auditu, & auditus per verbum Christi;* utique ab istis prædicatoribus legitime missis prædicatum. Ex his Apostoli verbis hoc manifestè docetur. Sine prædicatione Ecclesie fides non comparatur, quia nisi audierint, non credent, & audire non possunt sine prædicante, utique Ecclesia. Nunc igitur doce nos acutissime disputator, in quo vel minimo puncto hæc duo differant. *Non possumus scripturis credere, nisi Ecclesia eas approbet.* Et, *Non possumus omnino credere, nisi Ecclesia prædicando nos doceat.* Prius nos diximus, postèrius Apostolus docet. Si ergo prius mysterium est iniquitatis, & immanis blasphemia, tu de Apostolo tantundem ut concludas, necesse est.

Nō posse credere nisi Ecclesia doceat, verum est.

Rom. 10.

Blasphemia obiecta in Apostolum cadit.

Rursum hæc duo: *Scripturam à nobis non crederentur, nisi propter Ecclesie approbationem.* Et, *Doctrina Euangelij non crederetur, nisi propter Ecclesie prædicationem.* Prius nos diximus, postèrius Apostolus docet. Neque aliud verba Coclæi affirmant. Sed tu pro tua crassa

ignorantia non aduertisti nec intellexisti, tum Apostolum eo loco tum nos post Apostolum, a quo hæc didicimus, de ordinaria fidei doctrina de ordinario credendi medio, eoque externo & adiuuante disputasse, & illud quod Apostolus dixit, *Quomodo credent ei quem non audierunt*, &c. Ordinarie, communiter & iuxta communem discendi viam a Christo in Ecclesia sua constitutam intelligendum esse.

Ignorantia  
crassa ad-  
uersarij  
explicatur.

Externum  
Ecclesie  
testimoni-  
um non  
excludit  
internū.

Rom. 10.

Ephes. 2.

1. Ioan. 2.

Ioan. 3.

Ioan. 6.

Ephes. 4.

Matt. 28.

Pau. 17.

An tam ignarus rei theologicæ es, vt nescias ad fidem ingenerandam, omnemque fidei doctrinam addiscendam opus esse disciplina externa, docentis, proponentis, explicantis Ecclesie magisterio, auctoritate, sapientia? An tam rudis es, vt putes eum qui hoc externum medium affirmat esse necessarium, idem excludat & neget internum medium quod est lumen fidei & interna persuasio Spiritus sancti? An Apostolum sibi contrarium existimas quum vno loco dicat, *fides ex auditu*: alio loco dicat, *Gratia saluati estis per fidem non ex vobis, dei enim donum est*? An talis in schola Christi idiota es, vt ignores hunc ordinem deum in Ecclesia sua posuisse, vt eius vnctio eius doceat nos de omnibus, & simus omnes docibiles dei, & nemo potest venire ad Christum nisi pater traxerit eum, tamen quod dedit Ecclesia sua Apostolos, Prophetas pastores, doctores ad cōsummationem sanctorum. 1. ad cōfirmationem fidelium, vtique in fide, & ad adificationem corporis sui; quod miserit Apostolos suos docere omnes gentes, quod denique voluerit omnes per verbum eorum credere in Christum? Si hunc esse ordinem in Ecclesia non ignorasti, qua fronte vocas blasphemiam & mysterium iniquitatis si quis dicat, non possumus credere nisi per Ecclesia testimonium? Quod nihil aliud est quam dicere. Non possumus credere nisi iuxta illum ordinem & iuxta illa media quæ Christus in Ecclesia sua constituit.

Dic mihi professor eximie, quum Paulus sciebat, *Concupiscentiam peccatum esse nesciebam nisi lex diceret, non concupisces*. Docuit ne quod ex sola lege scripta concupiscentiã esse peccatũ sciri poterat? Si ita docuit, ergo omnes illos a peccato absoluit qui ante legem scriptam suis concupiscentijs indulserunt.

Ioan. 7.  
Apostoli-  
caphrasia  
catholico-  
rum pro-  
positione  
cõfirmat.

Nemo enim in eo peccat quod peccatum esse scire non potest. Alioqui & paruuli & furentes peccare dicerentur quum aliqua faciunt quæ in adultis & in vtentibus ratione essent contra legem dei. Si autem hoc non docuit, sed tantummodo statum esse quendam hominum ostendit, qui ita peccati consuetudine excæcantur, vt nisi legis doctrina excitarentur, nullum peccatorum suorum sensum, nullam conscientiam haberent: sic omnino in re presenti, quum dicimus: *has Scripturas esse verbum Dei nesciebam, nisi Ecclesia mihi diceret has esse Scripturas*, nihil aliud quam ostendimus hanc nunc esse infirmitatem humanam, vt nisi Ecclesia homines doceret, de Scripturis alijsque fidei dogmatibus nihil homo crederet. Quam vnã esse causam Magisterij Ecclesiastici a Deo instituti, huius operis quod tu impugnas lib. 8. accuratè demonstrauimus. Quo etiam toto in libro hæc tua quam vocas blasphemia, ipsissima dei ordinatio, eademque nobis necessaria esse, longa disputatione docetur. Quæ tu aut nunquam legisti, & continui operis vnã partem, reliquis partibus non inspectis, refutare stultissimè es conatus; aut si legisti, sensum & mentem disputationis meæ nequiter dissimulasti; aut forte denique quam legisses non intellexisti. Horum trium elige quod velis. Sanè quod iam postremo dixi, in tota tua hac sequenti disputatione magis ac magis elucescet.

Cap. 7.

Aduer-  
sarij vel ig-  
norantia  
vel nequi-  
tia.

*Whitakerus.*

7. Sect.

\* Calūnia  
putida ve  
in seq.  
magis pa-  
tebit.

Nos hæc credimus veraque esse non dubitamus, non quia modo sic Ecclesia cōfirmavit, sed propter verbi diuini & Spiritus S. auctoritatem. Eò ergo recidunt omnia quæ dicunt papistæ vt \* omnem sacrarum Scripturarum auctoritatem ex Ecclesiæ auctoritate suspendant: quod tamen ipsi negant, sed esse hanc illorum sententiam ex his quæ dicta sunt facile constar.

*Stapletonus.*

Confusa  
& perturbata  
Adversarij  
disputatio

Si tu Whitakere hanc tuam de Scripturarum auctoritate & interpretatione disputationem via & ratione instituis, sicuti p̄fessorem decuit, non prius de Ecclesiæ auctoritate circa Scripturas approbandas vel exponendas contra Catholicos disputasses, quin primò & ante omnia quæ sit vera Christi Ecclesia, tum quid Ecclesiæ nomine in huiusmodi controuersijs intelligatur, tum denique quale Ecclesiæ testimonium & in quo sensu a Catholicis affirmetur, inuestigasses, vt sic eorum sententia rectè intellecta, atque vel solidè refutata si falsa vel recepta & agnita si vera conuinceretur, ita demum ad has de scriptura quæstiones quatenus ab Ecclesia approbantur vel exponuntur examinandas venires. Illud enim quia prius non fecisti, idcirco nec de Ecclesiæ vocabulo, quo sensu in his controuersijs accipi debet, aliquid inter te & nos constitutum posuisti; præter vnâ simplicem affirmationem in superioribus tuis verbis assertam, quasi in re tanta constituenda simplex tua sufficeret affirmatio; nec quale & cuius generis testimonium, qualis & cuiusmodi auctoritas Ecclesiæ a Catholicis tribuatur, quo sensu hæc auctoritas Ecclesiæ vel necessaria vel infallibilis esse a nobis affirmetur, vel ipse intellexisti vel, vt apparet, intelligere voluisti.

Si. Sed (vt ex iam dictis manifestum fuit, & adhuc ex sequentibus manifestius euadet) in sensu Catholico, ac meo maxime quem tibi præ alijs refutandum delegisti, turpissime errasti. Vnde fit vt ex eo male intellecto, pessime concludas. Quod ex tua mox huius partis conuisione luce clarius elucescet.

*VVhitakerus.*

Subiungit Stapletonus non magis inconueniens 8. *sect.* nobis videri debere, vt Ecclesia scripturam commendat, & ei testimonium perhibeat, quam fuit inconueniens, vt Ioannes Baptista testimonium Christo diceret, & vt Euangelium ab hominibus scriberetur. Nos verò confitemur Ecclesiam suo testimonio commendare scripturam, hocque esse Ecclesie præclarum officium. Sed longè alia res est, non aliter credi posse, nisi propter hoc iudicium testimoniumque Ecclesie. Illud concedimus, hoc cum summa etiam detestatione\* pernegamus.

\*Non nisi detestabiles hæretici faciunt.

*Stapletonus.*

Qui diceret absolute & simpliciter absque testimonio Ecclesie scripturis credi à nemine posse eo sensu, vt sola Dei gratia intus docente credere nemo posset, nisi præterea Ecclesie testimonium accederet, quasiq; donum fidei infusum non sufficeret ad actum fidei eliciendum, vel ad totam fidem ingenerandam, Deo omnia absque voce Ecclesie intus aliquem docente, merito detestandus esset. Et hanc sententiam nos refutauimus huius operis lib. 8. cap. 3. Sed qui diceret ordinariè loquendo, & stando in ordine à Christo constituto, citra extraordinariam & immediatam reuelationem à Deo factam (quæ cur non sit expectanda in eodem opere disputauimus) non aliter credi

Ecclesie testimonium non simpliciter necessarium.

Lib. 8. c.  
4. 7. & 8.  
Ecclesiæ  
testimo-  
nium ex  
causis  
planè ne-  
cessariū.

Rom. 10.

2. Thef. 2.  
In Orat.  
quod præ-  
sentes hæ-  
retes sunt  
proximæ  
Antichri-  
sto.

posse, nisi propter iudicium testimoniumque Ec-  
clesiæ, id est, nisi per externa media à Christo in-  
stituta, nobisque in hac infirmitate nostra necessa-  
ria, non magis detestandus esset, quàm Paulus,  
quum diceret. *Quomodo credent ei, quem non audierunt,  
& quomodo audient sine predicante?* Hoc enim est dice-  
re. Credi non potest, nisi audiatur doctrina fidei:  
Et audiri ea non potest, nisi per prædicatores ver-  
bi legitimè missos. Sequitur enim: *Quomodo predi-  
cabunt, nisi mittantur?* Imo detestandus ille est, qui  
hoc negaret, eo quòd & Apostolo manifestè con-  
tradiceret, & Ordinem à Christo institutum è me-  
dio tolleret, & infirmitatis humanæ remedia ne-  
cessaria eriperet, & denique vnitatem & pacem  
Ecclesiæ prorsus rescinderet; quando sublato Ec-  
clesiæ testimonio, sublata inquam huius testimo-  
nij necessitate & obseruantia, tot confestim essent  
in materia fidei hominum sententiæ, quot essent  
capita, vnoquoque superbo ingenio internam Spi-  
ritus persuasionem sibi vendicante, vt nostra hæc  
tempora calamitosissima nimis perspiciuè docue-  
runt. Huc tua tendit VWhitakere assertio, huc  
omnium hæreticorum in Ecclesiæ autoritate  
extenuanda contentio. Hoc est verè *mysterium*  
*iniquitatis, quod nunc operatur* in vobis contra corpus  
Christi, quod est Ecclesia, sicuti in veteribus hæ-  
reticis, prioribus illis seculis idem operatum fuit  
contra personam Christi, vt in oratione quadam  
nostra quodlibetica olim explicatam dedimus.

NECES-

# NECESSITAS ET AVTHORITAS TESTIMO- NII ECCLESIASTICI EX SCRIPTVRIS PROBATVR.

## C A P. III.

**T**ESTIMONIUM, iudicium, & authorita-  
tem Ecclesiæ ad credenda ea quæ sunt fidei,  
nobis planè necessarium esse, propter tres maximè  
causas. Primò, quia Deus sic ordinavit. Secundò,  
quia naturæ nostræ infirmitas hoc postulat. Tertiò,  
quia superbix nostræ edomandæ, & paci ac ordini  
seruando hæc ratio conueniebat, in huius Operis  
quod tu oppugnas de princip. fidei doctin. libro 8.  
à cap. 7. vsq; ad cap. 11. inclusivè, longa & accurata  
disputatione demonstraui. Sed quia tu Whitakere,  
omnium eorum adhuc ignarus, *summa cum detesta-*  
*tionè hanc necessitatè credendi per Ecclesiæ testimonium*  
*pernegas*, subiungam hoc loco breuem & neruo-  
sam eiusdem rei demonstrationem.

Necessitas  
credendi  
per Eccle-  
siæ testi-  
monium  
probarur.  
1. argum.

Distincta reuelatio omnium credendorum facta  
est Apostolis, vel immediatè à Deo, vt illa Petri con-  
fessio Matth. 16. vel à Christo vt ad Hebr. 2. *quæ cum*  
*initium accepissent enarrari per Dominum, ab eis qui au-*  
*dierunt in nos confirmata est, &c.* Vel denique à Spiritu  
sancto post Domini Ascensionem iuxta illud,  
*Ille vos docebit omnia.* At huiusmodi immediata re-  
uelatio à Deo, vel à Christo, vel à Spiritu S. in sin-  
gulis fidelibus non est amplius expectanda, ne sin-  
guli Apostolorum prærogatiuam sibi vendicent,  
aut Apostolorum doctrinam successoribus ipsorum  
commisam ac traditam (de qua Paulus ad Timo-  
theum suum *Depositum custodi o Thimothee*) vt illi a-  
lios postea docerent, mancã & mutilã & insuf-  
ficientem

Ioan. 14.

2. Tim. 1.

ficientem esse existimare. Est igitur deinceps; Ecclesie, hoc est præpositorum Ecclesie in omni materia vox à populo audienda, testimonium & iudicium ab omnibus necessariò expetendum, *cui videlicet omnes subijci oporteat, vt ipsemet supra dixisti.*

Cap. 1.  
sect. 6.

2. argum.

Ioan. 15.

Præterea dixit Christus Apostolis suis & eorum futuris perpetuò successoribus. *Mittam vobis à patre Spiritum veritatis. Ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis de me, qui ab initio mecum estis.* Hoc in loco testimonium Apostolorum testimonio Spiritus sancti coniungit Christus, vt sciamus ex vtroque fidem nostram pendere; ex Spiritu sancto intus loquente, & ex Ecclesia foris docente. Prædicat fore, vt ex vtroque testimonio fides audientium generanda sit. Docet testimonium de Christo, testimonium totius fidei Christianæ duplex esse: vnum internum Spiritus Sancti, alterum externum ipsius Ecclesie. Docet vtrumque esse necessarium sensu quo supra explicatum est.

3. argum.

Marc. vlt.

Sanè vt externi huius testimonij necessitatem disertissimè Christus Dominus doceret, iam iam ad cælum ascensurus, *exprobrauit incredulitatem illorum, & duritiam cordis; quia à ijs qui viderant eum resurrexisse à mortuis non crediderunt.* Nempè quòd testimonio Apostolorum & aliorum, qui tunc Ecclesiam constituebant, credere noluerunt. Inuictum est documentum eos à Christo grauitè audituros, qui Ecclesie suæ testimonium siue de resurrectione eius à mortuis, siue de alio quocunque fidei dogmate non suscipiunt, qui ei humiliter non credunt. Hæc fuit incredulitas Apostoli Thomæ quam & Christus grauitè increpauit. Noluit cæteris Apostolis credere, dicentibus: *Vidimus Dominum.* Sic hæretici nolunt Ecclesie credere, dicenti: *Visum est Spiritui sancto & nobis.*

Ioan. 20.

Vnde

Vnde iterum aliud occurrit argumentum. Ecce <sup>4. argum.</sup> enim Apostoli decretum illud suum de abrogatione legalium promulgaturi, duplicem eius auctoritatem proponunt, ut utrique fideles obtemperarent. *Visum est (inquiunt) Spiritui sancto & nobis.* Cur <sup>Act. 15.</sup> additis Sancti Apostoli, & nobis? An non satis est dicere, *Spiritui sancto?* An non eius vnus authoritas nobis sufficiet: Sufficeret sanè ex se sola super abundanter, nisi aliter nobis magister noster Christus ordinasset. Ille enim voluit ut & nos quoque testimonium illi omnique veritati perhiberemus. Ille voluit ut per verbum & prædicationem nostram omnes crederent. Sic enim nobis audientibus patrem pro sua Ecclesia interpellauit. *Rogo ut omnes vnum sint, &c.* <sup>Ioan. 17.</sup> *Rogo ut serues eos in nomine meo. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro illis qui per verbum eorum credituri sunt in me.* Idcirco adiecimus, *Visum est nobis, ut per verbum nostrum credendum esse, & nostro testimonio deferendum esse, pij omnes intelligant.* Bone VWhitakere, an hæc Apostolorum satisfactio prorsus æquissima tibi non videtur? An non disertissime illi docuerunt Ecclesiæ vocem necessario pariter cum Spiritus sancti testimonio esse audiendam? An non Christus ipse in verbis postremo citatis idem luculentissime docuit? Sanè D. <sup>Tract.</sup> Augustinus ex illis verbis affirmat *verbum fidei &* <sup>109. in</sup> *verbum Apostolorum, credere Deo, & credere Ecclesiæ prorsus idem esse.* <sup>Ioan.</sup>

Videamus nunc alia huius clarissimæ veritatis (quam tu doctor indocte *blasphemiam* vocas) argumenta clarissima. Dicit Christus Apostolis in Evangelio. *Euntes in mundū prædicate Euangelium omni creatura. Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Qui non crediderit, condemnabitur. Qui non crediderit vobis prædicantibus, qui vestrum testimonium non suscepe-*

6. argum.  
Mar. 6.

susciperit, condemnabitur. An hæc tibi forte interpretatio displicet? Audi igitur. In eodem Evangelio quã ad solos Iudæos docendos mitteret Christus discipulos suos, binos & binos in ciuitates, dicit eis. *Quicumque non receperint vos nec audierint vos, exeuntes inde excutite puluerem de pedibus vestris in testimonium illis: id est in condemnationem eorum.* Vnde & D. Mattheus addit. *Amen dico vobis. Tolerabilius erit*

Mat. 10.

*terra Sodomorũ & Gomorræorum in die iudicij quam ciuitati illi.* Quid hic dices V Whitakere? An discipulorum ad solos Iudæos prædicatio, vox, testimonium sub tam horrenda pena suscipi debuit, & Apostolorum, pastorum, doctorũ, quos Christus Ecclesiæ suæ dedit ad omnes gentes conuertendas, prædicatio, vox, testimonium, iudiciũ ab omnibus suscipi non debet? Ant si ab omnibus suscipi debet, nonne omnes ei humiliter obedire tenentur? nonne omnes per hoc Ecclesiæ testimonium fidem suã addiscere obligantur? nonne tunc verum erit, nisi per Ecclesiæ testimonium fidei dogmata certò cognosci & credi non posse? ordinariè semper loquẽdo vt prius explicatum est. Denique an non certi erroris certissimum argumentum erit, si quis Ecclesiæ vocem ac testimonium audire, eique credere recuset.

7. argum.

1. Ioan. 4.

Hęc nostra deductio suspecta tibi est? Audi igitur Scripturas, dicit D. Ioannes. *Qui nouit deum audit nos; Qui nõ nouit deũ nõ audit nos. In hoc cognoscimus Spiritũ veritatis & spiritũ erroris. Docet a posteriori sed necessariò, illum habere spiritum dei, & spiritum veritatis, illũ de interna persuasione Spiritus sancti posse bene confidere, qui audit vocẽ Ecclesiæ; contra vero illũ nõ habere spiritũ dei, sed spiritũ, erroris illũ necessario in errore versari, qui nõ audit Ecclesiam, qui Ecclesiæ testimoniũ sibi necessariũ esse non putat: qui illud cõtemnit, & oblatũ audire recusat.*

Nempe

Nempe hæc est adhuc alia causa præter antedictas, cur Ecclesiæ testimonium omnibus modis necessarium nobis sit, nec nisi per eius testimoniũ, iuxta ordinariam credēdi viam, credere possumus. Hæc inquam causa quod deus fidei donum pariter cum Ecclesiæ ministerio infundit, & mediãte externa prædicatione ad fidem & pænitentia peccatores excitat. Hoc apertè docent illa verba apud Marcũ. *Ipsi autem prædicauerunt vbique dominocooperante* (per internam gratiam) & sermonem confirmante sequentibus signis. Nam vt primi verbi prædicatores non faciebant communiter miracula, quæ etiam erant media ad fidem inducentia nisi inter prædicandum vel ad confirmationē prædicationis, aut futuræ aut iam factæ, sic deus eorum miraculorum author, internam quoque suam gratiam non subministrabat communiter, nisi inter prædicandum vel ad futuram prædicationem vt animus disponderetur (sicut dicitur in Actis Apostolicis de *Lydia purpuraria cuius deus mouit cor vt attenderet ijs quæ a Paulo dicebantur,*) vel post factam prædicationem, vt semen verbi acceptum fructum afferret in patientia. Nempe hoc est quod Paulus dicit. *Fides est ex auditu:* quia cū verbo prædicationis audito, interit se deus, suaque infundit auxilia gratiæ. Hoc est iterum quod dicit. *Euangelium virtus est ad salutem omni credenti.* Hoc est, euangelica prædicatio est potenter salutifera, vel habet vim & potentiam ad saluandum omnes ei credentes, quia tum fides huic prædicationi innititur vt authoritati legitimæ a deo constitutæ, tum pariter cum prædicatione euangelica fidem dare suamque gratiam subministrare deus solet: vt per stultitiam prædicationis, .i. per simplicem sine argumentis doctrinam saluet credentes. Sanè sicut per sacramenta deus remissionem peccatorum confert & operatur

Deus fidẽ  
cũ Eccle-  
siæ mini-  
sterio in-  
fundit.

2. argum.

Marc. ult.

Act. 16.

Luc. 8.

Rom. 10.

Rom. 1.

1. Cor.

nec sine illis id facere solet, sic & per prædicationem  
 verbi, hoc est non sine prædicatione & mediante  
 illa (magnū enim esse intra sacramentorū & prædi-  
 cationis vim discrimen nō ignoramus) Deus con-  
 versionem peccatoris operatur. Sed hæretici his  
 vinculis & medijs alligari nolunt. Vaga & laxa per-  
 fugia habere volunt, quod totum est *mysterium ini-*  
*quitatis quod operatur in filijs diffidentie*, qui nolunt cre-  
 dere Ecclesiæ, nolunt alligari ad *columnam hanc &*  
*firmamentum veritatis*, nolunt ab hac luce mundi lumē  
 suum accipere, nolunt per illos *quos Spiritus sanctus*  
*posuit episcopos regi*; nolunt ab illis *quos dedit, pastori-*  
*bus & doctoribus confirmari & aedificari*, id est fidei  
 suæ vel principium vel confirmationem accipere,  
 denique nolunt illos audire, quibus Christus dixit,  
*Qui vos audit me audit*, ac per hoc nec illum audiunt,  
 de quo vox de cælo dixit. *Hic est filius meus & c.* *Ipsum*  
*audite*; quem tamen maximè audire velle videri  
 volunt verè; enim ad omnes hæreticos quadrat,  
 quod per prophetam deus de Iudæis dixit. *Nolunt*  
*audire te quia nolunt audire me.* Prorsus nolunt audi-  
 re Christum qui nolunt eius audire Ecclesiā, quam  
 ille iubet singulariter, planeque tanquam seipsum  
 audiri vnde ipse quoque ad Iudæos. *Qui ex deo est*  
*verba dei audit.* Vos propterea non auditis quia ex deo non  
 estis. Iudæi non audiuerunt Christum quem deus  
 misit, quia nō erant ex deo sed ex diabolo superbi  
 & rebelles: hæretici non audiunt Ecclesiam quam  
 Christus misit in mundum (ait enim patri sicut tu  
 me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mun-  
 dū) quia non sunt ex deo sed ex diabolo superbi &  
 rebelles. Si enim obedirent Deo, obedirēt quoque  
 Ecclesiæ videtur tibi mala cōsequētia VWhitakere?  
 Audi ergo quid Christus Ecclesiæ suæ præpositis  
 dicit. *Si sermonē meū seruauerunt & vestrum seruabunt.*

Nonne

Hæretici  
 nullis  
 vinculis  
 teneri vo-  
 lunt.

2. Theff. 2

1. Tim. 3.  
 Matth. 5.  
 Actor. 20.  
 Ephes. 4.

Luc. 10.  
 Matt. 17.

Ezech. 3.

Ioan. 8.

Ioan. 17.

Ioan. 15.

Nonne hoc est dicere? Si mihi obediunt, & vobis obediunt? Frustra ergo & falsò de sua obedientia erga Christum, erga scripturas & verbum Christi, erga ductum & testimonium internum Spiritus sancti iactitat, qui non obedit Ecclesiæ. Christi & Ecclesiæ obedientiam coniunctam esse Deus voluit. Spiritus sancti & Ecclesiæ testimonium coniuncta esse Christus docuit. *Quæ Deus coniunxit, homo ne separet.* Noli tu Whitakere, testimonium Ecclesiæ à testimonio Spiritus sancti seiungere. Noli blasphemos vocare, qui ea coniungunt. Qui enim dicit: Non possumus credere, nisi per Ecclesiam, nihil aliud dicit, quam testimonium Ecclesiæ cum Spiritus sancti testimonio esse coniunctum, & stante ordine constituto separari ea non posse.

Tu ergo Whitakere, qui hoc totum *cum summa detestatione pernegas* (sic enim scribis) hoc ipso es summè detestabilis & verissimi nominis hæreticus: ut in hoc opere nostro quod impugnas de princip. fidei doctrinal. demonstraui. Atque hæc pauca, sed nrfallor, solida ex diuinis scripturis argumeta sunt, quibus Ecclesiæ testimonium, iudicium, auctoritatem in rebus fidei necessarium esse ostendatur: necessarium sanè, ut nisi per illud iudicium & testimonium, nec has esse scripturas nec aliud aliquod fidei dogma credere possimas, iuxta ordinariam & communem in Ecclesia Christi credendi viam ac rationem. Plura ex scripturis argumenta videre licet in operis nostri loco citato. Nunc illa addidimus, quæ ibi non sunt, aut certè sic explicata non sunt, sed & infra plura adhuc proferemus.

QVID ECCLESIAE  
IUDICIO AC TESTIMO-  
NIO WHITAKERI IUDICIO  
TRIBUENDVM SIT.

*Et primùm: An sit instar tabellionis.*

C A P. IIII.

*VWhitakerus.*

1. *Sect.* **Q**VANTVM illi Ecclesiae tribuant accipi-  
mus. Iam sequitur vt quid re vera Ecclesiae  
tribuendum sit, consideremus. Nos quidem non  
tantùm Ecclesiae tribuimus, quantum illi (neque  
enim id fas est) sed tamen officia Ecclesiae egregia  
erga scripturas multa agnoscimus, quæ ad qua-  
tuor capita reuocantur.

*Stapletonus.*

Laudo te vehementer, quòd certo ordine proce-  
das, & apertam animi tui sententiam proferas, eam-  
que totam ad certa capita reuoces. Sed hic expecta-  
mus, vt virum te præstes, & aliquid professore Re-  
gio, typis que Cantabrigiensibus dignum proferas:  
vel potius ipsa Ecclesia, eiusque sponso Christo di-  
gnum, qui eam suo planè loco in terris consistere  
voluit, quam ille sic misit, vt à patre missus fuit,  
quam sic audiri voluit tanquam seipsum. Au-  
diamus igitur tua quatuor Capita, & cum bona  
tua venia eadem libertate illa examinemus, qua tu  
tibi nostra examinanda sumpisti.

*VWhitakerus.*

2. *Sect.*

Primùm: Ecclesia testis est & custos sacrarum li-  
terarum, atque hac quidem in re instar tabellionis  
obtinet. In custodibus summa fides requiritur. Ne-  
mo tamen dicet ob tabellionis \* tantùm authori-

\* Perpe-  
tuum ef-  
fugium.

tatem

tatem tabulis credi, sed propter ipsarum dignitate. Sic Ecclesia scripturas fideliter custodire debet. Nec tamen scripturis propter Ecclesiæ duntaxat testimonium atque auctoritatem fidem adhibemus.

*Stapletonus.*

Dicis Ecclesiam esse testem, & esse custodem sacrarum literarum, & hac in re instar tabellionis obtinere. Hæc igitur duo quod testificatur, & quod custodit sacras literas, id valere ais, ut vim tabellionis Ecclesia habeat: moxque infers propter tabellionis auctoritatem tabulis non credi, sed propter ipsarum dignitatem: denique sic se rem habere in Ecclesia. Disputator absurde, vide quàm hic multa absurdissimè loqueris. Primùm agnoscis esse testem & custodem sacrarum literarum Ecclesiam. Hoc ex Sacris ipsis literis, hoc ex Sanctis patribus discere potuisti. Sed hæc duo tabellionis vim ac proprietatem denotare, quæ te scriptura, qui patres, quæ ratio docere potuit? Ecclesiam sanè testem esse totius fidei nostræ, ideoque & S. Scripturarum, quæ maximè ad fidem pertinent, plurimæ scripturæ docent, quas in huius operis quod impugnas lib. 8. studiosè recensui. Ecclesiam verò esse fidei nostræ testem, quantum valeat, quantam vim habeat, quantam auctoritatem denotet eodem quoque in loco diligenter (ut potui) explicavi. Sed pauca hic aut repetam, aut addam. Primùm Deus ipse non alia magis ratione totius fidei nostræ causa formalis est, quàm quod in cordibus nostris omnem veritatem testificatur, cuius testimonio infallibiliter veraci fides assentitur. Sic D. Ioannes: *Spiritus est qui testificatur, quod Christus est veritas.* Et iterum: *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Secundò quia Deus per Christum loqui & omnia docere voluit, Christus in Euangelio ad hoc se in mundum

Cap. 3. 9.  
& seq.

Quomodo Ecclesia est testis fidei.

1.

1. Ioan. 1.

2.

venisse profiteretur, vt patris sui loco testis esset totius veritatis. Ego (inquit) *ad hoc natus sum, & ad hoc in mundum veni, vt testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate audit vocem meam.* Rursum ad Nicodemum: *Qui accepit eius testimonium (scilicet, qui de sursum venit filij Dei) signavit quia Deus verax est.*

Ioan. 11. Tertiò Christus ad Patrem rediturus, mittit Apostolos, & legationis suæ vicarios, cum eadem testificandi potestate, eodem titulo & officio. Eritis (inquit) *mibi testes in Iudæa & Samaria vsque ad vltimum terræ.* Et ad Paulum singulariter dixit: *Ad hoc apparui tibi, vt constituam te ministrum & testem eorum qua vidisti, &c.*

Ioan. 3. Quartò ipsi Apostoli hoc suum esse officium & ad hoc se missos profitentur, vt veritatis Euangelicæ testes essent, non solum prædicatores. Sic Petrus: *Præcepit nobis prædicare populo & testificari, quia ipse est constitutus à Deo iudex, &c.*

Act. 1. Sic Ioannes: *Vita manifestata est, & vidimus & testamur, & annunciamus vobis,* Sic Paulus: *Si non est resurrectio mortuorum, inuenimus falsi testes.*

Act. 26. Quintò, ne tua VWhitakere impudentia (qui quicquid vllò fucò responderi potest, id respondes, nihil pensi habens, quàm absurdè respondeatur, neque quàm in promptu sit solutio) hic occurrat & dicat, Christum quidem & Apostolos ipsius cum summa authoritate testificari, non solum prædicare; sed eorum successores non nisi annunciare, non nisi tabelliones & præcones esse, (etsi hæc responsio longè esset absurdissima, quasi non perpetuo futuræ Ecclesiæ suæ Christus de certo fidei testimonio prospexisset, sed Apostolorum tantum tempori primæ que Ecclesiæ hac in re consulisset,) ipsos quoque Apostolorum successores eandem testificandi potestatem habere scriptura docet. Scribit Paulus suo Timotheo, quem Ephesi Episcopum ordinauerat. *Admoneo te vt resuscites gratiam*

*tiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* 2. Tim. 1.  
*Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis & dilectionis & sobrietatis. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum eius, sed collabora Evangelio, secundum virtutem Dei.* Diferte docet vt in prædicatione Evangelica diligenter adlaboret, neque de ea erubescat; sicut ipse ad Rom. scripserat. *Non erubesco Evangelium,* id est Evangelicam prædicationem. Hanc autem Evangelicæ prædicationis functionem vocat *Testimonium Domini nostri*, quia prædicando testificabatur ea quæ credenda erant de Domino nostro. Sic duos futuros prædicatores verbi, siue Enoch & Eliam, siue alios quoscunque vocat scriptura testes Dei. *Dabo (inquit) duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta annis siccis.* Quod ergo Deus ipse in cordibus fidelium per spiritum suum facit, vt quæ credenda esse docet, firmissimè credamus; quod Christus externa sua prædicatione fecit, vt quæ ille docuit, tanquam certissimo testimonio confirmata, à fidelibus credantur, idem Apostoli, idem eorum successores prædicando ac docendo faciunt, vt quod illi credendum proponunt, certissima fide credendum esse testificentur, eorumq; testimonium non secus quàm Dei ac Christi ipsius, quia per illos Deus & Christus loquuntur, à fidelibus accipiendum sit.

Rom. 1.

Apoc. 11.

Quid enim? An contra testes à Deo missos & constitutos vllus erit exceptioni locus? An non hoc est Deo repugnare? In causis quidem humanis quia ad veritatem explorandam ex arbitrio partium testes assumuntur, est exceptioni locus. At in veritate diuina, quia non ex arbitrio partium, non ex hominum voluntate, sed à Deo tanquam iudice testes assumuntur, eliguntur, segregantur, ordinantur, mittuntur, non magis iam contra illos, quàm con-

Testificationis Ecclesiastica quata vis.

Luc. 10. tra Deum excipi potest, iuxta illud Christi. *Qui vos spernit, me spernit.* Nostra fides testimonij nititur, non  
 De utilit. argumētis. *Quod enim intelligimus aliquid, rationi debe-*  
 cred. c. 11. *mus: quod autē credimus, authoritati,* ait sapiēter S. Aug.  
 Sūma ergo in causa fidei potestas est, eā posse testa-  
 ri. Hoc facit Ecclesia. Hoc longē excellentius est,  
 quā simpliciter annunciare. Vnde S. Augustinus:  
 Lib. de *Non sumus apud quoscumque loquimur, eorum quæ loqui-*  
 mendacio *mur testes, sed apud eos quibus expedit & debetur per nos*  
 cap. 17. *cognoscere aut credere veritati.* Moxque vtriusque ex-  
 emplum ponit. *Sicuti est index in iudicando ne erret*  
 (huic enim expedit & incumbit per testes veritatē  
 explorare) *aut qui docetur doctrina religionis: ne videlicet*  
 Testificari *erret in fide, aut in ipsa doctoris authoritate dubius fluctuet.*  
 plus quā *Hæc ille. Eam igitur ob causam tum Christus ipse*  
 annuntia- *à Deo patre, tum à Christo Apostoli eorumq; suc-*  
 re. *cessores, tanquam testes veritatis mittuntur, vt de*  
*eorum authoritate nullus relinqueretur ambigendi*  
*locus, vt in fide sua nemo erraret, vt fidei suæ magi-*  
*stris & doctoribus certam & indubitatam fidem*  
*vnusquisq; haberet. Aliud est annunciare, docere,*  
*prædicare, aliud & amplius testificari id quod do-*  
*ces. Annunciant præcones, docent ludimagistri, pa-*  
*rentes, professores omnium disciplinarum, prædi-*  
*cant qui ad hoc legitimè mittuntur. Præconis vox*  
*certam fidem non facit, vt mox dicetur. Qui do-*  
*cent, ex arte & acquisita scientia docent: tantumq;*  
*authoritatis habent, quantum bonis argumentis*  
*probant. Prædicatio verbi si nuda & simplex esset*  
*narratio, nudum esset ministerium non alia ratione*  
*credendum, quā si bona fide Domini sui, à quo*  
*missus est, mandata referat. Atqui testem esse eorum*  
*quæ dicenda sunt, & testificandi potestatem habere,*  
*tum ex parte loquentis certitudinem habet infalli-*  
*bilem, tum ex parte eorum, quibus loquitur obli-*  
 gatio-

gationem credendi inducit necessariam. Quum princeps aut communitas aliqua legatum mittit cum literis credentiæ, quæ vocantur, quibus eam ad quem mittit disertè monet, vel si potestatem mandandi habet, mandat, vt huic suo legato perinde credat ac sibi, eiusque testimonium in omnibus quæ dicturus est, firmum ac ratum habeat, hic certè legatus amplissimam in omnibus quæ dicit fidè habere debet. Talem testificandi potestatem à Deo Christus accepit, à Christo Ecclesia. Vnde Paulus: *2. Thef. 1. Creditum est testimonium nostrum super vos in die illo.* Et *2. Tim. 2.* alibi: *Probatum sumus à Deo, vt crederetur nobis Euangelium.* *1. Thef. 3.* Et iterum: *Secundum Euangelium gloriae beati Dei, quod creditum est mihi.* Docent hæ voces Spiritus S. doctrinam Euangelicam concreditam esse à Deo Ecclesiæ magistris, vt illorum verbo credatur, ac si Deus ipse loqueretur. Sic enim Thessalonicenses crediderunt testimonio Pauli, tanquam testi & custodi veritatis certissimo. Vnde his verbis eos laudat. *1. Thef. 2.* *Cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed sicuti verè est verbum Dei.* Et paulò post contra illos, qui eius doctrinæ non obediebant, ait: *Qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum.* Tale fuit Apostolorum, tale semper est Ecclesiæ testimonium. Testificantur vt legatione fungentes pro Christo, vt officium id facturi, quod Christus fecit, testimonium perhibens veritati.

Ac sic quidem Ecclesia testis est, quod tu vno verbo dixisse contentus, totam illam testificandi vim atque authoritatem, quum tabellionis instar illud esse ais, subuertis. Vt enim nunc ad tabellionis tui officium veniam, quod primùm Ecclesiæ tribuis; Primùm dic nobis quæso, quis testem & tabellionem vnquam præter te pro eodem habuit? *Ecclesiæ officium non est instar tabellionis.*

An aliud tabellio facit, quàm vt tabulas sibi ad fe-

rendum commissas deferat, qui quid in tabulis contineatur, nunquam rescire solet? An sic ergo tuo iudicio Ecclesia nobis Scripturas testificatur instar tabellionis, ut quid in illis contineatur nesciat? Hoc inest *praclarum officium* (ut loqueris) quod primo loco ei tribuendum censes? Næ tibi multum debet Ecclesia, multum debet totus fidelis populus. Ecclesiam facis testem veritatis, quam ignorat. Populum doces testis penitus ignari eius quod adfert, testimonio credere. Dico enim & iterum dico (quod vsus communis omnes docet) tabellionem, quatenus tabellionem, tabularum quas defert nullam notitiam habere: maximè cum principis sui tabulas defert. Ecclesia autem si tabellio Dei est in deferendis ad nos scripturis, supremi sui principis tabellio est. Deinde rogo à te professor eximie, quo tandem vniuersæ sacræ scripturæ loco Ecclesia tabellio vocatur, aut tabellioni cōparatur? Quæ te scriptura docuit hoc tabellionis officiū Ecclesiæ tribuere, te inquam, qui postea in hac tua præclara disputatione sustines, solam scripturam esse totius fidei, ac veritatis normam ac regulam vnicam, sufficientem, perfectam? Doce ergo istud ex scripturis: aut te nobis non veritatem, sed mendacium scripsisse agnosce.

Quid? quòd neque certi & fidelis tabellionis testimonium Ecclesiæ tribuis. Infers enim. *Sic Ecclesia scripturas fideliter custodire debet.* Sed non ais, non inferis, quod dicendum & inferendum fuit. Sic Ecclesia scripturas fideliter custodit. Non enim certè fidelis ille tabellio est, de quo hoc solum dicitur, quòd fideliter custodire debet tabulas sibi traditas, sed quòd fideliter semper custodit, & munus suum fideliter semper exequitur. Tu autem *praclara Ecclesiæ officia* dicturus, & *instar tabellionis* illam esse explicaturus,

Ignoran-  
tia aduer-  
sarij.

caturus, nihil ei plus tribuis, quàm quòd *fideliter debet tale officium facere*. Adeo nihil certum & constans in tua doctrina habes, sed instar præuaricantis aduocati causam malà à te susceptà, tã timidè & vacillanter tractas, vt *primum Ecclesie officium* traderete professus, primò *testem ac custodem* dixeris, quod aliquid ei Christi legato dignum tribuere videbatur, mox ita testem vt *instar tabellionis* esset asserueris, quod statim testis vim atque facultatem omnem sustulit, ac deinde sic tabellionem esse explicueris, vt *eius quidem officium facere debeat*, non tamen faciat, aut certè an faciat, incertum nobis relinquant. Adeo miserè times, ne quid nimis, ne quid amplius Ecclesie concedas, quàm quod hæresibus vestris conducatur. Nihil enim vos miseri magis formidatis, quàm Ecclesie Christi Catholicæ authoritatem, cuius vos robore frangi ac pondere obrui videtis. Sic ergo tua verba temperas ac libras, vt non quidem nihil ei dare videaris; sic tamen aliquid des, vt illud aliquid nihil sit. Sed & hoc aliquid nihil sic tandem ei tribuis, vt cautionem tamen adhibeas (ita cautus & catus es) ne id ipsum aliquid laxis vestris ac vagis perfugijs præiudicet. Ais enim: *Nec tamen scripturis propter Ecclesie duntaxat testimonium fidem atque authoritatem adhibemus*. In quo dupliciter stultus es. Primùm quòd tam sollicitus es de Ecclesie testimonio hic à te descripto, quod (vt iam ostēdimus) ex tua descriptione nullū est, nullius fidei, nullius momēti. Deinde quòd tã sollicitus es de Ecclesie duntaxat testimonio, quasi ego quem tu hic ex proposito impugnas, propter Ecclesie duntaxat testimonium, fidem atque authoritatem scripturis adhibendam aliquando dixissem: qui prorsus contrarium non dixi modo, sed & docui diligenter atque accuratius vt potui, probaui: sicuti in superioribus

Aduersarij  
vacillans oratio.

1.

2.

3.

Ecclesie  
authoritas hæreticis formidabilis.

Aduersarij  
stultitia duplex.

dictum satis a me est. Atque hoc est tuū primum præclarum Ecclesię officium quod nobis describis, videamus cætera.

---

## AN ECCLESIA SIT INSTAR VINDICIS AC nummularij.

### CAPVT. V.

*VWhitakerus.*

**S**ECVNDVM Ecclesię officium est, vt veras, germanas, ac genuinas Scripturas, à falsis, suppositijs & adulterinis dijudicet, ac discernat. Qua quidē in re fungitur officio *vindicis*, & ad hoc munus obeundum habet spiritum Christi, quo verū à falso possit distinguere. Nouit vocem sponsi sui, iudicio summo pollet, & potest spiritus dijudicare.

Similia  
prorsus  
ad rem  
inepta.

Autifex statera aut lapide aurum a cupro atque alijs metallis dijudicare potest: in quo non aurum ille facit, ne nobis quidem. Tantum esse aurum iudicat, & nos facilius credimus. vel si aliud exemplū desideretur nummum quem non agnosco, alius peritus esse bonum ac legitimum docet. Iam ego monitus acquiesco, sed propter materiam atque formam in nummo impressam, nunc esse rectum & regium intelligo. Similiter Ecclesia Scripturas agnoscit & diuinas esse prædicat. Nos moniti ac excitati ab Ecclesia sic se rem habere perspicimus. Et tamen non hoc iudicium omnes perinde Ecclesię habent.

\*Absurdum & impium.

*Stapletonus.*

Secundum hoc quod nobis describris Ecclesię  
offi-

officium præclarum sanè est, & satis orthodoxè a te prima facie explicatum. Quanquam enim similia a te prolata ad rem præsentem satis accommodata non sunt, rem tamen ipsam quod rectè tenuisti, & benè explicasti, in eo laudandus videris. Sed vide quæso si hæc quæ dixisti vera sunt, vt sunt verissima, quo iudicio, qua constantia, qua etiam cōscientia, nostram postea Assertionem refutare conaris, qua dicimus, *Ecclesiæ iudicio & Authoritate factum esse, vt Apocryphi secundi generis (qui fuerunt falsi, supposititij & adulterini) ideo pro diuinis Scripturis nunquam habitos fuisse, quia illos Ecclesia Dei nunquam recipiendos iudicauit?* An non officium Ecclesiæ quod hic describis, tantundem confiteretur? nec confiteretur modo, sed & legitimè probat, quia (inquis) *ad hoc munus obeundum habet Spiritum Christi, nouit quoque vocem sponsi sui, & potest spiritus dyjudicare.* Illa quidem tua nostræ Assertionis refutatio qualis sit, suo loco videbimus.

Princip.  
doctr.  
lib. 9.  
cap. 7. In-  
fra cap.

Interim tamen facit illa, vt etiam in hoc secūdo officio Ecclesiæ describēdo præuaricatorem te agere, & Ecclesiæ præclara officia quæ te explicare, eiusque causam quam te agere profiteris, non tam agere quam prodere, nec tam asserere quam deserere mihi videare. Si enim hoc illi officium seridū tribuis, mea tibi Assertio displicere non potuit. Si *Spiritum Christi habet, si nouit vocem sponsi sui, si potest spiritus dyjudicare, & propter ista potest germanas scripturas ab adulterinis discernere, quomodo falsa erit propositio mea? libri supposititij pro diuinis Scripturis nunquam habiti fuerunt quia illos Ecclesia Dei recipiendos nunquam iudicauit?* Displicet tamen, & ita displicet, vt totam huius Assertionis meæ probationem diligenter tibi refutādā suscepis. Hoc quum ita sit, suspecta mihi est hæc tua etiam orthodoxa cōfessio.

Præuaricatorem  
agit ad-  
uersarius.

Similia  
prolata  
Ecclesie  
authorita-  
ti non  
conueni-  
unt.

Iudicium  
Ecclesie  
non vul-  
gare sed  
præstans  
& propriū  
est.

Rom. 12.  
1. Cor. 12.

1. Cor. 7.  
1. Theff. 4.  
Rom. 4.

Augent suspicionem prolata similia; confirmat totius tuz confessionis conclusio. Neque enim vt aurifex statera iustum pondus ab iniusto, sic Ecclesia verum a falso dijudicat. Hæc quippe dijudicatio huiusmodi est vt non soli aurifici, sed cuius cōmuni ingenio prædico cōueniat. Cuius enim obuium & expeditum est adhibita statera pondus cognoscere, quod & omnes hodie mechanici paulò ditiores ac mercatores faciunt. Nummi cognitio adhuc magis vulgaris est, quā omnes tenēt qui eo vtuntur. De lapide, quod dixisti, quo aurū a cupro aurifex discernit, id propius ad rem accedit verè enim sicut ad aurum probandum non satis est lapidem lydium admouere, sed periti aurificis est de colore iudicare quem lapidis tactus adfert; sic solius Ecclesie est inspecta Scriptura iudicare, sacra illa sit ac diuina, an vero apocrypha & adulterina. Nam iudicium Ecclesie quo Scripturas veras à falsis decernit, nec vulgare est, nec multorum, ne quidem in sacra scientia benè versatorum, aut alioqui pietate præstantium virorum; sed gratia & donum quoddam diuinum est, *donatio* inquam est *secundum gratiam que data quibusdam est, differens* non cuilibet corporis Christi membro concessa, sed vocatis Apostolis, prophetis, pastoribus, doctoribus. *Non enim omnes propheta, non omnes pastores, non omnes doctores.* Officium ergo est & munus eorum qui spiritum quidem Christi habent, sed altiori modo quam ceteri fideles de quo altiori modo dixit Paulus, *Puto autem quod & ego Spiritū Dei habeam.* Et iterum. *Qui dedit Spiritum suum sanctum in nobis.* quum tamē de alio quodam vulgari modo idem dixerit. *Qui Spiritum Christi nō habet hic non est eius.* Omnes quippe pij fideles spiritum Christi habent, ad propriam salutem, ne viuāt secundum carnem sed secundum

cundum spiritum. Sed non omnes Spiritum dei habent ad aliorum salutem procurandam, vt sint in Ecclesia dei *pastores, doctores &c. ad cōsummationem sanctorum &c.* Ephes. 4. Rursum Ecclesia nouit vocem sponsi sui sed altiori modo quam cæteri fideles: de quo altiori modo dixit Christus Apostolis suis, *vobis datum est nosse mysteria regni cælorum.* Matth. 13. Et iterum. *Omnia quæ audiui a patre meo nota feci vobis* quum tamen de alio quodam modo vulgari dixerit Christus, *omnis qui natus est ex Spiritu audit vocem Spiritus;* quia sensus quidam & iudicium fidei penes omnes fideles est, & *vnctio docet de omnibus,* quia omnes Spiritum dei habēt vt sint dociles ad audiendam vocem dei per ora pastorum & doctorum, quos ad prædicandum mittit. Non omnes tamen sic nouerūt vocem spōsi sui, vt omnia mysteria nouerint quæ spōsus loquitur. Non omnes solidi cibi capaces sunt, quia (vt ait Apostolus) *sapientiam loquimur inter perfectos.* 1. Cor. 2. Multo minus possunt omnes solidum cibum alijs dare. Officium ac munus quorundam est, quos cōstituit Christus vt *prudentes patres familias qui norūt dare cibum in tempore & triticum in mensura.* Luc. 12. Denique omnes fideles certo quodā modo possunt spiritus diiudicare quia omnibus dictum est, *probate spiritus an ex deo sint,* & iterum. *Attendite vobis a falsis prophetis,* sed excellētiori quodam modo hoc facit Ecclesia: quo sane modo fecit Iacobus in Concilio Apostolico dicens. *Ego iudico non inquietari eos &c.* 1. Ioan. 4. Matth. 7. Habent quippe omnes fideles iudicium quoddam, vt ita dicam discretium veri à falso, ratione Catholicæ fidei quam tenent, de quo iudicio scripsit Augustinus. *Qui fidem Catholicam bene didicit, & vera pietate bene munitus est, etsi hereses nesciat, hereticis tamē respondet.* De agone Christi. cap. 4. *Nec enim decipi potest, qui iam cognouit quid pertineat ad Christianam fidem quæ Catholica dicitur.*

Iuxta hoc commune fidei iudicium, in causa quadam communis fidei dixit Apostolus Corinthijs vt *prudentibus loquor, vos ipsi iudicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus &c.* At vero fidelium pastores, doctores, præpositi, altius quoddam iudicium habent, quo ex autoritate spiritus dijudicant & falsa à veris discernunt, nec tam ex acquisita sciëntia quã ex vnctione accepta & ex officio ministerij ad quod vocati sũt. Idcirco nõ totus populus, aut quis de populo sed *Apostoli & Seniores cõuenerunt Hierosolymis*, vt in magna illa quæstione de legaliũ vel obseruatione vel abrogatione, verũ à falso discerneret.

Act. 15.

Quod tu ergo in hoc secundo Ecclesiæ officio ei tribuis, vt veras Scripturas à falsis possit discernere, eo quod Spiritũ Dei habeat, eò quòd nouit vocem sponsi sui, eo quod spiritus dijudicare potest, si eo sensu quo hoc Ecclesiæ verè & excellenter conuenit rem totam intelligis, rectè & orthodoxè dixisti; sed tua similia nullo modo hũc sensum expresserunt; quum nulla singulari autoritate & prærogatiua, ac ne quidem ex arte Aurifex aurum statera aut lapide probet, vel nummum peritus cognoscit. Vide igitur nè per hæc similia non iudicium & officium Ecclesiæ proprium, pastoribus (inquam) doctoribus ac præpositis Ecclesiæ proprium, sed cuius fidelis aliquo modo commune intelligas, quod certè tua hic similia satis insinuant: & tua postea disputatio contra Assertionem nostram prædictam, tuæ hic confessioni (si rem bene intelligeres) planè conformis apertius docet.

Auget hanc suspicionem nostram quod in fine concludis, dicens. *Et tamen non hoc iudicium omnes Ecclesia perinde habent.* Hic enim planè ostendis non te loqui de aliquo iudicio authentico, & quod autoritatem habeat, quodque penes Ecclesiarum capita, pasto-

pastores & doctores resideat, sed de iudicio vulgari & quod omnibus particularibus Ecclesijs indifferenter possit competere, nisi quia non omnes Ecclesie ita iudicio valent, non sunt tã periti aurifices & nummularij, vt possint vocem sponsi sui certò dignoscere ab adulterinis fallacijs, aut spiritus falsos à veris certò diiudicare. Ecclesia certè cuius nos authoritatem, iudicium, testimonium, & vocem agnoscimus, tanquam Deo per eam loquente, non est aliqua particularis Ecclesia, vt particularis, id est, vt à cæteris iudicio, opinione, & sensu diuisa; sed est omnium qui Ecclesias, id est, congregationes particulares regunt concors & vnanimis sententia in Concilio aliquo (quando ita res postulat) vel aliter declarata. Qua de re tota latius & exactius in hoc Opere, quod tu impugnas, disputauimus, antequam ad præsentem quæstionem examinandam veniremus. Quod & ita VWhitakere factum oportuit, si via & ordine disputationem tuã instituire voluisses. Vides enim nunc ipsemet, viderique cordatus omnis lector, quia id factum non est, quàm incertè & vacillanter loquaris. Disputas de Ecclesie iudicio in causa grauissima. Hoc iudicium quando explicas, & aliquid ei reuera tribuis Ecclesia Christi dignum, statim excipis de quibusdam Ecclesijs. *Non omnes (inquis) Ecclesie hoc iudicium habent.* Nec doces quales illæ Ecclesie sint, aut quam ob causam hoc iudicium illæ non habent, aut cur deniq; certæ Ecclesie magis quam aliæ hoc iudicio valent. Non oēs, inquis, Quæro an saltè aliquæ habēt & si aliquæ habēt, quæro quare illæ hoc iudiciū habēt, & nō aliæ? Sed hæc tam clara & perspicua docendi ratio vestris hæresibus non conuenit. *Qui enim malè agit odit lucem; & non venit ad lucem, ne arguantur opera eius.* Hac de causa in hac tua

Ecclesia non est particularis aliqua congregatio.

Lib. 7. c. 8.

Trepidat & obscure asserit aduersarius.

Ioan. 3.

dispu-

disputatione lucem fugis, latebras quæris: Ecclesie nomine quid intelligi debeat, quum de eius auctoritate queritur, non definiis, non explicas, sed de certis Ecclesijs excipis, quæ quales sint, aut cur excipiantur, nec nos scire possumus, nec tu ipse (vt opinor) nosti. Hæc sanè faciunt, vt tua hic iudicij Ecclesiastici descriptio, etsi in se bona & orthodoxa tamen ex cauda quam attexis serpentina, merito nobis suspecta videatur, vt parum sincera, & non aliam ob causam prolata, quàm vt aliquid ei tribuisse videatis, quum rursus hoc aliquid nihil sit:

Nam & illud quale obsecro est, quod de tuo aurifice dicis: *Non aurum ille facit, ne nobis quidem.* Moxque infers: *Similiter Ecclesia Scripturas diuinas esse predicat. Nos moniti & excitati ab Ecclesia sic se rem habere perspicimus.* Vis ergo vt ne quoad nos quidem vllam scripturarum certitudinem Ecclesia faciat, sed moneat tantum atque excitet nos ad considerationem scripturarum, vt ita ab ea moniti sic se rem habere nos ipsi perspiciamus: & sicut de nummo dixisti: *Ego monitus acquiesco: sed propter materiam atque formam in nummo impressam, nunc esse rectum & regium intelligo,* sic moniti nos ab Ecclesia, scripturas ipsas propter res diuinissimas in eis contentas, iam sacras vereque diuinas esse per nos ipsos intelligimus? Atqui hoc est quod dixi, te verbis aliquid tribuere, sed hoc tuum aliquid sic postea explicare, vt illud aliquid nihil sit. Verum sanè est, quod multa eorum, quæ primò simpliciter credimus, postea clarè intelligimus. *Fides enim præcedit intellectum, vt intellectus sit fidei præmium,* vt docet Augustinus. Et Propheta dicit, *Nisi credideritis, non intelligetis.* Ad quæ verba Augustinus: *Per fidem copulamur, per intellectum viuificamur. Prius hæreamus per fidem, vt sit quod viuificetur per intellectum.* Nam & sic in Euangelio Iudæis Capharnai-

Verbis aliquid re ipsa nihil tribuit Ecclesie aduersarius.

August. con. faust. lib. 4. c. 2. Esaiæ 7. De verb. Domini serm. 5.

pharnaitis contra Christi doctrinam murmurantibus dixit Christus : *Sunt quidam in vobis qui non credunt. Non dixit (ait Augustinus) sunt quidam in vobis qui non intelligunt, sed causam dixit, quare non intelligunt. Sunt enim quidam in vobis, qui non credunt, & ideo non intelligunt, quia non credunt.* Ibidem.

Vide igitur. Quod ex fide diuinitus data, & ex interna Spiritus sancti persuasione primò credimus, illud postea Deo mentem magis ac magis illuminante, multisq; accedentibus fidei argumentis, non quidem quibus illa probetur, sed quibus illa non esse improbabilis ostendatur, iam quod credidimus intelligimus, & contra veritatis hostes perspicuè defendimus. Cæterum an propterea VWhitakere dices? Nos moniti & excitati à Deo eiusque diuino Spiritu sic se rem habere perspicimus, ideoque non ille nobis hoc verum esse facit, sed propter res ipsas quas cõtuemur, recta & regia, vera & diuina esse, quæ Deus dixit, intelligimus. Hoc sanè te dicturum non arbitror: sed quanta-cunque tibi rerum sacrarum intelligentia, fide præcedente accreuerit; Deo tamen credere non desines; fidem propterea retinere non cessabis. Atqui in Ecclesia sic se res habet in suo genere & ordine. Nam vt in genere causæ interioris semper credimus Deo, & propter internam Spiritus sancti persuasionem, sic in genere causæ exterioris semper credimus Ecclesiæ & eius testimonio. Nempe quàm diu Ecclesiæ filij sumus, illamque vt matrem agnoscimus, sicut Deum patrem (quod quot modis, & quàm necessariò verum sit in hoc opere, quod tu impugnas, operosè docuimus) illi credere, eiusque testimonio & authoritati fidem adhibere debemus. Nondum ad mensam patris in cælo, sed ad mammillam matris in terra idonei Ecclesiæ credete in hac vita non desinimus.

H Lib. 8. cap. 19.

sumus.

sumus. Vide quid hac de re ipse tuus Calvinus  
 Infit. lib. dicat. *Discamus vno matris elogio, quam utilis sit nobis*  
 4.C.I.D.4. *eius cognitio, imò necessaria: quando non alius est in vitam*  
*ingressus, nisi nos ipsa concipiat in utero, nisi pariat, nisi nos*  
*alac suis vberibus, demique sub custodia & gubernatione sua*  
*nos tueatur, donec exuti carne mortali similes simus Ange-*  
*lis. Neque enim patitur nostra infirmitas à schola nos*  
*dimitti, donec toto vita cursu discipuli fuerimus. Et paulò*  
*post citatis Apostoli verbis, Dedit alios quidem*  
*Apostolos, alios Prophetas, &c. Videmus (inquit)*  
*vt Deus qui posset momento suos perficere, nolit tamen eos*  
*adolescere in virilem aetatem, nisi educatione Ecclesiae. Et*  
*iterum: Fidem nobis Deus ingenerat, sed Euangelij sui or-*  
*gano, sicuti admonet Paulus fidem esse ex auditu. Sicuti*  
*etiam penes Deum residet sua potentia ad seruandum, sed*  
*eam in Euangelij predicatione eodem Paulo teste de promit*  
*atque explicat. Hæc tuus Calvinus: Docet Ecclesiae*  
 doctrinam nobis semper esse necessariam. Tu  
 verò semel ab Ecclesia monitus & excitatus, iam  
 statim per te ipsum idoneum te putas, qui eius vo-  
 ce relicta, non quia illa dicit, sed quia ita se rem  
 habere tu ipse perspicias, scripturis credas. Atqui  
 vir bone, si pius & fidelis esse vis, non sic à fidei  
 schola emancipandum te vnquam putabis, vt aut  
 interna Spiritus sancti persuasione, aut externa  
 Ecclesiae voce, iudicio, testimonio, aliquando te  
 carere posse existimes. Vtrumque Deus in nostra  
 fide generanda, & conseruanda coniunctum esse  
 voluit. \* Sicuti qui se ita scripturas esse diuinas  
 intelligere & scire ait, vt ex interna Spiritus sancti  
 persuasione id amplius non credat, iam fidem ha-  
 bere & fidelis esse desijt; ita omnino qui se ita scri-  
 pturas esse diuinas intelligere & scire ait, vt pro-  
 pter Ecclesiae vocem, iudicium, testimonium, id  
 amplius non credat, Christianus & de corpore  
 Christi

\*Intelle-  
 ctus non  
 excludit  
 fidem vel  
 Deo vel  
 Ecclesiae  
 debitam.

Christi quod est Ecclesia esse desijt. Sanè vt semper illum fidei nostræ articulum credimus, (*Credo Ecclesiam Catholicam. &c.* sic semper quæcunque credimus propter Ecclesiæ testimonium in genere causæ exterioris (quam perpetuam esse Christus voluit, vt ipse Calvinus te docere potuit Whitaker) credere debemus. Quare aurificis & nummularij tui exempla omnem quam Ecclesiæ tribuere videbaris fidem & authoritatem ademerunt: & bonam tuam confessionem, improba explicatio obliteravit. Sed erunt adhuc ista clariora, quando ad cap. 6. disputationis tuæ respondebitur. Pergamus nunc ad alia.

## A N E C C L E S I A F V N G A T V R O F F I C I O simplicis Præconis.

### C A P. V I.

*VWhitakerus.*

**T**ERTIVM Ecclesiæ officium est, scripturas <sup>1. Sect.</sup> diulgare, proponere, prædicare, promulgare, qua in re fungitur officio præconis, qui debet alta voce decreta atque edicta regis pronunciare, nihil prætermittere, nihil mutare, nihil de suo addere. Chrysostomus in 1. homil. epist. ad Titum, hanc similitudinem persequitur. *ὡς πρὸς (inquit) ὁ κηρὺς πάντων παρῶντων ἐν τῷ διατάτῳ κηρῦσει, ὄντω καὶ ἡρεῖς.* Vbi ostendit hanc præconis virtutem esse, vt omnia quæ accepit afferat, & nihil de suo addat, nihil detrahar. Iam verò magistratum edictis populus credit & obtemperat propter se, non propter præconis vocē.

*Stapletonus.*

Si in alijs Ecclesiæ præclaris officijs describendis prævaricatorẽ egisti, & cuius munera, potestatem, prærogativas explicare & tradere te profiteris, eandem potestate & prærogatiua omni hæctenus spoliasti; tumi verò in hoc tertio membro quàm maxime id fecisti, & in infimum planè ordinem potestatem Ecclesiasticam, quam Christus maximam in terris esse voluit, redegisti. *Præconis officium (ais) exercet Ecclesia, & hoc ita explicas ex Chryso- stomo, vt eius sit, omnia quæ accepit, afferre, nihil de suo addere, nihil detrabere.* Sed quamobrem tu mi VVhitakere, sic omnia quæ de Chryso stomo accepisti, non etiam protulisti, sed multa detrahendo, sententiam eius totam peruertisti? Dices te Præconem eius non esse; ideoque ad hanc fidem non astringi. At quum Præconis hoc officium, quod ex eo describis, fidelem eorum quæ aliunde accipiuntur relationem doceat, certè monere te hoc ipsum debuit, vt tu quoque bona fide, quæ aliunde te accipere profiteris, in illa tua cathedra magistrali (vbi præconem veritatis agere videri vis) sic afferres, vt nihil de tuo adderes, nihil ex eo detraheres. Nunc autem tu rem totam pessima fidè tractasti, & præconis officium laudans, prævaricatoris partes agis. Profere- mus ergo totam Chryso stomi sententiam, vt præconis hoc officium, quod ille Ecclesiæ tribuit, quale demum sit, perspicuè intelligamus. Tractat illa Apostoli verba ad Titum. *Manifestauit (Deus) tempo- ribus suis verbum suum in predicatione, quæ credita est mihi secundum imperium Saluatoris nostri Dei.* Insignis locus est, qui præclarum Ecclesiæ officium doceat, quem & Chryso stomus sensum literæ inhærentem (more suo) secutus præclarè exponit. Singula enim Apo- stoli verba expendit, & quam vim vnumquodque habeat,

Chryso-  
stomi to-  
ra senten-  
tia Eccle-  
siæ autho-  
ritatẽ do-  
cet am-  
plissimã.

Homil. I.  
incap. I.

habeat, disertè edisserit. Primum quod Apostolus dicit. *In predicatione, sic explicat.* *τούτοις φανερώς, μετὰ παρρησίας. τὸτο γὰρ ἐστὶ ἐν τῷ κηρύγματι.* hoc est, apertè cum magna loquendi libertate. Hoc utique est in predicatione. Moxque ad hoc probandum verba à te prolata sequuntur. *ὡςπερ γὰρ κήρυξ πάντων παρόντων ἐν τῷ θεάτρῳ κηρύττει, ἕτως καὶ ἡμεῖς κηρύττομεν, &c.* Sicut enim præco presentibus omnibus in theatro predicat, ita & nos, inquit, publice predicamus, ea ratione, ut nihil addamus, sed ea tantum quæ audivimus predicemus. Ea quippe virtus præconis est, veraciter quæ sibi credita sunt, omnia prosequi non aliquid addere, aut immutare, aut auferre. Atque hæc sunt omnia, quæ tu V Whitakere ex Chrystomo proferenda putasti, ut ex sententia eius mutila ac manca, doctrinam tuis auditoribus mutilam ac mancā dares, & per hoc falsam & adulterinam doceres. Sequuntur quippe in Chrystomo, quæ prædicatori Ecclesiastico auctoritatem longe maiorem & excelsoiorem tribuunt, quàm tu cuiusvis magistratus vulgari præconi (sic enim de præcone è magistratu nullo concludis) de more tribui ostendis. Sic enim infert. *Si igitur predicare oportet, magna id fiducia atque constantia faciendum est. Alioqui nulla erit predicationis virtus; Idcirco & Christus non ait, dicite in auribus, sed predicatè super tecta. Nempe & ex dicendi modo, & ex loco predicationem apertam atque illustrem oportere esse commendat.*

Comparatio igitur præconis à Chrystomo prolata non eò tendebat, ut simplicis præconis officium Ecclesiam habere doceret, quo proponeret tantum & promulgaret sibi commissa nihil addendo vel detrahendo, quemadmodum tu ex eo colligis; sed primum non de tota potestate Ecclesie disputat, aut eius officia inquirat, sicuti tu hoc loco, deinde illam potestatem non attingit,

Chrysoft.  
mutilatè  
citatus ab  
adversario.

Matt. 10.

Ecclesie  
vocè cur  
præconi  
Chrysoft.  
compara-  
uit.

quæ hic ex instituto quaeritur, circa scripturarum approbationem, sed de prædicationis distincto officio, quo verbum Dei è superiori loco docetur, tum Apostolus, tum Chrysoſtomus loquitur.

3. Tertio ideo præconis similitudinem Chrysoſtomus inducit, vt formam quasi prædicandi externam aliquo modo similem ostenderet. Tum quia publicè id fit, quasique in theatro multorum audientium; tum quia omnia sibi commissa ad dicendum fideliter enunciat, vt præco solet. Sed

4. *Alt. 4.* addit magna cum fiducia atque constantia faciendum id esse, sine qua nulla esset prædicationis virtus. Sic Apostoli cum fiducia loquebantur verbum Dei, nec minis, nec blanditijs à veritate dicenda territi. Hoc præconi

5. vulgari non semper incumbit, vt cum suæ vitæ periculo edictum promulget. Sed quod adhuc in Chryſ. sequitur, latius discrimen aperit. Illa enim

Apostoli verba tractans, *Quæ credita est mihi secundum imperium*, &c. ait: *ἡ ἐπίστασις τοῦ κηρυττοῦ, καὶ τὸ ἔργον τῆς ἐπίστασις*, τὸ ἀξιόπιστον δεικνύσκει, ὡς ἐκ τῆς ἀνάγκης κατέδεικται, καὶ ἀπὸ τῆς ἐπίστασις, καὶ ἀπὸ τῆς ἐπίστασις.

Ex eo quod Apostolus ait, *quæ mihi credita est*, & ex eo quod addidit *secundum imperium*

*prædicationem dignam esse, cui fides adhibeatur, ostendit, vt nemo iam debeat vel indignè ferre, vel negligenter admittere, vel ad verba prædicationis obtorpere.* Hæc Chrysoſtomus.

Docet prædicationem Ecclesiasticâ non simplicem præconis vocem esse, propter quam (vt tu dicis)

Amplissimam Ecclesie docentis auctoritatem docet Chrysoſt.

*populus non credit nec obtemperat magistratum edictis, sed esse functionem à Deo commissam & cum imperio huiusmodi, vt sit ex se fide digna, vt nemo*

*debeat docentis Ecclesie vocem aut indignanter accipere, si fortè loquatur nostris placitis contraria; aut negligenter admittere, quasi indifferens &*

*ἀδύνατον* *ellet ei obedire, vel non obedire; aut denique ea audita obtorperè, & remissè ac tepidè*

*mandata*

mandata eius exequi aut doctrinam eius amplecti. Talem Ecclesiæ authoritatem iuxta expressam Apostoli doctrinam hoc loco Chrysostronus docet, non qualem tu ex verbis eius mutilatè prolatis, ignaro lectori obtrudere voluisti. Hanc Ecclesiæ authoritatem ἀξιοπιστον fide dignam, alio in loco sic asserit S. Chrysostronus, ut dicat. Οὐκ οὐδας τί ἐστι ὁ

ιερεὺς; ὃς ἄγγελος κυρίου ἐστίν; ἢ γὰρ τὰ ἑαυτοῦ λέγει; εἰ ἡγοῦσθε φρονεῖς αὐτὸν, ἐκ αὐτοῦ καταφρονεῖς, ἀλλὰ τὸ χειροτονήσαντι αὐτὸν θεὸς. *An ignoras quid sit sacerdos? Angelus utique*

Homil. 2.  
ad Tim.

Domini est. Non ex seipso loquitur. Si despicias, non illum despicias, sed Deū qui illum ordinavit. Hæc ille, multo amplius Ecclesiæ tribuens, quàm simplicis præconis vocem; quod adhuc eodem loco pluribus verbis idem clarissimus Scripturarum interpres ex scripturis docet. Præco sanè quidam Ecclesiæ præpositus est, & ad prædicandum missus, sed talis præco, ut illi obaudire necesse sit. Vnde exclamat post Prophetam Apostolus. *Domine quis credidit auditui nostro.*

Rom. 10.

An tu putas VWhitakere Ecclesiæ Christianæ prædicatores minorum fide, authoritate, obedientia audiendos esse, quàm veteris Synagogæ Prophetæ audiri debebant? An non magis illustri & conspicua est prædicatorum in Evangelica & Apostolica doctrina missio, quàm Prophetarum in Synagoga vocatio? An non Apostolus toto cap. 3. posterioris ad Corinthios hoc ipsum accuratè docet? At quæ alia fuit veteris populi ruina, perditio, vastatio, quàm quòd prophetas ipsos à Deo missos non audierunt? Cuius rei tota scriptura vetus est plena, ut in rebellionem contra Moysen, inobedientiam contra Samuelem, contempta voce tot prophetarum, Esaiæ, Ieremiæ, Ezechielis, & aliorum. Eadem vastitas hæreticos manet, qui Ecclesiam non

Religionis ruina  
Ecclesiæ contemptus.

audiunt, sed vulgaris tabellionis aut præconis loco eam habent.

Ioñ. Bapt.  
Præconiū.

Ioannes Baptista per modum præconis, prædicabat pœnitentiam in remissionem peccatorum, præparans viam Domino; & erat *vox clamantis in deserto*,

Matth. 3.

sed maxima multitudo, quæ ad eum videndum exierat audiente. *Parate vias Domini. Rectas facite semitas eius.* Denique hoc officium quum exercebat,

Ioan. 1.

Christum ipsum digito demonstravit, dicens: *Ecce agnus Dei*, &c. Sed quid de hoc præcone iudicas

VWhitakere? An vt de tuo præcone dicis, non propter illum aut eius vocem Christo homines credidisse? Ais enim *magistratum edictis populum credere, propter se, non propter præconis vocem.* At si idem de Io-

Ioan. 1.

anne dixeris, quod te dicere necesse est, qui de Ecclesiæ voce hoc dicis, quum Ioannes non alterius

generis præco fuerit, quam est omnis prædicator Ecclesiasticus, cuius ex Chrysoftomo officium descripsisti; mendacij te conuincet S. Scriptura. *Fuit enim homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Non erat*

*ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum.* Sic planè Ecclesia missa est à Deo in mundum, non quia ipsa est lux, sed vt testimonium perhibeat de lumine, hoc est, de veritate: vt

Exod. 28.

omnes credant per Ecclesiam. Vult quippe Deus non immediatè, non per Angelos, non per prophetas

extraordinariè missos, non per summum sacerdotè Aaronicū, aut per oraculum tabernaculi, vel per applicationè ephod, vel per doctrinā & veritatè

quæ erat in rationali iudicij super pectus summi sacerdotis, vt olim veteri populo; nec per filium suū vnigenitum, vt ipsis Apostolis, primisque Ecclesiæ

suz magistris; sed per ipsos iam Ecclesiæ magistros, pastores, doctores, oëm nobis veritatè loqui; nec loqui tantum, sed attestari; sic denique attestari, vt nō

secus

secus Ecclesie testimonio nos credere debeamus, quã Christi testimonio crediderunt Apostoli, vt supra explicatũ est. Talis præco est Ecclesie, vt meritò doctissimus Tho. waldensis noster contra tuum *de christiæ religionis viclephũ* scripserit. *Testimonium Ecclesie Catholicae est obiectum fidei Christiane, & legislatio Scripturae Canonica.* Planè sicut Moyses quum duas tabulas legis à deo scriptas populo promulgaret, præconis vicem agebat, & legislator tamen vocatur & est, eò quod legislatoris est non solum leges ferre, sed etiam à Senatu vel principe latas edicere & promulgare; sic Ecclesie præconium circa scripturam Canonicam, eiusdem est quoad nos legislatio, quia est Regulæ diuinæ applicatio nobis facta: sine qua applicatione vt nullius Regulæ sic nec scripturarum quoad nos vllus vsus quatenus talium, aut vlla certitudo esset.

Doctrin.  
fid. lib. 2.  
cap. 21.

Moyse  
legislator,  
& præco.

*Whitakerus.*

Quartum Ecclesie officium est scripturas exponere ac interpretari. Qua in re fungitur officio interpretis. Nihil autem debet de suo cõminisci, sed scripturas ex scripturis explicare.

2. Sect.

*Stapletonus.*

Quartum hoc Ecclesie officium, quod hic assignas, aut ad rem præsentem non pertinet, in qua de scripturarum per Ecclesiam approbatione tantum & commendatione queritur, aut certè ex vna quæstione duas te absurdè fecisse docet: de Autoritate scripturæ vnã, de interpretatione scripturæ alteram. Sed certè duæ sunt & diuersæ multum hæ quæstiones; quum in vna quæratur vnde nobis cõstat has esse sacras & diuinas, atque Canonicas scripturas, in altera quæratur, per quos vel quomodo harum scripturarum certa & legitima interpretatio fiat. Quare quartum istud officium, vt à re

proposita alienum est, ita ad numerum tantum augendum, prolatum est, ut tanto aliquid amplius Ecclesie tribuisse videare. De re ipsa, quatenusque & quomodo legitima scripturarum interpres Ecclesia sit in decimo huius operis quod impugnas libro plenissime, à me disputatum est: nec tu eorum quicquam attingere consultum putasti.

*VWhitakerus.*

3. Sect. Hæc sanè magna sunt imprimis & ampla Ecclesie munera, quæ nos illi libenter concedimus. Ex quibus tamen minimè sequitur, nos propter Ecclesie tantum auctoritatem scripturis assentiri, \* quod Papistæ volunt & defendunt. Atque ex his, quæ sint Ecclesie erga scripturam officia, iuxta & nostram \* & Papistarum opinionem satis constat.

\* Mendacium luculentum  
\* Alterum sine fronte.

*Stapletonus.*

Quæ tu Ecclesie munera tribuisti, quam parum sunt ampla, quàm verè angusta, parua, & tenuia, satis à nobis contra te explicatum est. Quod verò hic addis nostram sententiam hanc esse, hoc nos velle & defendere, nos propter Ecclesie tantum auctoritatem scripturis assentiri, luculentum tuum est & perfrictæ frontis hæretico dignum mendacium, sicuti etiã in superioribus ostensum à me iam est. Neque minùs luculentum mendacium est, ex his quæ à te dicta sunt satis constare quæ sit nostra de Ecclesia erga scripturam officijs sententia. Hoc enim VWhitakere si fideliter explicare & fortiter refutare voluisses, omnia illa quæ de Ecclesie potestate in huius operis quod impugnas lib. octavo disseruimus, dissimulare non debuisses. Ex illo enim libro constat, qualem nos & quantam & quò sensu ac modo Ecclesie potestatem docemus circa & erga ea omnia quæ nos docet, vel quæ affirmat & tradit, & consequenter circa & erga scripturas, quod vnum est fi-

dei

VWhitakeri ignavia & dissimulatio fœda.

dei nostræ obiectum sicut cætera quæ creduntur. Quamuis enim lib. 9. illam thesim ad hanc hypothesim de scripturarum approbatione deduxi, & de hoc particulari potestatis ecclesiasticæ obiecto in hoc libro disputavi, tamen quia omnis hæc disputatio particularis ab illa generali dependebat, & totus eius sensus tota vera intelligentia à priori illa disputatione petenda fuit, propterea nec tibi nec lectori quæ sit nostra de hac particulari quæstione sententia satis constare potuit, nisi priorem illam generalem prius examinasses, & compedium saltem eius proposuisses, ut ea generali disputatione vel concessa vel refutata, sic demum nostram sententiam in hac quæstione particulari rectè retenuisse, lectorique rectè explicuisse, concludere posses. Nunc ea re tota perinde ac si nūquam scripta fuisset penitus neglecta & dissimulata, concludis impudenter, ponens mēdacium spem tuam; *ex his quæ sint Ecclesie erga Scripturam officia, iuxta Papistarum opinionē satis constat.* Nunc enim adeo ex his quæ dixisti hoc non constat, ut nihil minus quàm nostram sententiam aperueris, eamque nobis tribueris, à qua nos maximè abhorremus, & quam longa disputatione dicto lib. 8. ipsimet refutauimus: hanc inquā sententiam quam hic disertis verbis ponis. *Nos propter Ecclesie tantum authoritatem Scripturis assentiri.* Hæc est tua professor eximie in totius quæstionis controuersæ statu exponendo, (totius tuæ disputationis fundamento) vel crassa & in puero castiganda ignorantia, vel exporrecta & in doctore detestanda impudentia.

AD S. SCRIPTURAS  
CERTO COGNOSCENDAS  
ECCLESIAE AVTHORITATE OPVS ES-  
se, quia Deus per Ecclesiam loquitur.

## CAPVT. VII.

*VWhitakerus.*

**V**ERVM huius quæstionis statum ex ipsis pa-  
pistatū libris deprompsimus. Iam sequitur vt  
ad eorum argumenta accedamus; quæ illis certè  
firmissima videntur: vt nulla vis nobis reliqua sit  
ad resistendum. Sed nos Deo adiuuante illa omnia  
facile (vti spero) diluemus.

*Stapletonus.*

Verum huius quæstionis statum quem ex no-  
stris libris depromere potuisti, penitus iuxta nostro-  
rum librorum sententiam peruertisti: vel quia no-  
stros libros professor eximie non intellexisti: vel  
quia eosdem disputator ignare non legisti: vel cer-  
tè quia, lectis & intellectis, falsam tamen senten-  
tiam impingere aut maleuolè voluisti, aut necessa-  
rium tibi existimasti, vt haberes quod aliqua cum  
apparentia refutares. Quod autem dico te a nostra  
sententia in statu quæstionis explicando, a mea  
maximè quem tibi hic impugnandum delegisti,  
toto cælo aberrasse; in antecedentibus explicatum  
dedimus. Videbimus nūc quàm feliciter & dexte-  
rè nostra argumenta refutabis. Qua in re breuiorè  
me fore confido, & insulas tuas exceptiones pau-  
rioribus verbis repulsurum. Hactenus enim in sta-  
tu quæstionis explicando, in quo totius reliquæ dis-  
putationis cardo vertitur, & fundamentum poni-  
tur,

tur, in tuis explicandis ineptijs prolixior esse volui & debui.

*VWhitakerus.*

Stapletonus Canum interpolauit, & eius argumenta fufius explicauit. Cum illo igitur congre-  
diemur, tum quia nostras est, tum etiam quia hanc  
caufam omnium acutiffimè & accuratiffimè tra-  
ctaffe videtur. Totum enim librum nonum de hac  
queftione instituit, & in 4. Cap. illius libri fic con-  
tra nos argumentari incipit.

*Stapletonus.*

Illius capitis Assertio feu propositio quam pro-  
bare volo, hæc est. *Necessarium est vt Ecclesia authoritas  
& Iudicium Scripturarum Canonem fidelibus consignet.*  
Hanc propositionem omnia illius Capitis argu-  
menta probant. Hiccine ergo Whitakere contra  
vos argumentari incipio? An vos negatis Ecclesiæ  
authoritatem & iudicium in Scripturarum Cano-  
ne consignando fidelibus esse necessariam? Recole  
igitur tua ipsius verba 1. Cap. huius disputatio-  
nis tuæ, quæ hæc sunt. *Non negamus ad Ecclesiam per-  
tinere, vt Scripturas approbet, agnoscat, recipiat, promulget  
atque commendet suis omnibus: & hoc testimonium esse  
verum, atque ab omnibus suscipi oportere dicimus.* Hic ag-  
noscis ad Ecclesiam pertinere vt Scripturas appro-  
bet, promulget, commendet. Quid hoc aliud aut minus  
est quàm consignare? Addis *suis omnibus*. Quid hoc  
aliud aut minus est, quam quod ego dixi, *fidelibus*.  
Imo maius est quod tu dixisti qui omnes vniuersa-  
liter posuisti, ego fideles indefinitè dixi. Addis rur-  
sum *hoc Ecclesiæ testimonium ab omnibus suscipi oportere*.  
Quid hoc aliud aut minus est, quàm quod ego dixi,  
Ecclesiæ iudicium & authoritatem hac in re esse  
necessariam? Cuius enim iudicium ab omnibus  
suscipi oportet quod tu dicis, an illud omnibus ne-  
cessarium

2. Sect.

VWhita-  
kerus sibi  
ipsi con-  
tradicit.

cessarium non est, quod ego dixi? Vide ergo quam tu tibi ipsi aperte contrarius es, qui illa argumenta contra te fieri affirmas<sup>1</sup>, quæ eadem propositionem probant quam tu ipse asseris & affirmas?

Abfurdi-  
tas aduer-  
sarij.

Rursum illa Ecclesiæ præclara officia quæ nobis descripsisti, circa approbationem Scripturarū, quod testis, custos, vindex, & præco earum est, si necessaria non sunt, nobis inquam posita Dei ordinatione nostraque vel infirmitate iuanda vel superbia edomanda (quem necessarij modum initio huius Capitis apposui, sed tu tibi dissimulandū putasti) quorsum illa a te ponuntur? Præclara sanè officia posuisti, & magnam scilicet Ecclesiæ auctoritatem explicuisti, quæ multa quidem circa Scripturas consignandas præstare potest, sed huiusmodi ut nulla eorum omnium necessitas sit, nemo illis obtemperare aut subijci debeat. Sin verò talia sunt & talia posuisti, ut illis subijci omnes oporteat, sicuti prius de Ecclesiæ testimonio asseruisti, (quod nisi tibi ipsi velis contradicere necessariò tibi dicendum est) rursum aio hæc Ecclesiæ officia à te descripta nō aliud dicere ac docere quam quod huius Capitis propositio, cuius nunc argumēta vis refellere, dicit ac docet. Videamus nihilominus ut illa refellas.

*VWhitakerus.*

3. Sect.

Habere certum Canonem Scripturæ maximè necessarium est fidei & religioni. At sine Ecclesiæ auctoritate certus Scripturæ Canon haberi nō potest (neque enim certum nobis & exploratum esse potest quis liber legitimus sit quis suppositivus, nisi Ecclesia doceat) Ergo &c. Respondeo de maiore. Primò Maior vera est si libros propriè Canonicos intelligat qui ab Ecclesia semper recepti sunt. Debet enim hos Ecclesia perpetuò pro Canonicis agnoscere: quanquam certum est multas olim pas-

Nihil ad  
rhombū.

sim

sim Ecclesias florentes de multis Canonicis libris ad tempus dubitauisse, vt constat ex antiquitate.

*Stapletonus.*

Hæc tua prima responsio nulla est, quia id quod dico confirmat & probat, non refellit non refutat. Quum enim de certo & indubitato Scripturarum Canone loquor, non nisi libros propriè Canonicos intelligo. Postquam enim in Canonem semel recepti sunt iam propriè Canonici sunt. Quod autè tu subiungis, *qui ab Ecclesia semper recepti sunt*, id tibi probandum manet, non alios debere propriè Canonicos nuncupari quàm qui semper recepti fuerunt, & de quibus nunquam dubitatum est: maxime quum tu ipse addas, *de multis Canonicis libris multas olim florentes Ecclesias ad tempus dubitauisse*. Quæ tua additio verba tua proximè præcedentia refutat. Si enim de libris Canonicis multæ florentes Ecclesiæ ad tempus dubitauerunt quod hic dicis, libri propriè Canonici soli intelligendi non sunt, *qui semper ab Ecclesia recepti sunt*, quod prius dixisti: aut certe si solos te intelligere negas, illa tua additio inanis prorsus & superuacanea fuit.

Seipsum  
refutat  
aduersari-  
us.

*VWhitakerus.*

Secundò. Nec igitur absolutè & singulis ad fidem ac salutem necessarium est, scire qui libri sint Canonici. Multi enim & fidem habere & salutem consequi possunt qui librorum Canonicorum numerum non teneant.

4. Sect.  
Nihil ad  
rhombū.

*Stapletonus.*

Hæc tua secunda responsio multo adhuc minus ad rem facit. Quum Scripturarum Canonem certo tenere, fidei ac religioni necessarium esse dico, non de fide singulorum sed in genere me loqui, præter te nemo ignorare potest. Religioni ac fidei necessarium est certum Scripturarum Canonem tenere,

Stupiditas  
aut male-  
uolentia  
aduersarij.

teneret, quia ipsa fides doceri, ipsa religio explicari & defendi non potest absque certo Scripturarum Canone. Quid tu VWhitakere absque Scripturis fidem ac religionem nostram subsistere posse putas? Tu inquam qui vnicam & sufficientissimam totius fidei ac religionis regulam, Scripturas esse sustines? Aut absque certo Scripturarum Canone, Scripturæ cognoscuntur? An non eadem prorsus necessitas est Canonis Scripturarum certi cognoscendi, quæ est ipsarum scripturarum? Potest quicumquam ex scripturis disputare, qui adhuc nescit quæ sint scripturæ? Quomodo igitur mi VWhitakere displicet tibi illa propositio, *fidei ac religioni certus Scripturæ Canon cognitu necessarius est*, cui hæc altera propositio huic æquiualens tantoperè placet, *fidei ac religioni necessaria sunt Scripturæ*? Sed maleuolis hæreticis displicet quicquid Catholicus affirmat. Sola te maleuolentia & contradicendi libido vel certè maxima stupiditas ad hanc maiorè propositionem conuellendam impulit.

VWhitakerus.

§. Sect.

Assumptionem verò probat Stapletonus, Canonem scilicet scripturarum non aliter posse nobis exploratum esse quàm per Ecclesiæ authoritatem tribus argumentis. Primum quidem est huiusmodi. Nulla certior est authoritas quam Ecclesiæ. At certissima authoritate opus est, vt sua scripturis fides constet, & de scripturarum Canone omnis dubitatio à conscientijs remouëatur. Ergo &c. Respondeo falsum esse quod ait: nullam certiozem esse authoritatem quam Ecclesiæ. \* Est aperta petitio principij. Maior enim & certior est authoritas Dei, ipsarum scripturarum, & Spiritus sancti, cuius testimonio scripturæ veritas in animis nostris ob-

signatur,

Aperta & crassa absurditas.

signatur, & sine quo cetera omnia testimonia infirma prorsus sunt.

*Stapletonus.*

Respondes absurdissime. Primum dicis esse apertam petitionem principij, quum dico nullam certiore[m] esse auctoritatem quam Ecclesie. Petitio principij est illud tibi pro concessio assumere, quod imprimis probandum fuit. Sed quid mi VWhitaker? Propositionem illa[m], (*nullam esse certiore[m] auctoritate[m] qua[m] Ecclesie*) ego mihi pro concessa assumo? ego illa[m] non probavi? At toto libro octauo qui hunc non quem tu impugnas, proxime praecedit probavi illam copiose. Docui per multa Capita illius libri, Ecclesie iudicium esse infallibile, & suo quodam modo diuinum. Quantus tu asinus es, qui id me petere dicis, quod longa & accurata disputatione confirmaui? Sed tu hoc totum dissimulasti, vt habeas in speciem aliquid quod respondeas. At probas esse falsam meam propositionem eo quod maior sit Dei auctoritas, ipsarum scripturarum, & Spiritus sancti qui intus nos docet. De dei auctoritate statim in sequentibus dicemus. Scripturarum auctoritas ad ipsas scripturas cognoscendas quatenus valeat in alia mox disputatione ex proposito disputabitur. Spiritus sancti auctoritas qui veritatem in animis obsignat, maior est & certior ad oem fide[m] ingenerandam in genere causae interioris & efficaciter agentis. Sed in genere causae exterioris quae per modum medij externi ad fidem nos inducat, nulla certior est in re proposita auctoritas quam Ecclesie. Tu semper quia antecedentem nostram disputationem vel non expendisti vnquam, vel dissimulas perpetuo, extra chorum saltas, & respondes nihil ad rhombum. Dicimus nullum esse externum documentum, iudicium, testimonium grauius,

Aburditas asiniana aduersarij.

Infra cap.

Aduersarius nihil ad rhombum.

certius, magis indubitatum quam Ecclesiae testifi-  
cantis aut decernentis iudicium, ac testimonium est.  
Iam in hoc opere longa & varia disputatione osten-  
ditur, Ecclesiae iudicium externum esse fidei nostrae  
ingenerandae, fouendae, confirmandae, adminicu-  
lum & medium à Deo ordinatum, nobis necessa-  
rium: & in genere exterhorum mediolorum nullum esse  
certius. At sine Spiritu sancto intus docente nihil  
haec omnia efficaciter operari poteris, tam disertè,  
tam copiosè diximus & differimus, ut tu vel dis-  
putator asinus esse debeas qui illud non perspexeris,  
vel caillator maleuolus & ridiculus qui illud  
diffimules. Sed cetera videamus.

*V V hitakerus.*

6. Sect. Atqui deus (inquit Stapletonus) nos per Eccle-  
siam docet, non aliter: Ergo nulla certior Autho-  
ritas quam Ecclesiae. Respondeo. Ipsius verba indi-  
cant certiozem esse Dei auctoritatem. maior est  
enim auctoritas eius qui docet quam eius per quem  
aliquis docetur. Deus nos docet per Ecclesiam. Er-  
go maior est auctoritas Dei quam Ecclesiae. Miror  
tam *\*stupidum* fuisse Stapletonum ut non viderit,  
si deus sit qui per Ecclesiam doceat, dei esse maiorem  
quam Ecclesiae auctoritatem. Fatetur nos doceri, à  
deo per Ecclesiam: ergo quum deus sit summus &  
princeps doctor, eius esse potiozem auctoritatem  
fidemque constat. Nam eius tantum ministra Eccle-  
sia est, eiq; in docendo suam operam nauat, ei inser-  
uit, eius mandata explicat. *Stapletonus.*

\* Supor  
à stupidif.  
simo con-  
sistit.

A uersa-  
rij supor  
multiplex.

Miraris tam stupidum me fuisse, ut non viderim,  
si Deus sit, qui per Ecclesiam doceat, Dei esse maio-  
rem, quam Ecclesiae auctoritatem. At ego magis  
miror, omnisq;, opinor, qui tua & nostra legit me-  
cum miratur, te tam stupidum fuisse, ut non videris  
me hoc vidisse: ac propterea quam nullam esse  
certiozem

certtorem authoritatem dicerem, quam ipsius Ecclesie, me non inter Deum & Ecclesiam comparationem instituire, sed inter Ecclesiam, & aliam quamlibet externam authoritatem: qualis est quorumcunque hominum particularium, cuiuslibet Doctoris, cuiuslibet quomodolibet in scripturis exercitati, maximè cuiuslibet hæretici & superbi magistri, qui Ecclesiam audire contemnit. Quem admodum igitur ex illa scriptura, *omnia subiecit sub* Cap. 8.  
*pedibus eius*, rectè infert Apostolus, *haud dubiè præter eum qui et subiecit omnia*, quia non Christi cum Deo patre, sed Christi cum alia creatura qualibet ibi comparatio instituitur; sic hoc loco, quum ego dico, *Nulla maior authoritas quam Ecclesie, quia Deus per Ecclesiam docet*, facilè intelligitur, haud dubiè præter eum qui docet Ecclesiam omnia; quia non Ecclesie cum Deo, sed Ecclesie cum alia qualibet humana authoritate fit comparatio. Rursum miror te tam stupidum fuisse, quòd non aduerteris me in tota hæc disputatione, non nisi de illa externa authoritate, illisque externis medijs inquirere, per quæ Deus nos ordinariè docet. Miror te tam stupidum fuisse, vt non memineris in 1. cap. huius libri, ita me loquutum fuisse: *Agitur hic de ordinaria, publica, & externa Canonica scriptura certitudine.* Miror te tam stupidum fuisse, vt non memineris in libr. 8. huius operis, me disertè distinxisse, ad actum fidei duo necessaria requiri, vnum vt proponantur ea, quæ sunt credenda, alterum vt rebus propositis assensus præbeatur: sicut visus non fit, nisi & obiecto præsentem & oculo contemplante. Proponi autem ea quæ sunt credenda vel immediata Dei reuelatione, sicut Petro proposita fuit Christum esse Messiam, vel mediante aut Angelorum (vt rariùs) vel hominum (vt vulgariùs) ministerio. Rursum præ-

berè assensum rei propositæ, vel sola interna Spiritus sancti persuasione (quam illi habent, qui sine magistris à Deo sibi reuelata crediderūt, vt olim Patriarchæ, Propheta, Apostoli) vel aliqua externa causa ad hoc inducente, quam Deus instituit pro medio inducendi fidem, vt miracula, prædicationem, & maximè testimonium & authoritatem eorum quos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei.

5. Miror te tam stupidum fuisse, vt non aduerteris in eodem libr. 8. me diligenter docuisse, solam veram & formalem causam fidei nostræ esse Deum intus in corde loquentem, non Ecclesiam foris sonantem, ideoque multò magis certiolem esse Dei quàm Ecclesiæ authoritatem à me indubitanter agnosci. 6. Postremò miror te tam stupidum esse, vt etsi alia non aduerteris, quia longius posita obsecæ naris homo sentire non potuisti, tamen hoc ipso loco non aduerteris, disertissimè à me doceri maiorem & certiolem esse Dei authoritatem quàm Ecclesiæ, quandoquidem idcirco Ecclesiæ authoritatem prædico, quia Deus per eam loquitur. Hoc quum perspiceres à me dici, atque adeo (vt ipse fateris) in confirmationem alterius propositionis assumi (qua dixeram Ecclesiæ authoritate certiolem nullam esse) nonne debebas statim aduertere, non in comparatione ad Deum illam Ecclesiæ certissimam authoritatem à me astrictam fuisse, sed in comparatione omnis alterius humanæ authoritatis. Cæterum transuersum te egit liuor, & contradicendi libido, & disputandi pruritus, & fidei Catholicæ nostrique nominis odium, vt clarissimam veritatem cernere non posses. Taceo reliqua, vt breuitati studeam, tuoq; stupori parcam.

7. Sect.

*VWhitakerus.*

Quàm verò infirma eius ratio sit, ex simili ratione facile

facile apparebit. Princeps legem & edictum suum per præconem proponit, & quis sit legis sensus, quæ edicti vis, per iurisperitos explicat atque exponit. Num ergo sequitur nullam certiore esse auctoritatem, quàm præconis aut iurisperiti? Nequaquam. Manifestum est enim maiorem esse legis & principis, quàm præconis aut interpretis.

*Stapletonus.*

Simile quod proponis, cum præsentis causa similitudinem non habet, imò est inter ea latissima dissimilitudo. Non enim ita Deus per Ecclesiam loquitur, sicut princeps per præconem aut etiam iurisperitum; quanquam ea iurisperiti ratio ad interpretationem potius scripturarum, quæ alia tua questio est, pertinet, quàm ad approbationem scripturarum, de qua hic agitur. Sed Deus per Ecclesiam loquitur, sicut princeps per suum locum tenentem, gubernatorem, viceregem, legatum, huiusmodi denique qui ipsam personam Regis referat, & quæ vult tanquam seipsum audiri, cui vult tanquam sibi ipsi obtemperari. Non hanc auctoritatem præco aut iurisperitus, quatenus talis habet. Ecclesiæ enim à Christo dicitur. *Sicut tu me pater misisti in mundum, sic & ego eos misi in mundum. Qui vos audit, me audit*: & multa huiusmodi quæ supra tractauimus. Nunc tu vide vir bone, an hæc infirma sit ratio. Rex per suum viceregem loquitur, ergo non est in hoc regno maior auctoritas quàm viceregis. Quis dubitat ipsius regis esse maiorem auctoritatem? Sed postquam placuit regi huic personæ suas vices in hoc regno committere, adeo non derogat regi, qui huius potestatem supremam dixerit, vt qui hoc negaret, læsæ maiestatis crimine teneatur. Sic se habet res in Ecclesiâ. Placuit Deo non iam amplius immediatè nobis loqui, vt olim maximis illis

Non sic  
Deus per  
Ecclesiam  
sicut prin-  
ceps per  
præconē  
loquitur.

Ioan. 17.  
Luc. 10.  
Sup. c. 3.

*viris, patriarchis, prophetis, Apostolis, sed ne amplius per filium suum loqui, vt eisdem Apostolis ad tempus per illum loquutus est, sed eo in cœlestia assumpto, loqui nobis per Apostolos primùm, posteaq; per eorum perpetuos successores, pastores, doctores, quos ad consummationem vsque seculi nobis reliquit. Est igitur firmissima ratio. Deus per illos loquitur, ergo illorum est certissima, & suprema autoritas.*

*At Ecclesia (inquis) tantùm ministra Dei est, eique in docendo suam operam nauat & inseruit. Stupidissime disputator, non vides quod Ecclesia Dei quidem ministra est, sed nobis magistra est? Dixit Apostolus respectu Dei. Sic nos existimet homo, sicut ministros Christi, &c. Sed dixit idem de eisdem respectu nostri. Obedite prepositis vestris & subiaceite illis. Rursum alibi: Rogamus vos fratres, vt noueritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, &c. Deinde te rogo Whitakere, Regum in regnis suis an non suprema autoritas est? Cur autem suprema, nisi quia Deus per eos regnat, & eorum potestas à Deo est. An non tamen idem Apostolus eodem loco de eadem potestate regia dicit, Minister Dei est. Veniat nunc rebellis aliquis, & perduellis, & à te edoctus disputet. Rex minister Dei est, eiq; suam operam nauat & inseruit, ergo non est eius in regno suprema autoritas, sed Dei? An potestas Regis à Deo accepta supremæ Regis autoritati aliquid derogat? Sic potestas Ecclesiæ à Deo accepta supremæ eius autoritati nihil derogat.*

*Sed vide adhuc magis stupiditatem tuam disputator stupidissime. Iuratis vos miseri, Reginam vestram non in temporalibus tantùm, sed & in Ecclesiasticis rebus ac causis omnibus supremam potestatem tenere. Atqui cur ita iuratis, nisi quia creditis per Reginam vestram*

*Ecclesia Dei ministra, nobis magistra est.*

*1. Cor. 4.*

*Heb. 13.*

*1. Thes. 5.*

*Rom. 11.*

*Aduersarij argumentum in ipsam retorquetur.*

vestram, ea quæ ad Ecclesiasticas causas pertinent Deum loqui? Alioqui sic aduersum te argumentor: Deus per Reginam vestram supremam in causis omnibus Ecclesiasticis gubernatricem aut loquitur, aut non loquitur. Si non loquitur per eam Deus, tota ergo vestra religio à Deo non est, sed prorsus humana, adeoque muliebris. Si loquitur per eam Deus, sic tecum disputo. Maior est auctoritas eius qui docet, quàm eius per quem aliquis docetur. Deus vos docet per Reginam vestram. Ergo maior est auctoritas Dei, quàm Reginæ vestræ. *Miror tam stupidum esse VWhitakerum, ut non viderit, si Deus sit per quem Regina docet, Dei esse maiorem, quàm Regina auctoritatem.* Hæc tua ad verbum argumentatio est, mutato tantùm termino Ecclesiæ in Reginæ nomen. Sed hanc si legitimam esse concedere vis, quia tua est, vosque hæretici ab eo quod semel dixistis, recedere non vultis; mox ita infero, teque aut stupidissimum disputatorem, aut reginæ tuæ rebellem & perduellem concludo. Atqui iurant Anglocaluinistæ iurauitque Whitakerus, Reginam Angliæ supremam esse gubernatricem in omnibus causis & rebus Ecclesiasticis, ideoque eius auctoritate in huiusmodi causis nullam esse certiore aut maiorem. Ergo Whitakerus aut iurauit Reginæ auctoritatem esse maiorem quàm Dei, aut in tota hac disputatione stupidissimè disputauit. Ego Whitakere neutrum virgebo, Tu tibi elige quod vis.

*VWhitakerus,*

At Deo docente (inquit Stapletonus) nihil est certius: ergo nec Ecclesiæ auctoritate, quia Deus per Ecclesiam docet. Quomodo verò hoc sequitur? Fatemur quidem Deo docente nihil certius esse; & hoc est quod nos dicimus, & hinc non esse Ecclesiæ maximam auctoritatem conelufimus: sed con-

8. Sect.

sequentia interim infirma est, nisi probet Deum & Ecclesiam idem esse.

*Stapletonus.*

Sæpè monendus es, quòd mendacem oportet esse memorem. Ais consequentiam meam infirmam esse, nisi probem Deum & Ecclesiam idem esse. At meminisse debebas, quid de scripturis infra scribis. *Etsi (inquis) Spiritus sancti testimonium non sit idem, quòd ipsi libri scripturarum, externum tamen nõ est, nec ab ipsis libris seiunctum, &c.* Sic enim advertere debebas, etsi Deus & Ecclesia non sint idem, tamen Dei testimonium non esse ab Ecclesia seiunctum. Deinde proba tu Whitakere, Deum & Reginam tuam idem esse, quia eius auctoritatem maximam esse, tu te credere solenni iuramento obstrinxisti. Iuratis enim misera mancipia non solum Reginam esse supremam gubernatricem, &c. sed in conscientia vos ita credere & sentire. Illa est enim iuramenti vestri forma, mihi ipsi ante annos iam fere triginta oblata; quòd iurare quum nollem, Canoniatu & præbenda Cicestrensis Ecclesiæ Cathedralis spoliatus fui. Quòd eò refero, vt intelligat Lector me vestri iuramenti, quo nunc te premo, quia ad rem præsentem facit, optimè cõscium esse. Sed si pro suprema & maxima Regum auctoritate in regnis suis satis est, à Deo illam eos accepisse, & Dei in hac parte vicarios esse, etsi idem cum Deo non sint; ita in præsentì causa ad maximam Ecclesiæ auctoritatem demonstrandam satis est, quòd à Deo suam potestatem Ecclesia acceperit, & quòd Dei in hac parte vices gerit, etsi idem cum Deo non sit. Quanquam tamen maior est connexio & arctior coniunctio Dei cum Ecclesia, quàm Dei cum potestate regia, eo quòd Ecclesia ne erret in doctrina Spiritum Dei habet: vt & tu ipse in præcedentibus

Ecclesiæ  
authoritas  
maxima, tametsi  
Deus & Ecclesia  
non sint idem.

bus agnoscis; potestas regia Spiritum Dei in suis ferendis legibus, eo modo non habet, vt alio in loco huius operis, quod tu impugnas, latius à nobis disputatum est: sed & hic aliqua superius diximus. Vnde fit vt multò fortiùs sequatur. Deus per Ecclesiam loquitur: ergo Ecclesiæ authoritate nulla certior aut maior esse potest. Ratio enim cur sequatur, Deo docente nihil est certiùs, ergo Ecclesiæ authoritate nihil est certiùs, hæc est, quia modus ordinarius, quo Deus docet, est per Ecclesiæ vocem cui docendi potestatem tribuit. Vox ergo Ecclesiæ, est vox loquentis Dei: qui sanè audiendus est, quocunque modo loqui velit. Revelauit autem in scripturis Euangelicis & Apostolicis, quòd per Ecclesiæ præpositos perpetuò nobis loqueretur, vt in hoc opere quod tu impugnas latè ostensum est.

*VWhitakerus.*

Sequetur\* rectiùs ex hac argumentatione, Dei verbo & scripturis nihil certiùs esse quia Deus in verbo suo nos alloquitur, & per verbum suum nos docet. Ecclesia verò nullas nisi ministerij partes exercet. Ergo\* non simpliciter suscipere oportet quicquid Ecclesia docet, sed quicquid docere à Deo iussa fuerit, & diuina authoritate comprobauerit.

*Stapletonus.*

Doleo tam varias esse ineptias tuas, & absurditates tot ac tantas, vt paucis refelli nequeas. Ais hanc meam argumentationem in Dei verbo ac scripturis rectiùs procedere. Ergo forma argumentationis meæ bona fuit, & in sola materia illam peccasse ostendere debuisti. Vide ergo ineptissime disputator, Tu hætenus contra argumentationis meæ formam disputasti. Sic enim tua verba habent. *Num ergo sequitur nullam certioyem esse authoritatem, &c.* Et rursum: *Quomodo hoc verò sequitur?* Nunc tamen mu-

9. Sect.  
\* Scipsum  
refutat.

\* Axioma  
hæreticū.

Aburdif-  
simus di-  
sputator  
VWhitak.

tata materia, & quod de Ecclesia dixi si de scriptura dicatur, optimè sequi vis nullam esse auctoritatem scripturis certiozem, quia per scripturas Deus loquitur. Sic igitur accipe disputator absurdissime. Aut ista consequentia non est bona, Deus per scripturas loquitur, ergo nulla est auctoritas scripturis certior, & sic istud rectè sequi dicere non debuisti; aut ista quoque est bona, Deus per Ecclesiam loquitur, ergo nulla est auctoritas Ecclesia certior: & sic tu hactenus ineptè illam reprehendisti: tuamque ineptiam simili argumentatione tute ipse (ô disputator acute) commonstrasti.

Scripturæ  
& Eccle-  
siaz disci-  
men quo-  
ad Deum  
loquentē.  
Rom. 10.  
Luc. 10.

Deinde ad id quod de scripturis disputas, respondeo, Deum quidem in scripturis loqui, sed non per scripturas nos alloqui. Scriptura est verbum Dei, Ecclesia est vox Dei. *Fides est ex auditu* humanius vocis, ut Apostolus docet, Christusque ordinavit, & hæc est ordinaria via ad fidem addiscendam. Fides non est ex lectione scripturarum, tanquam via ordinaria ad fidem addiscendam, nec usquam hoc vel Christus ordinavit, vel Apostolus docuit. Scripturæ verbum ab impostore, ab hæretico, à diabolo usurpari potest & solet. Ecclesiæ vox non nisi per Ecclesiam sonat. Denique Scriptura non prius est mihi aut cuiquam credenti verbum Dei, quam per Ecclesiam hoc mihi innotescat, eam suo testimonio approbantis, ac deinde eius verum sensum mihi interpretantis. Nam litera S. Scripturæ sine vero sensu eius, non Dei verbum sed impostoris alicuius, ut hæretici, aut diaboli verbum est. Atqui Ecclesiæ docentis vox, semper & infallibiliter vox Dei est. Has ob causas non sic per scripturas sicut per Ecclesiam loquitur nobis Deus. De hac re in hoc etiam opere, quod nunc impugnas, latius disputauimus,

Lib. 2. c.  
vlt. & lib.  
10. c. 1.

*At Ecclesia (inquis) nullas nisi ministerij partes exercet.* Ecclesiz magisterium.  
 Erras turpissime. Ecclesia respectu Dei nō nisi ministerij, sed respectu nostri & quoad nos (quo solū respectu de Ecclesie authoritate disputatur) magisterij partes exercet. *Posuit eos Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei. Missi sunt à Christo sicut ille fuit missus à Patre. Iubentur audiri à nobis sicut ipsemet à suis auditus fuit. Præpositi nostri vocantur, Præesse nobis in Domino dicuntur. Denique Pastores & Magistri seu doctores nostri.* Act. 20. Ioan. 17. Luc. 10. 1. Thessal. 5. Heb. 13. Ephes. 4.  
 Non est hoc disputator ethnice & infidelis, nudum ministerium, sed est præclarum magisterium, cui qui obedire recusat habendus à nobis est sicut ethnicus & publicanus. Qualem te prorsus esse tua hic conclusio ad oculum demonstrat. Ergo (inquis) non simpliciter suscipere oportet quicquid Ecclesia docet, sed quicquid docere à Deo iussa fuerit, & diuina authoritate comprobauerit. Vocem hæretici vocem rebellis, & allophyli audio. Quam habet à Deo potestatem circa terrena Rex, eam & multò luculentius potestatem à Deo circa spiritualia habet Ecclesia; & sicut minister Dei Rex est, sic ministri Christi, Ecclesiastici pastores & doctores sunt. Age nunc ergo & infer V Whitakere de Rege, sicut intulisti de Ecclesia. Ergo non simpliciter suscipere oportet quicquid circa temporalia Rex iubet, sed quicquid iubere à Deo iussus fuerit, & diuina authoritate comprobauerit. An non hæc vox rebellis & perduellis est, qui suo Regi aliter obtemperare non vult nisi cōditionibus illis appositis, quæ si semel admittantur, regia potestas ad arbitrium cuiusuis de plebe ambigua semper pendebit. An tenetur Rex quicquid iubet, quamcunque legē fert, quodcunque edictū promulgat, eius rei rationem populo reddere, & diuina authoritate cōprobare, quod sic à Deo iussus fuerit facere? An forte stū Rex non teneatur, tenetur tamen Ecclesia? An non

Act. 20.

Ioan. 17.

Luc. 10.

1. Thessal.

5. Heb. 13.

Ephes. 4.

Matt. 8.

Ecclesiz

doctrina

simplici-

ter susci-

pienda.

Rom. 11.

1. Cor. 4.

Probat

à simili in

potestate,

Regia.

non Regis potestas à Deo est, Rexque minister Dei est, ideoque in seculari suo regimine nihil Dei voluntati contrarium nihil Deo repugnans, omnia rationi & legibus diuinis consentanea præcipere, mandare, promulgare debet; sicuti Ecclesiæ potestas à Deo est & Dei minister Ecclesia est, ideoque nihil nisi quod Deus iussit docere aut iubere potest? Vtrobique eadem obligatio est, vt Dei voluntati consentaneum sit, quicquid vel Rex iubet vel Ecclesia docet. Sed quum eadem sit utrobique obligatio, non tamen eadem est utrobique diuini spiritus assistentia; ac neque necessaria est: Rex enim ea tractans quæ solo rationis lumine animaduerti & ordinari possunt, communi tantum Dei auxilio circa huiusmodi indiget. At Ecclesia ea tractans quæ ad salutem æternam pertinentia, supernaturali propterea lumine videnda & disponenda sunt, speciali Dei auxilio & singulari Spiritus sancti assistentia opus habet, nec aliquando caret, promittente Christo *quod porta inferi non præualebunt aduersus eam quod Spiritus sanctus doceret eam omnem veritatem manens cum ea in æternum*, ac denique quod ipse *cum illa sit omnibus diebus vsque ad consummationem seculi*. Quanto autem magis de diuini spiritus perpetua assistentia certa & secunda Ecclesia est, tanto minus de ea dubitare nobis licet, tanto minus has conditiones ei apponere debemus, *si à Deo iussa fuerint, & si diuina autoritate id nobis comprobauerit*: quorum illud de fide & indubitatum esse debet, hoc à nobis sine arrogancia postulari non potest: denique tanto magis simpliciter ei obedire, & simpliciter quicquid iubet suscipere debemus. Quum Ecclesia in Consilio Apostolico, alijsque postea Concilijs, concludens diceret: *Visum est Spiritui sancto & nobis*. Nul- li vnquam fideles Catholici dubitauerunt an à Deo iussa

Matt. 16.  
Ioan. 14.  
Matt. 28.  
Ecclesiæ  
iudicio  
cur supli-  
citer ac-  
quiescen-  
dam.

Act. 15.

iussa sic concluderit: nulli vnquam expectarunt vt diuina authoritate id comprobarent: soli hæretici id fecerunt vt Ariani post Concilium Nicænum alijque post alia Concilia hæretici. Quæro à te V Whitakere. An non est simplex Christi mādatum?

Luc. 10.  
2. Cor. 11.  
Gen. 2.

*Qui vos audit me audit; qui vos spernit me spernit.* An audis aliquam conditionem apponi? Nulla sanè apponitur quia nostrum esse voluit simpliciter obedire. Suum esse voluit Ecclesiam perpetuò docere, ne simplex nostra obedientia periculo vnquam aut fraudi nobis esset. Hæc est fides nostra. Credimus Christo suam Ecclesiam mittenti, omnemque illi diuini sui spiritus assistentiam promittenti. Credimus quicquid docet Ecclesia illam à Deo iussam sic docere, & diuina authoritate id posse comprobare. Sed non credimus hoc nobis semper constare debere, suæque doctrinæ causas & momenta debere Ecclesiam nobis semper confirmare: ne non iam fides sit sed scientia quicquid de Deo credimus. Hanc simplicitatē cōtra versipelles hæreticos Apostolus nos docuit, dicens. *Timeò ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua* (vid. causam præcepti diuini interrogās, *Cur præcepit vobis Dominus &c.*) *ita & corrūpātur sensus vestri, & excidant a simplicitate quæ est in Christo:* id est ab illa simplici obediētia quam Christus præcepit: dū vid. argumentis pseudoapostolorū aurem præberent, contrā simplicem doctrinam Apostolorum & Ecclesiæ. Plura hac de re in hoc eodem opere disputauimus, & Catholici atque hæretici hoc verum esse discrimen ostendimus, quod ille Ecclesiam simpliciter audit vt Christi ouicula & paruulus, hic non simpliciter sed sub conditione audit, & quidem tali, vt ipse arbiter ac iudex maneat rectè ne Ecclesia docuerit an non; quod ad hædos pertinet, petulcos hæreticos, & diaboli gregem.

Lib. 8.  
cap. 24.

QVOD

QVOD AD COGNOSCENDAS SCRIPTURAS ALIA MEDIA NON SVFFICIENT NISI ad Ecclesiæ iudicium recurratur.

## CAPVT. VIII.

*VWhitakerus:*

*1. Selt.* **S**ECVNDVM argumentum: quo superioris syllogismi Assumptionem confirmat Stapletonus, huiusmodi est. Alia omnia media quæcunque tentari possunt, nihil valent nisi ad Ecclesiæ iudicium recurramus & tũ media nominat quæ à nobis vrgentur. Nam stylum (inquit) & phrasim & alia media, quibus Scriptura dignosci solet, optimè cognouit Ecclesia, & potest de illis optimè iudicare. Ergo &c. Respondeo. Si Ecclesiæ nomine Papam & Episcopos intelligat (vt Papistæ semper solent) nego eos optimè agnoscere stylum & phrasim Scripturæ: nego veram hanc Christi Ecclesiam esse, quæ Christi vocem nouit. Sin de vera Ecclesia loquatur, \*fallacia est ab ignoratione elenchi, & quæstionis status mutatur. Prius enim de externo scripturæ iudicio loquutus est, quod Episcoporum \*fortasse proprium esse \*potest. Hic autem internum iudicium intelligit, quod non Pastoribus tantum proprium, sed omnibus Christianis commune est. Omnes enim Christi oues vocem eius sciunt, & de scripturis intus persuasi sunt.

\* Suis enim somphista commemorat. \* Ut vacillanter loquitur. Nec audet negare, nec vult affirmare. Ita profertur se docere, quod ostendit se ignorare.

*Stapletonus:*

Ad secundum hoc argumentum nostrum quo illa propositio saluberrima probatur, Aliunde quàm

quàm ab Ecclesiæ authoritate S. Scripturarum certum & indubitatum Canonem exploratum habere non possumus, ut respondeas, in varias te formas vertis, & in multas contrahis. Primum ais te *prorsus negare, quod Ecclesia pharissam stylum & alia media quibus Scriptura dignosci solet, optime cognouit, & potest de illis optime iudicare, si Ecclesiæ nomine Papam & Episcopos intelligo.* Sed quare hoc negas vir bone? Nego ais, *hanc esse veram Christi Ecclesiam, quæ Christi vocem nouit.* Egregia scilicet probatio. Non est ita quia tu hoc negas. An non illud in Scholis olim tritum meministi? *Plus potest asinus negare quàm Aristoteles probare.* Quid enim? An ideo Papa & episcopi vera Christi Ecclesia non est quia VWhitakerus hoc negat? An ideo Christi vocem non nouerunt quia VWhitakerus hoc negat? Hocine est disputare disputator absurdissime? Hocine est argumentis respondere, ut quod operosè & accuratè probatum est, negando tantum soluas? Annon hic contra me disputas? Annon in hoc opere contra quod disputas, Papam & episcopos ei adherentes veram esse Christi Ecclesiam multis argumentis comprobauit? An non quod semel probatum dedi, postea (omnium via & ratione doctentium more ac iure) tanquam verum & indubitatum pono? Annon in tota hac disputatione quam tibi refellendam disputandi imperitissimus sumpisti, quoties de Ecclesia disputo, illam intelligo quam talem esse in prioribus eiusdem disputationis libris probauit? Annon disputandi ordo postulat ut quod semel probatum est, prius refelli debeat quàm negari, hoc est quam simpliciter negari, & sola negatione destrui? An nescis sola negatione destrui non posse, nisi quæ manifestè & per se falsa sunt? Nunc tu magnus scilicet disputandi artifex maximam questionem vna negatione dissoluis, & Papam atque episcopos,

Aburdissimus disputator VWhitakerus.

Lib. 4. 2.  
cap. 18. vs.  
que ad 6.  
23.

copos, id est totum Catholicæ Ecclesiæ hierarchiam, veram nõ esse Ecclesiam hoc solo ostendis quia solummodo negas. Annon hæc tua impudentia ex omnibus scholis meritò exhibilanda est? Prorsus debebas cõtra me disputans aut illam pro vera Ecclesia mecum agnoscere, quam proluxa & accurata disputatione veram esse demonstraui, aut prius totam illã demonstrationẽ subuerrere, ac sic eã quam astruxi tuo iure negare. Sed facilius tibi fuit, hoc fortiter negare; quàm probationes nostras multas & bonas (quibus tamen plures addemus vbi occasio dabitur) iusta refutatione euertere.

Verum esto: Papa & Episcopus non sunt vera Ecclesia, quia tu hoc negas. Illi non nouerunt vocem Christi, quia tu hoc negas. Demonstrabis ergo nobis aut saltem vno verbo dices, quæ sit vera Ecclesia quæ nouit vocem Christi. *Sin* (iuquis) *de vera Ecclesia loquatur, fallacia est ab ignorantie elenchi, & questionis status mutatur.* Duo magna disputationis vitia nobis impingis, quæ nisi legitime probes, quid nisi sophista garrulus comparebis? Sed interim vbinam est vera tua Ecclesia, qualis Papa & Episcopi non sunt? An non ratio postulabat vt nostram negans, & aliam veram Ecclesiam asserens quænam illa esset diceres? Nunc autem ea de re nihil dicis, qua vna de re vel maximè dicendum fuit. Sed iuuabo te. Vera tua Ecclesia VWhitakere postquam Papa & Episcopi non sunt, an totus populus & congregatio fidelium est Papæ & Episcopis adhærens? Atqui si capita ad veram Ecclesiam non pertinent, nec Christi vocem nouerunt, quomodo membra illis adhærentia Ecclesia esse possunt aut Christi vocem cognoscere? Nonne *si cæcus cæcum ducat,ambo in foueam* (ignorantiæ) *cadunt?* Quid ergo? an congregatio illa quæ se Christianos vocat, & à  
Papæ

Veram  
Ecclesiam  
negat &  
aliam nõ  
ostendit.

Papæ atque Episcoporum communione separavit, vera Ecclesia erunt? At rursus dico. Hoc à te contra me disputante simpliciter affirmatum, nullam fidem habere debet, quum omnes alias congregationes extra Papæ & Episcoporum ei adherentium communionem, veram Ecclesiam esse non posse, in hoc eodem opere multis argumentis comprobaverim. Tu ergo Ecclesiam de cuius hîc autoritate disputatur, & nostram simpliciter negas, & tuam nullam ostendis. Sic tuos Auditores professor existime doces? Sic tuos lectores disputator absurde ludificas?

Lib. 4. d.  
cap. 7. vlt.  
que ad  
cap. 17.

At nos interim arguis quod & fallaciã ab ignorantia elenchi fecerimus, & statum quæstionis mutaverimus. Videamus ut hoc probes. Prius enim (inquis) de externo Ecclesiæ iudicio locutus est, quod Episcoporum fortasse proprium esse potest. Hic autem internum iudicium intelligit, quod non Pastoribus tantum proprium sed omnibus Christianis commune est. Omnes enim Christi vocem eius sciunt, & de Scripturis intus persuasi sunt. In eo ipse falleris & fallis Whitakere quod cum externum & internum in Ecclesia iudicium distinguis, non advertis externum ipsam Ecclesiæ iudicium habere semper coniunctum internum: quod alioqui cæcum & nullum iudicium esset sed contra internum illud omnium fidelium iudicium quo Christi vocem sciunt, externum hoc adiunctum nullo modo habere: quia non omnes prophetae, non omnes doctores sunt. Externum Ecclesiæ iudicium, si bene rem intelligis, est de rebus fidei cum autoritate iudicandi potestas, ipsamque fidem alios docendi, alijs tradendi & ut Apostolorum verbo utar, alijs imponendi facultas & autoritas à Christo specialiter accepta. Nempe ut quæ olim docuimus breuiter repetamus, iudicium de doctrina fidei triplex est.

Ignorantia aduersarij circa externum Ecclesiæ iudicium.

1. Cor. 12.  
Externum Ecclesiæ iudicium quid.  
Matt. 28.  
Act. 15.

Iudicium  
de doctri-  
na fidei  
triplex.

1.

De agone  
Christi.  
cap. 4.

De Gen.  
ad lit. lib.  
12. cap. 14.

2.

Hebr. 5.

Tract. 98.  
in Ioan.  
1. Cor. 1.

3.

Vnū quoad simplicē assensū sed firmū, qualis fidei est. Qui enim firmiter aliquid credit, hoc ipsū quod credit, indubitatē verū esse iudicat. Hoc omnibus fidelibus cōmune est qui instructi de fide exterius, & dono fidei illustrati interius, iudicāt & discernūt ea quę sunt fidei, ab ijs quę cōtra fidē sunt. Hoc sensu scripsit Augustinus. *Qui fidē Catholicā bene didicit, & vera pietate munitus est, quāuis hæreses nesciat, tamen hæreticis respondet. Nec enim decipi potest, qui iam cognouit quid pertineat ad Christianā fidem quæ Catholica dicitur.* Hęc ille hoc autē fit propter regulā fidei quā omnis pius fidelis firmiter tenet, & cui nihil cōtrariū vllō modo admittit. Quemadmodū enim quę cōtra bonos mores faciunt facile aduertit in quo est pietatis iudiciū, sic quę contra comunē fidē faciunt facile aduertit in quo est sana fides. Vnde S. Augustinus. *Nō magnū est tūc discernere spiritū quū ad aliqua peruenerit, vel perduxerit, quæ sunt contra bonos mores vel cōtra regulā fidei. Tunc enim à multis discernitur.* Aliud iudiciū de doctrina fidei est discretiū. quo ad intellectum eorū quę creduntur. Non enim omnes qui credūt, mox quod credūt intelligūt & ex causis proprijs cognoscūt, sed illi tantū qui, vt ait Apostolus, *pro ipsa consuetudine exercitatos habēt sensus ad discretionē boni ac mali.* Isti perfecti dicuntur respectu paruulorum in fide, suntq; *solidi cibi capaces*, alij verò *lactis tantū participes*, vt eodē loco Apostolus docet. Nō autē aliud est lac, aliud solidus cibus; sed idem fidei articulus vni lac est, quia credit tantum simpliciter, alij solidus cibus est quia intelligit etiam spiritualiter. Cuius rei exemplum in doctrina Crucis ostendit Augustinus ex illis Apostoli verbis. *Prædicamus Christum Crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus verò stultitiam, credentibus autem Dei virtutem & Dei sapientiam.* Tertium de doctrina fidei iudicium est determinatiuum,

num, id est, auctoritatem iudicandi & determinandi de fide à Christo acceptam significat. Hoc proprium Ecclesie præpositis est, & externum vocatur, quia ad alios in fide docendos, vel vt cum Apostolo loquamur, *ad consummationem sanctorum,* Ephes. 4.  
*& ad edificationem corporis Christi datur:* eiusque munus ac officium ad extra est, non propter illos quibus datur, sed propter bonum aliorum qui docendi sunt, à Deo concessum. Hoc externum iudicium exercuerunt Apostoli in primo Concilio Hierosolymitano, dicentes: *Visum est Spiritui S. ac nobis nihil ultra vobis imponere oneris, quàm hæc necessaria.* Act. 15.

Iam hoc Ecclesie iudicium externum nunquàm caret interno, seu primi, seu etiam secundi generis. Iudicium Ecclesie externum nunquàm caret interno.  
 Nec enim vel fide, vel discretionem in iudicando caret vnquam Ecclesia. At verò iudicium internum omnibus fidelibus commune caret altero vtroque iudicio. Neque enim omnes fideles, etsi aliqui, iudicium illud discretium habent, de quo Apostolus dixit, *Sapientiam loquimur inter perfectos.* 1. Corin. 2. & 3.  
*& rursus: Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, &c.* Multò minùs omnes fideles iudicium determinatum & externum habent.

Quæ quum ita sint, tu nunc vide VWhitakere, Sophistæ agit aduersarius.  
 an nō verè fallaciam ab ignoratione elenchi commiseris, & quæstionis statum mutaueris. Non enim obseruasti ea, quæ sunt necessaria ad definitionem elenchi ex parte contradictionis. Existimasti iudicium externum & internum de rebus fidei contraria sic esse, vt in vnum & idem subiectum non cadant. Existimasti quia de iudicio Ecclesie externo disputo, ideo in contradictionis ignoratione me peccasse, qui de iudicio nunc loquor quod internum est. Existimasti iudicium

K 2                      quoddam

quoddam internum omnibus fidelibus commune, nihil differre ab externo illo iudicio Ecclesie magistris proprio, quia omnes, inquis, Christi vocem norunt, & de scripturis intus persuasi sunt. Hæc tu existimans, & contradictoria esse iudicans, quæ contraria non sunt, sed subalterna & subordinata, fallaciã, ab ignoratione elenchi, quæ maximè consistit ex parte contradictionis non rectè observatæ, ipsemet incurristi. Licet enim admittere videaris externum scripturæ iudicium proprium esse episcoporum, tamen negas ijs competere internũ iudicium: saltem asseueras hoc esse commune omnibus Christianis: ex qua assertione, si velis colligere: ergo non est verũ quod dicunt Papistæ, iudicium de stilo Spiritus S. proprium est Ecclesie, id est, Episcopis, &c. Respondeo in tua te consequentia committere fallaciam ab ignoratione elenchi, quoniam assertio Catholicorum de externo iudicio intelligenda est. At quod ex tua assertione infertur consequens non nisi de interno intelligi potest: ac proinde assertioni Catholicorum non verè contradicit. Interim ad rem quod atinet, manet firmum argumentum nostrum. Ecclesia diuino Spiritu imbuta, non solum ad credendum voci Christi & scripturis, quo omnes fideles imbuuntur, nec solum ad discernendum falsa à veris, quo pauci spirituales donantur, sed etiam ad iudicandum ac decernendum, aliosque docendum quæ sit vox Christi, sola optimè & infallibiliter iudicare potest de stilo, de phrasi, deq; alijs medijs, quibus vera scriptura à falsa discerni potest. Porro omnes Christi oues Christi vocem sciunt, sed postquam ab illis pastoribus edocti fuerint, quos Christus Ecclesie lux dedit, vt oues in eius ouile colligerentur, id est, ad *edificationem corporis*.

*corporis eius.* Rursum Christi vocem sciunt ad propriam salutem, non ad aliorum doctrinam: *Non enim omnes Prophetæ, non omnes doctores.* Vnde illorum scientia ab Ecclesiæ scientia latissimè differt. Denique Christi vocem sciunt oves Christi, vt credant quæ credenda sunt, quòd credenda sint. Sed cur & quomodo aliquid credendum sit, non omnium fidelium, sed eorum est qui debent esse *potentes ad exhortandum in doctrina sana, & ad arguendum eos qui contradicunt*, id est, Episcoporum & Pastorum Ecclesiæ, vt suum Titum docuit Paulus. Tu omnia hæreticorum more confundis, ordinem Ecclesiæ perturbas, & iudicium externum, quod authoritatis publicæ est, à iudicio interno quod fidei privatæ est, non distinguis. Hæc est tua sapientia professor eximie.

1. Cor. 12.

Tit. 1.

*VWhitakerus.*

Secundò, vt hæc ei omnia concedamus, quomodo quæso sequitur hoc argumentum? Ecclesia vocem sponsi, & stilum ac phrasim scripturæ optimè nouit: ergo eius authoritas est certissima? Quid enim si Ecclesia nouit? \* quid id ad me? \* Num mihi ideo nota ista & explorata sunt? Hæc enim quæstio est, Quomodo ego optimè sciam. Licet enim Ecclesia vocem sponsi sui & stilum ac phrasim scripturæ optimè nouit, sibi tamen nouit non mihi. Et quibus medijs illa cognouit, quidni & ego iisdem etiam possim cognoscere?

2. Sect.

Vox proprie hæretica.

\* Arrogantia stultæ.

*Stapletonus.*

Nunquam aliquid absurdius aut ineptius scripsisti, nec opinor scribere potuisti. Quid (inquis) si Ecclesia nouit? Quid ad me? Nihil ad te vir bone attinet, quòd Ecclesia optimè nouit vocem sponsi sui, &c. Tu ergo quis es? An non Ecclesiæ filius? an non ouicula gregis Christi sub pastoribus, quos

Abstrudissima Aduersarij responsio.

Christus dedit? An non huius corporis membrum  
 es? Vide ergo homo stupidissime quid dicas. *Dedit  
 Christus Ecclesie sue pastores, doctores, ad consummationem  
 sanctorum.* Sed nihil hoc ad me, qui de numero  
 sanctorum, id est, fidelium (qui tunc communiter  
 sancti vocabantur) non sum. Dixit Christus Ec-  
 clesie suae, *Spiritus sanctus docebit vos omnem veritatem,*  
 Sed nihil hoc ad me, qui non sum illa Ecclesia  
 aut pars eius cui Christus ibi loquitur. Alioqui si  
 tu VWhitakere de numero fidelium & pars Ec-  
 clesie Christi es, aut esse cupis, quomodo non ma-  
 xime ad te pertinet pastores ac magistros à Chri-  
 sto tibi datos esse, quos Spiritus sanctus omnem  
 doceat veritatem? sanè vt te doceant ea quæ vera  
 sunt. Quid? An dicet manus aut pes capiti, Quid  
 ad me si caput intelligat, si oculi videant, si aures  
 audiant? *Si non potest oculus dicere manui, opera tua non  
 indigeo, aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarij;*  
 quanto minus manus, pes, oculus capiti dicere  
 potest, tua opera non indigeo, nec tu mihi neces-  
 sarium es? Aut si capitis opera indigent reliqua  
 membra, si omnibus membris caput necessarium  
 est, quomodo & quam absurdè tu qui membrum  
 Ecclesie esse vis, dicis: Ecclesie opera non indi-  
 geo, nec illa mihi necessaria est. Si enim tibi Ec-  
 clesie sapientia necessaria est, si tu Ecclesie sa-  
 pientia & opera indiges, quam absurdè, quam ar-  
 roganter, quam ineptè dicis? *Si Ecclesia nouit vocem  
 sponsi sui, quid ad me?* Sed addis quasi huius absurdi-  
 tatis absurdissimæ causam apparentem. *Num mihi  
 ideo nota ista & explorata sunt?* Et rursum: *Sibi nouit non  
 mihi.* Itane verò totius Theologiae atque adeò  
 Christianitatis ignarus es Professor Regie, vt cha-  
 rismata Ecclesie præpositis data, diuini Spiritus  
 perpetuam assistentiam, mysterij regni cælorum  
 intelli-

Ecclesia  
 non tam  
 sibi sapit  
 quam nec  
 bis.

intelligentiam, reuelatam à Deo sapientiam, maximè & potissimum ad aliorum vtilitatem data esse ignores? An non Apostoli generalis vox est.

*Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem.* αὐτοῦ  
το κοινῶν ad id quod expedit, id est, ad commu-

1. Cor. 12.

nem vtilitatem: vnde sequitur. *Alij quidem per Spiritum datur sermo Sapientie, alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum.* An sibi sapit Ecclesia & non omnibus suis filijs? An sibi videt oculus & non toti corpori? Tu si ea nescis quæ Ecclesia nouit, ab Ecclesia discas oportet. Ideo enim nouit vt te doceat. Non sibi sed suis sapientiam à Deo accepit.

An fortè hæreticum te profiteri vis, superbum, indocilem, ab Ecclesia penitus alienum? Nemo enim nisi penitus ab Ecclesia alienus Ecclesiam dixerit sibi sapere, & scire ea quæ nouit & non ipsi.

Vox Aduersarij  
 vox hæretica.

Dixit Apostolus Paulus, vt consilium seruandæ viduitatis à se datum confirmaret. *Puto autem quod*

1. Cor. 7.

*& ego Spiritum Dei habeam.* Alter nunc VWhitakerus cui viduitatis non secus quàm virginitalis seruandæ consilium fortasse displicet, ad hoc responderit. Quid ad me, si tu Spiritum Dei habeas? Num ideo mihi notum & exploratum est, viduitatis seruandæ consilium bonum ac laudabile esse? Si tu Paule ad hoc cognoscendum Spiritum Dei habes, tibi habes non mihi. An non hæc est oratio absurdissima, peruersa, rebellis, hæretica, vel potius ethnica & infidelis? At talis est tua oratio VWhitakere contra Ecclesiam.

Quam tuam adhuc infidelitatem & rebellionem hæreticam, id quod subiungis, magis manifestat.

Ais enim: *Quibus medijs Ecclesia cognouit, quidni & ego isdem etiam possim cognoscere?* Hæc est, vt dixi, vox rebellis, hæretica, infidelis; Nihil ad te Ecclesiæ sapientia, propterea quod tu aequè sapias, atque illa. Age

Alia vox  
 hæretica  
 aduersarij

Ephes. 4.

ergo, aperi os tuum impudens contra Christum redemptorem nostrum, qui dedit Apostolos, Prophetas, Pastores, Doctores, ad consummationem sanctorum, ad adificationem corporis Christi, quod est Ecclesia, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram etatis plenitudinis Christi, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris. Aperi, inquam, os tuum impudens ac scelestum contra Christum, & ordinem hunc ab ipso constitutum, ordinisq; constituti causas, effectus, fines. Aperi superbe hæretice & dicit. Quid ad me hæc omnia? *Quibus enim medijs isti Apostoli, Prophetæ, Pastores, Doctores corroborant in fide fideles ( hæc est enim consummatio sanctorum ) vel ad fidem colligunt infideles ( hæc est enim adificatio corporis Christi ) quibus medijs illi nouerūt hæc facere, quidni & ego iisdem etiam possim cognoscere? Rursum: quibus medijs illi docent nos crescere in virum perfectum, seruant unitatem fidei, ducunt nos ad agnitionem filij Dei, quidni & ego iisdem etiam medijs idem possim cognoscere, & cognoscendo præstare? Iterum quibus illi medijs seruant, tuentur & defendunt à lupis rapacibus credentes ne sint paruuli fluctuantes, nec circumferantur omni vento & nouo rumore nouæ doctrinae, quam homines nequam & fallaces ad decipiendum inueniunt, quidni & ego iisdem medijs meipsum seruare, defendere & custodire possim ne decipiar, vel falso scripturarum titulo fallar, & in errorem inducar? Hæc est tua superba & stultissima vox Doctor indocte. Sic enim colligis. Ego possum eisdem medijs cognoscere has esse veras scripturas, vel hanc esse phrasim, hunc stilum, hanc vocem Spiritus S. quibus Ecclesia, quibus Apostoli olim pastores & doctores postea nouerūt;*

ergo

ergo hac in re non est tribuenda Ecclesiae auctoritas certior quam alijs.

Sed hoc est furere, non sapere in Ecclesia, & id efficere, vt vnusquisque seipsum doceat, per se sapiat, sibi ipsi ducatum præbeat, seipsum pascat. Hęc est illa rebellium vox contra Moysen & Aaron. *Cur eleuamini super populum Dei. Sufficiat vobis quia omnis multitudo sanctorum, & in ipsis est Dominus.* Quæ superbissima vox quanta cum indignatione à Deo punita fuerit, hiatu terræ absumptis, qui sic loquebantur, ibidem scriptura demonstrat. At tu idem facinus perpetras. Quemadmodum enim illi noluerunt Moysen & Aaron à populo audiri, tanquã superiores, eo quod tota multitudo sanctorum esset, & in singulis Dominus esset; sic planè tu non vis Ecclesiae auctoritatem, tanquam cæteris certiolem & maiorem à fidelibus recognosci, eo quod in singulis Dei Spiritus est, & quibus medijs Ecclesia aliquid iudicat, decernit, docet, eisdem medijs vnusquisque idem poterit iudicare & cognoscere. Deinde exporrige frontem VWhitakere; Dic mihi sodes. Adeone perfricta fronte, siccine elatis oculis, & erecta ceruice es, vt reuera nihil dubites te eisdem medijs posse vocem sponsi cognoscere, stylum & phrasim scripturis propria discernere, quibus id totum Ecclesia potest? Tantùmne tibi arrogare audes? Siccine profecisti in peius? Sic omnem modestiam & pudorem exuisti? Id si ita est, & hoc immedicabili malo si laboras, non defugiam tamen id tibi consilium dare quod similiter infanti honorato Manichæo, atque de rebus diuinis dicenti, se absque magistro facillimè diuina secreta & certa ratione capere posse Sanctus Augustin. dedit hunc in modum: huiusmodi qui sunt nihil tamen oberit hac via ad fidem venire, qua alij qui primitus credunt: quia etsi facti sibi nihil nocebunt, nocebunt tamen exemplo cæteris. Quem-

Per Ecclesiam sapere debemus.

Num. 16.

De vtilit. cred. c. 10.

*admodum si aliqui volere possint, tamen ne cui sit periculo incitamentum, paulisper cogantur incedere, quàm ceteris tutum est. Hæc est providentia vera religionis, hoc iussum divinitus, hoc à beatis maioribus traditum, hoc ad nos usq; servatum; hoc perturbare velle atque pervertere, nihil est aliud quàm ad veram religionem sacrilegè viam querere. Hæc ille. Audis VWhitakere, quàm sit sacrilegum, sine Ecclesia duce per seipsum sapere velle. Quare si tu vel Icarus esses vel Icaromenippus, qui vel mare transvolare vel in cœlum euolare posses, omnem sacram veritatem iisdem medijs inuestigando & cognoscendo, quibus eam inuestigat & cognoscit Ecclesia, tamen ne volatus iste tuus admirabilis alijs malo exemplo noceat, & ad euolandum provocet, imo ne tu cum novis tuis alis nova fabula fias, debes tu vir bone Ecclesiam audire, Ecclesiæ discipulus esse, Ecclesiam pro matre agnoscere, si Christum audire, Christi discipulus esse, & Deum patrè habere vis. Qua de re in hoc opere quod impugnas, satis copiosè dixi: ad què te locum remitto.*

*VWhitakerus.*

3. *Sect.*

*Aburdif.  
fina col.  
lectio.*

Tertiò ex eo quòd ille dicit, contrarium rectius multò colligi potest, certiozem scilicet scripturæ quàm Ecclesiæ auctoritatem esse. Nam si ideo certissima sit Ecclesiæ auctoritas, quia scripturæ stylum optimè novit, & per stylum scripturam indicat, apparet scripturæ ipsius multò certiozem esse auctoritatem; quippe quæ stylo suo sese Ecclesiæ indicet.

*Stapletonus.*

Eadem ratione disputator acute, non scripturæ tantum, sed & quilibet liber bonus aut scriptor orthodoxus, quem Ecclesia iuxta stylum & phrasim ipsius, orthodoxum esse, & nihil orthodoxæ fidei contrarium continere iudicaret, ipsa Ecclesia certiozem

tiorem multò authoritatem haberet, quippe qui liber aut scriptor stylo suo sese Ecclesiæ indicet. Si autem hoc absurdissimum esse nemo non videt, tuam quoque collectionem absurdissimam esse nemo dubitabit.

*Whitakerus.*

At ego, inquires, nescirem hanc esse vocé sponsi, 4. Sect. hunc esse scripturæ stylum, nisi Ecclesia me doceret. Falsum id quidem. Nam sine Ecclesiæ iudicio Christi hanc vocem esse, & veram ac genuinam scripturam sciri potest, ut deinceps fusiùs patebit. Iactantia mendax.

*Stapletonus.*

Vbi ad eum locum ventum fuerit, quo illud nobis patefacies, pro re nata tibi respondebitur. Interim donec id ostenderis, plura te polliceri quàm præstare possis, dicere non verebor.

*Whitakerus.*

Verùm ut hoc ei concedamus, non aliter sciri posse has scripturas esse, nisi per Ecclesiam, tamen ne hoc quidem modo sequetur argumentum. 5. Sect.

*Stapletonus.*

Mirè te torfit Whitakere hoc secundum nostrum argumentum, quod ut solvas, in tot te formas ver-  
 tis, & adhuc nihil agis. Primùm distinguebas de Ecclesiæ vocabulo, ut partim concederes, partim negares. Tum distinguis de Ecclesiæ iudicio externo vel interno, ut per illam rimam euaderes. Postea concedis totam assumptionem & negas cõsequen-  
 tiam. Deinde contrarium aliquid conaris inferre. Sed & rursum negas assumptionem, ex causa quam postea nobis dices. Postremò adhuc nunc semel concedis assumptionem, & negas consequentiam. Tot modis optimi argumèti vim euadere conaris. Sed nihil hæctenus egisti. Videamus nunc an hoc postremum perfugium tibi succurrat.

*Whita-*

*VVhitakerus.*

6. *Seft.* Multi enim non nouissent Christum, nisi Ioannes docuisset, & digito eum demonstrasset, & dixisset, *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Num ideo certior Ioannis quàm Christi authoritas fuit? Nullo sanè modo. Multos enim Ioannes ad Christum remisit, qui multò magis propter ipsum Christum quam propter Ioannis præconium ac testimonium crediderunt. Sic per Ecclesiam multi credunt has Scripturas esse, qui tamè postea ipsis scripturis persuasi melius credunt. Præterea Paulus & Petrus & reliqui Apostoli optimè nouerunt vocem Christi. An ideo maior eorum authoritas censebitur quàm ipsius Christi? Nequaquam. Non ergo sequitur. *Conclusio confida.* Ecclesia optimè nouit vocem Christi, Ergo certior est Ecclesiæ quàm Christi vel Scripturæ authoritas.

*Stapletonus.**Aduersarij absurditas.*

Istud scilicet est, vel obesæ naris & obtusi cerebri disputatorem esse, vt argumentum quod impugnat non intelligat, vel ridiculum cauillatorem agere, vt iuxta argumentantis mentem argumentum quod intelligit impugnare nolit. Quorum illud professori Regio turpe est, hoc quocunque theologo indignum est. An ego enim concludo disputator absurde, certiozem esse Ecclesiæ authoritatem quam Christi; An de Christi authoritate vlla hic disputatio à me instituitur? Quando nullam esse certiozem authoritatem quam Ecclesiæ probare contendo, an Dei aut Christi authoritas in comparisonem vocatur? An nescis, an ignoras, de externo doctrinæ iudicio quod Deus per Christum in Ecclesia sua posuit hoc in loco agi? An non ipsemet iam iam hoc confessus es, dicens. *Prius de externo Ecclesiæ iudicio egit?* Sed iam in huius argumenti exordio

dio planum feci, certissimam Ecclesiæ authorita-  
 tem à nobis hoc loco asseri nō Dei non Christi re-  
 spectu, sed respectu omnis humanæ authoritatis,  
 quæcunque tādē illa sit. Nam vt in exemplis tuis Ecclesiæ  
 maneamus, Ioannis sane authoritas Christi autho- authoritas  
 ritate maior non fuit quia Christus illo maior est, quo sensu  
 sed quum adhuc per Ioannem Christus voluit præ- certens  
 dicari & innotescere, nulla in terris certior, nulla maior est.  
 maior authoritas fuit ad Christum cognoscendum  
 quam ipsius Ioannis testimonium : qui ideo *missus* Ioan. 1.  
*est à Deo vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes*  
*crederent per illum.* Postea sublato Ioāne, & eius præ-  
 dicationis cursu finito, maiora testimonia accesse-  
 runt, ipsius Christi prædicatio, miracula, testimo-  
 nium, dicente Christo. *Ego testimonium habeo maius* Ioan. 5.  
*Ioanne, Opera quæ ego facio testimonium perhibent de me.*  
 Ac rursus. *Ego si testimonium perhibeo de meipso, testi-* Ioan. 8.  
*monium meum verum est. Scio enim vnde veni & quò va-*  
*do.* Nempe quia à Patre processit, Patri æqualis,  
 potuit de seipso testimonium perhibere. Sed &  
 Christi quoque prædicatione finita, eoque in glo-  
 riam Patris assumpto, supremum in terris testimo-  
 nium externum reliquit Ecclesiæ suæ dicens. *Vos*  
*eritis mihi testes &c.* Et rursus vtrumque internum Act. 7.  
 & externum testimonium coniungens de Spiritu  
 sancto dixit. *Ille testimonium perhibebit de me & vos te-* Ioan. 15.  
*stimonium perhibebitis de me.* Nunc ergo supremum  
 testimonium externum in terris (maximè cessanti-  
 bus miraculis quæ erant quoque diuini Spiritus  
 testimonia) est Ecclesiæ vox. Sed quod Ecclesiæ  
 vox forinsecus sonat, hoc Christi Spiritus intrin-  
 secus docet. Et hoc est maximum testimonium in  
 genere causæ interioris, sicut Ecclesiæ testimonium  
 est maximum in genere causæ externæ. Sic Petri,  
 Pauli, aliorumque Apostolorum authoritas non est  
 maior

Ephet. 2.

Ecclesie  
authoritas  
quo sensu  
certissi-  
ma.

maior quam Christi, quia Christus illis maior est. Tamen ad Christi notitiam illorum autoritas in genere externi testimonij nobis maxima est: quam ob causam *super ædificari dicimur super fundamenta Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Vt ædificemur in fide, & corporis Christi membra fiamus, pertinentes ad ædificium, compagem & vnitatem corporis Ecclesiastici, debemus ædificari super Apostolos vt veniamus ad Christum, vt pertingamus ad lapidem angularem, vt vniamur Christo per fidem ab Ecclesia discere & doceri debemus. Sic Ecclesia docens & prædicans nobis Christum non est maior Christo, sed est via & ratio credendi in Christum certissima, ab ipso Christo posita & instituta. Sed per Ecclesiam ad credendum inducti, ipsi Christo, eiusque interno testimonio magis credimus. Certissima tamen dicitur Ecclesie autoritas quia nulla humana maior est, quia nullum aliud externum medium est, nulla ratio, nullum testimonium, nulla persuasio, cui certius & infallibilius inniti possumus & debemus quam Ecclesie. Quod autem de Scripturis dicitur, aliam rationem habet. Qui prius per Ecclesiam credit has esse Scripturas, postea ipsis Scripturis persuasus non melius credit, non firmiter, non certius, sed certè delectabilius. Scripturæ enim quatenus Scripturæ sunt, id est verbum scriptum, nunquam sic internè loquuntur nobis vt Christus per spiritum suum: vt propterea potius propter Scripturam quam propter Ecclesiam credamus has esse scripturas. Sed semper opus est testimonio Ecclesie vel aliqua reuelatione immediata extra scripturas, vt scripturas esse Dei verbum credamus. Quo vtroque medio quia Iudæi, mahometistæ, pagani carent, non credunt has esse scripturas diuinas, quæ

quæ verè tales sunt. Itaque ad Scripturarum notitiam certior est Ecclesiæ vox & authoritas, quam ipsarum Scripturarum, quæ non ita per se possunt innotescere. De qua re in sequentibus plura dicendi locus dabitur.

*VWhitakerus.*

Quod autem ait Ecclesiam nobis tradere Regulam fidei, & hinc concludit: ergo de illa certissimè iudicare potest, tradèdi & iudicandi vocabula sunt ambigua. Tradit enim quidem hanc regulam non ut eius author, sed testis & monitrix & ministra. Iudicat etiã edocta à spiritu. Sed num hinc sequitur, Ergo mihi de hac regula non aliter posse certò constare, quam per Ecclesiæ nudum testimonium? fallacia est aperta *παρά τὸ ἐπιβεβαιωθῆναι*. Non sequitur. Possum per Ecclesiæ vocem ad fidei regulam perducere: ergo nullum est mihi certius iudicium quam Ecclesiæ.

*Conclusio  
conficta.*

*Stapletonus.*

Ecclesia tradit regulam fidei cum ea potestate & certitudine, ut quod illa dicit & testificatur esse Regulam fidei vel ad eam pertinere, sub pena perfidiæ credendum sit. Potest ergo de ea rectissimè iudicare, id est certissimè cognoscere quæ illa sit, quid illi conforme, quid repugnans sit. Alioqui fallax esset testis & monitrix cæca. *Non sequitur* (inquis) *possum per Ecclesiam ad fidei regulam perducere*. Ergo *nullum est mihi certius ea de re iudicium quam Ecclesiæ*. Sanè non sequitur: nec ego tam stupidus esse velim ut tales consequentias formem. Sed hoc bone vir, argumentum nostrum est. Ecclesia de regula fidei certissimè iudicat; quod tu non negas: ergo si ex regula fidei tanquam vno medio inquirendum est an hæc sit scriptura divina, Ecclesiæ iudicio hac in parte nullum est certius. Hoc est nostrum argumentum;

mentum; quod quia refellere non potuisti, aliud finxisti: & fallaciâ proclamas *παρά τὸ ἐπιμένον*, vt facilius ipse fallas. Fallacia *παρά τὸ ἐπιμένον* id est, ex consequenti tunc committitur, quando ex eo quod est consequens infertur antecedens, quasi consequentia conuerti possit: quod non potest quia latius patet consequens. Verbi gratia bene sequitur est mel ergo est flauum. Sed non sequitur vicissim. Est flauum, ergo est mel. Huiusmodi autem fallacia in mea argumentatione non apparet, quæ hæc est. Id per quod regulam fidei certissimè cognoscere possum, est vox Ecclesiæ de ea iudicantis. Ergo Ecclesia certissimè de hac regula iudicare potest. Valet consequentia à correlatiuis. Iudicat de ea certissimè. Ergo nullum de ea iudicium est certius Ecclesiæ iudicio. Valet ab expositione superlatiui. Optimè igitur sequitur. Ecclesia de hoc medio certissimè iudicat: Ergo Ecclesiæ de hoc medio iudicium est certissimum valet à coniugatis. Si certissimum, ergo ad hoc medium cognoscendum nullum certius est iudicium quam Ecclesiæ. Tuum erat ( vt solueres hoc argumentum ) ostendere, Ecclesiam de regula fidei certissimè non iudicare, quod dicere non es ausus. Hoc tamen si nunc audes ( quid enim non audeat ignorantia? ) ostendere debes aliquam aliam esse viam certiozem ad regulam fidei cognoscendam, quàm sit Ecclesiæ iudicium: quod facere nunquam potes. Si voluisti ex meis verbis argumentum tuo modo, formare, hunc in modum formare debuisti. Possum per Ecclesiam ad fidei regulam certissimè perducì. Ergo nullum est mihi certius ea de re iudicium quam Ecclesiæ. Sed tu verbum illud ( certissimè ) quod ego posueram, & vnde vis argumenti penderet, fallaciter omisisti, vt falaciam strueres *παρά τὸ ἐπιμένον*. Quanquam ego de posse non

non dixi; sed simpliciter asserui. *Sola Ecclesia de Regula fidei iudicat certissimè*. Iudicat autem certissimè non solum quia nos possumus ex eius iudicio regulam fidei certissimè cognoscere, sed etiam quia debemus: Deo nos ad eius magisterium mitente. Unde sic meum totum argumentum ex mea sententia formatur. Debeo per Ecclesie iudiciu[m] quaerere regulam fidei certissimè cognoscere. Ergo nullum est mihi certius ea de re iudicium quam Ecclesie. Vides nunc quam variè argumentum meum mutilasti, ut tuum stupidissimū substitueres. A deo elenchos & sophismata didicisti, non ut sophismata solueres, sed ut sophistam ageres; nec ut fallacis occurreres, sed ut falleres.

---

AN SCRIPTURA POSSIT PER SEIPSAM COGNOSCI PROPTER LUCEM QUANDAM illi propriam: & quia Deus nobis loquitur in illa.

## CAPVT. IX.

*Whitakerus.*

**T**ERTIO in loco assumptionem superiorem I. Sect. Collectio conficta. probat Stapletonus isto modo. Scriptura (inquit) non potest probari per Scripturam: ergo per Ecclesiam probanda est: & per consequens maior est Ecclesie quam Scripturae autoritas.

*Stapletonus.*

Magnae voluptati ducis totum disputationis mee

sen sum peruertere, & cōclusiones nec à me expref-  
 las nec cogitatas mihi affingere. Ego hoc conse-  
 quens quod ex meo argumento infero, quo dicis,  
*& per consequens maior est Ecclesia quam Scriptura au-*  
*thoritas*, hoc in loco nec dico nec intendo, nec vt di-  
 cerem ad rem propositam facere video. Sed hæc est  
 sola mea hoc loco collectio, conclusio, argumen-  
 tatio. Scriptura per Scripturam probari non potest,  
 nec in toto nec in illis partibus quæ posterius scri-  
 ptæ sunt. Ergo necesse est vt per Ecclesiam probe-  
 tur. Contra hanc argumentationem quæ respon-  
 dendo disputas, examinabo. Illud alterum conse-  
 quens tuum est non meum.

*VWhitakerus.*

2. Sect.  
Mendaci-  
um.

Antecedens hac ratione ab illo confirmatur. Si  
 quis (inquit) negauerit Paulinas epistolas esse Ca-  
 nonicas, probari id nõ potest vel ex veteri testamē-  
 to, vel ex Euangelio, quia nulla vsquam fit earum  
 mentio.

*Stapletonus.*

Ratio quam quasi meam adiungis, *quia nulla vs-*  
*quam fit earum mentio*, à me prolata non est. Cur ite-  
 rum falsa mihi impingis, nisi quod (vt dixi) vo-  
 lupte habes cauillatorem ineptum, & ridiculum  
 agere?

*VWhitakerus.*

3. Sect.  
Conclusio  
conhct.

Subiungit deinceps neque totam Scripturam,  
 neque partem aliquam Scripturæ ex ipsa Scrip-  
 tura probari posse, quia omnis probatio est ex no-  
 toribus. Ergo nescienti (inquit) aut neganti vel to-  
 tam Scripturam vel partem eius aliquam, probari  
 nihil potest ex ipsa Scriptura.

*Stapletonus.*

Hic vero meam disputationem apertè deprava-  
 uas, & putidum sophistam agis, aliqua quæ nõ dixi  
 inter-

interpolando, alijs quæ dixi, de tuo addendo. Tale enim mihi conclusionem fabricas, quæ affirmet nec totam nec partem aliquam Scripturæ ex Scriptura probari posse: quum ergo hoc de tota Scriptura rātum absolutè dixerim, de parte autem non qualibet, sed posteriori aliqua respectu alterius partis prius scriptæ. Quare tota mea sententia ponenda hic est, quam tu insigniter mutilasti. Sic ergo scripseram. *Scriptura per Scripturam probari non potest, nec in toto nec in illis partibus quæ posterius scriptæ sunt. Nam quamuis dubitans de vna parte Scripturæ prius scriptæ & tradita, posset fortasse ex alijs partibus posterius scriptis quas admittit, conuinci (sicuti qui negaret legem & prophetas, sed nouum testamentum reciperet, conuinci posset ex nouo Testamento legem à Deo profectam esse, & prophetas diuinos fuisse, quod facit diligenter & copiosè Augustinus in libris contra Faustum & aduersarium legis & prophetarum) tamen nec in ijs quæ posterius scriptæ sunt, idem præstari potest (neganti enim verbi causa Epistolas Pauli, ex Euangelijs vel ex toto veteri Testamēto, nullo modo probari posset illas esse Canonicas) nec in tota ipsa Scriptura. Huius periodi quæ propositionis meæ prima confirmatio est, tu tantummodo postremam particulā de Paulinis epistolis arripuisti, cætera omnia atque adeo propositionis ipsius posteriorem partem refecando. Post hanc autem periodum sic pergo. *Probatio enim omnis à notioribus procedit. Neganti ergo simpliciter aut omnino totam Scripturam, ex Scriptura nihil probatur.* Hæc est mea conclusio, quam tu in hoc modo peruertis. *Nescienti ergo aut neganti vel totam Scripturam, vel partem eius aliquam, probari nihil potest ex Scriptura.* Tu meam conclusionem de tota & de qualibet parte formas. Ego illam de tota Scriptura tantum formaui, & dilertè præmisi, aliquas Scripturæ partes prius scriptas, per alias Scri-*

Aduersarij putida deprauatio explicatur.

turæ partes posterius scriptas & traditas probari posse. Cur sic meam sententiam peruerteris, in sequentibus patebit: Pergamus nunc.

*Whitakerus.*

4. *sect.*

At hic utrobique (inquit) occurrit Ecclesia. Nam si quis partem scripturæ negauerit, Ecclesia persuadet, ut quemadmodum certos receperit libros, ita recipiat hos: Qui totam scripturam nescit, ei persuadet, ut qua ratione Christum accepit, eadem & scripturas. Nulla pars scripturæ seipsam probare potest, quod sit verbum Dei.

*Stapletonus.*

Huc usque etsi non mea verba, tamen eorum sensum utcumq; recitasti. Sed dic obsecro mi Whitakere, hac posita mea simplici assertione, quod Ecclesia utrique persuadet, seu totam neganti scripturam seu partem, cur nõ eiusdem assertionis probationem statim subiunxisti, sed illa penitus prætermissa, ad respondendum te accingis? Quis non videt veteratorie hoc à te factum fuisse, ut simplex assertio absque vlla probatione posita magis improbabilis magisque obnoxia impugnationi videretur, tua verò responsio facilius formaretur. Sed ego illam satis paucis verbis expressam (næ prolixitatis vitandæ causa prætermittam) hic subiungam; quia etsi posterius, longo post interuallo, & longa interiecta disputatione à te examinantur, tamen hic & hoc loco, ut assertionis meæ quam hic pono certa & firma probatio, consequenter adiungi, & à te examinari debuit. Sic igitur verbis postremis à te citatis ego subiunxi. *Non est enim scriptus aliquis liber sacer immediata Dei vox, sed est verbum Dei, & vnum ex his quæ à Deo pronuntiata creduntur. Itaque authorem habet Deum, sicut reliqua omnia quæ creduntur.* Tamen non ex seipsa, sed aliunde

*Intra cap.*

13.

aliunde (nempe per Ecclesiæ vocem ut cætera) constare nobis debet. Est enim fidei ut cætera.. Saperat captum nostrum ut cætera. Per immediatas reuelationes non debet accipi magis quàm cætera. Debet ergo per Ecclesiã cognosci ut cætera. Hæc ego ibi præcedentibus subiunxi, ut ostenderem quòd nulla pars scripturæ seipsam probare potest, quod sit verbum Dei; sed ad eius rei probationem, necessarium sit Ecclesiæ testimoniũ & iudicium. Tu propositionem meam posuisti τοῖς φιλοηγομενάτοις odiosam; de quibus Nazanzenus appositè dixit. τὸ ενδυμα τῆς ἀσεβείας ἐστὶν αὐτοῖς ἡ φιλία τῶν γραμμάτων. Confirmationem & τὴν ἀσασκὴν meam De Theolog. lib. 5. refecisti, τοῖς φιλαληθεσι necessariam. Hæc ignaui aduersarij factum quo schemate excusare possis, expecto. Sed nunc quid demum respondeas, mulcila sic disputatione mea, videamus.

*Whitakerus.*

Respondeo. Præclara hæc quidem persuasio, ut quemadmodum quis certos libros recipit, sic etiam recipiat reliquos. At quomodo inductus primum fuit, ut certos illos libros reciperet? Num Ecclesiæ autoritate? Quare ergo non omnes similiter ex eodem iudicio recepit? Vult enim Ecclesia ut omnem scripturam æquè ac partes eius aliquas recipiamus. Huic dubitationi Stapletonus non occurrit.

Dubitatio & quaestio ridicula.

*Stapletonus.*

Grauem sanè dubitationem & Professore Regio dignam, & à me non sine graui piaculo prætermisam, proposuisti Doctor indocte. Si quis aliquos scripturæ libros recepit Ecclesiæ autoritate inductus, quare non omnes recepit, quum omnes æquè recipiendos Ecclesia doceat? Tibi hæc dubitatio tam grauis videtur? Dic ergo: Mira res & multum discutienda tibi videtur, Si quis aliqua

mandata Dei seruet eò quòd Deus ea seruari iussit, omnia tamen non seruet, quum æquè omnia seruari iusserit? Et quid hac hominum peruersitate vulgarius? Tu autem hanc dubitationem solue, & alteram solues. Iam verò in causa & dubitatione præsentis, tu hanc dubitationem moues, qui es magister in hæresi? Dic nobis hæresum magister. Cur vos hæretici aliqua Catholicæ fidei dogmata recepistis, Catholicæ Ecclesiæ authoritate inducti, vt esse tres personas, & vnum Deum, filium esse consubstantialem patri, Spiritum Sanctum procedere à patre & filio, aliaq; complura, omnia tamen non recipitis, quum Ecclesia æquè velit ea à vobis recipi quæ negatis, quàm ea quæ approbatis? Cur nisi quia in quibusdam ab Ecclesia dissentiri liber, non in omnibus? An fortè negabis te aliquid propter Ecclesiæ Catholicæ authoritatem credere? Scio sanè nec te nec hæreticum quempiam aliquid ex vera fide credere, id est, propter Deum per suam Ecclesiam loquentem: sic enim & cætera nobiscum crederetis. Sed non arbitror tamen te hoc ipsum dicturum & profiteri velle, quòd nihil credas prorsus quasi inductus ab Ecclesia, ne sic apertè hæreticū te esse eadè opera profiterere, ne sic apertè omnis te fidei expertem esse confiterere, omnis inquam fidei de qua Apostolus dixit, *fides ex auditu: & quomodo credent sine predicante?* Denique ne sic apertè illi articulo fidei renunciares, *Credo Ecclesiam Catholicam*, cuius ille literalis sensus est, te ea credere quæ credenda tenet ac docet Ecclesia Catholica. Cæterum tamen quia quicquid adhuc nobiscum credis, Ecclesiæ Catholicæ authoritate, voce, testimonio, consensu inductus, eius rei saltem secundum substantiam actus fidem tenes, quæ causa te mouet ne omnia nobiscum credas, eadem causa multos alios hæreti-

Rom. 10.

Hæretici  
cur quedā  
credunt, &  
alia non  
credunt.

hæreti-

hæreticos mouit, vt quædam scripturas admitterent, alias negarent: cuius rei multa exempla in hoc opere quod impugnas produximus. Nempe quia quælibet hæresis eas scripturas reijcit, quas suis dogmatibus nimis apertè reluctari videt, vt <sup>a</sup> Tertulianus <sup>b</sup> Augustinus <sup>c</sup> Hieronymus docent. Idem fit in alijs fidei dogmatibus: Quædam vos hæretici recipitis, & quidem ab Ecclesia, quædam reijcitis, quæ vestris placitis repugnant, quum tamen omnia sanæ doctrinæ capita æquè à vobis recipi Ecclesiâ vellet. Hoc tibi tam nouum & mirum videtur, vt Ecclesiæ authoritate inductus quispiam quædam credat, quædam non credat? An non sepius accidit, vt Ecclesiæ authoritas in quibusdam dogmatibus etiam pertinacissimis hæreticis bene placeat, bona ac laudabilis videatur, in alijs tota displiceat? Exempli causa. Vos Calvinistæ baptismum paruulorum ab Ecclesiæ authoritate acceptum (neque enim sola scripturæ authoritate eius ad salutem in paruulis necessitas efficaciter probari potest, etsi multum in eo sudet Calvinus) custoditis & contra Anabaptistas defenditis, Lutherani verò etiam solam Ecclesiæ authoritatem hac in parte sufficere affirmant: quum tamen tam Calvinistæ quàm Lutherani Ecclesiæ authoritatem in alijs dogmatibus permultis penitus neglexerint atq; reiecerint.

Sed & præter hæreticos, Catholicus aliquis indoctus & simplex, qui quicquid credit ab Ecclesiæ Catholicæ authoritate inductus fuit vt crederet, audita fortè alicuius hæretici vel assertionem vel disputationem contra aliquam scripturæ partem, puta libros Machabæorum, potest de illis libris dubitationem aliquam animo concipere, conceptamque ita altè imprimere, (nihil interim cogitans de Ecclesiæ authoritate qua ad omnem de scripturis fidè

<sup>a</sup> In præscript.

<sup>b</sup> Lib. 18. c. 3. & 7.

contra Faustum. <sup>c</sup> Præfat.

in epist. ad Tit.

Catholicus de aliqua scripturæ parte dubitans per Ecclesiæ authoritatē in viam re-ducitur.

inductus fuit.) vt non facile se ab ea opinione alijs argumentis diuelli patiatur. Huic verò efficaciter succurrit Ecclesiæ authoritas, vt ea ipsi proposita, & per quos Christianus factus fuerit demonstratio, ne illi facta, ad sanio rem mentem redeat, & Ecclesiæ authoritate permotus, hanc scripturæ partem amplius recipere non detrectet, cuius authoritate inductus, tum reliquas scripturæ partes, tum totam fidem Christianam semel recepisset. Sic Augustinus de Actis Apostolicis, quæ negabant Manichæi: *Huic* (inquit) *libro necesse est me credere, si credo Euangelio, quum vtramque scripturam similiter mihi Catholica commendat authoritas.* Habes VWhitakere dubitationis à te propositæ breuem & extemporaneam sed sufficientem, vti spero, solutionem.

VWhitakerus.

6. Lect. Deinde planè absurdum est, quenquam in Christum posse credere, qui totam scripturam neget ac respuat. Hoc certè fieri nullo modo potest.

Stapletonus.

Si hoc tibi tam absurdum videtur, & ex ijs quæ fieri non possunt, quare huius rei probationem euidentem & de facto à me hoc eodem capite quod impugnas subiectâ nõ refutasti? quare illam totam tacuisti, dissimulasti, prætermisisti? Ita sanè Facilius erat tibi fortiter negare, quàm probationi factæ respondere. Semper in te verum erit. *Plus potest asinus negare, quàm Aristoteles probare.* Quàm te ignauum, miserum, & inermem disputatorem ostendis, qui disputationem instituens, aduersarij propositiones fortissimè negas, aduersarij probationes altissimo silentio inuoluis? Nempe gloriosus Thraso tutissimum esse putat stare post principia. Ego verò meam probationem iterum in aciem producam, vt tuam impudentem negationem certa ratione retundam.

Sis

Cō. epist.  
Fundam.  
cap. 1.

Ignauia  
Aduerſar.  
xij.

Sic in eodem capite paulò post verba ista mea quæ hoc loco impugnas, dixeram. *Fidem & nomen Christi profiteri potest, qui vt ceteras hereses tenere; ita etiam totam scripturam repudiare possit, tam in specie istam (quod multi fecerunt) quam in genere omnem. Quod fecerunt hodie Suensfeldiam & Anabaptista quidam, & alij quos in Anglia superilluminautos vocant: Vel nunc recentius, ab authore, Brovvnistas. Hanc à tot exemplis probationem quare subticuisti? An rem à me confictam dices? Tantò à te facilius refutari poterat. An ita se rem habere negare non potuisti? Cur itaque tam impudenter rem absurdam hoc esse proclamas, & quod fieri nullo modo potest. Sanè tuus Calvinus tales homines non fuisse tantum affirmat, sed & studiosè refutat. Emerferunt (inquit) nuper vertiginosi quidam, qui spiritus magisterium fastuosissime obtendentes, lectionem ipsi omnem respuunt, & eorum irrident simplicitatem, qui emortuam & occidentem, vt ipsi vocant, literam adhuc consecantur.* Hæc ille. An dices VWhitakere Calvinum spectra sibi confinxisse quæ persequeretur, & hominum genus refutare, qui nusquam sunt, ac nec vllò modo esse possunt?

Esse aliquos nomine Christianos, qui totam scripturam negant.

Instit. lib. I. cap. 9.

Dices fortasse hos vertiginosos homines in Christum non credere. Id quidem verissimum est. Nec ego dixi aliquos in Christum credentes totam scripturam posse negare, sed dixi, *Fidem & nomen profiteri potest, qui vt ceteras hereses tenere, ita etiam totam scripturam repudiare possit.* Nam in Christum certè non credit, non solùm qui totam scripturam repudiat, sed etià qui partem eius aliquam pertinaciter negat. In Christum non credit, non solùm qui multas & graues hereses tenet, sed etiam qui vel in vno fidei dogmate ab Ecclesia pertinaciter dissentit: quo fit vt tu Whitakere qui tot fidei orthodoxæ dogmata in hac tua disputatione impugnas, si pertinaciter id facis,

Argumētū sensum peruertit.

Fidē verā nō habet, qui ali- quid fidei pertināci- ter negat.

hæreticus haud dubiè sis, nec omnino in Christum credas, id est, nullam de Christo veram fidem tenes. fidem dico quæ Dei donum sit, & vt tu loqui soles quam interna Spiritus sancti persuasio obsignauit. Quemadmodum enim non est ille per charitatem & dilectionem amicus Dei, qui vel vnum Dei mandatum deliberatè transgreditur, vel in vno mortali peccato affectum peccandi deliberatum retinet, sic non est per fidem filius Dei, nec vllam profus verā fidem à Deo inspiratam habet, qui vel in vno fidei articulo Deo non credit. Virtus enim est ex tota causa, & non illuminat Deus suo Spiritu ad credendum efficaciter, nisi quem totum illuminat, & ab omnibus infidelitatis tenebris liberet, non quidem vt actu simul omnia credat, sed vt paratus sit omnia credere, quæ ei à Deo credenda proponuntur. Sic cuius voluntatem Deus sanat ab effectu peccati sic sanat, vt non ab vnus tantum peccati, sed etiam ab omnium peccatorum affectu eum sanat, non quidem vt statim omnia mandata seruet, sed certè vt omnium & quorumcunque mandatorum Dei seruandorum affectum induat, vt ab omnibus peccatis animo & voluntate abhorreat. Hæc in schola Catholica vulgaria sunt. Sic in Euangelio totum hominem Christus sanauit in sabbato, & eidem postea dixit: *Ecce sanus factus, noli iam amplius peccare.* Nam vt D. Iacobus scripsit: *Qui offendit in vno factus est omnium reus, Qui enim dixit, non occides, idem dixit, Mon mæchaberis.* Sic qui non credit in vno factus est in omnibus infidelis. Qui enim dixit de vno articulo fidei: *Qui non credit in vnigenitum filium Dei, iam iudicatus est,* idem de tota ratione & doctrina fidei per Ecclesiam prædicatæ dixit: *Prædicate Euangelium, &c.* Qui non crediderit, vobis scilicet predicantibus, *condemnabitur.*

Ioan. 7.

Ioan. 8.

Iac. 4.

Ioan. 3.

Marc. vlt.

VWhitakerus.

Sed iam ad ipsius argumenti examinationem veniamus: Cui dupliciter respondeo. Primò affirmo scripturam ex scriptura intelligi, percipi, cognosci, ac probari posse. Secundò dico, si illo modo percipi ac probari non posset, multò minùs per Ecclesiam probari posse. Primum ex his quæ sequuntur manifestum erit. Scriptura enim authorẽ habet ipsum Deum, ab ipso primum prodijt & profecta est. Ergo ex ipso authore scripturarum autoritas probari potest.

7. Sect.  
Collectio  
ridicula.

Stapletonus.

Huius argumenti vanitas ex consimili statim se prodit. Omnia fidei dogmata Deum authorem habent: ab ipso primum prodierunt & profecta sunt. Ergo ex ipso authore, omnium dogmatum autoritas probari potest. Quæ consequentia si bona est ad nullum fidei dogma proponendum, explicandum, commendandum, Ecclesiæ autoritate opus est: Vanum est & nullius autoritatis pondus habet quòd *Christus dedit Ecclesiæ suæ Apostolos, Prophetas, Doctores, Pastores, &c. in opus ministerij ad consummationem sanctorum, & ædificationem corporis Christi.* Falsum est quod Apostolus dixit. *Quomodo credent ei, quem non audierunt, &c.* Frustrà quosdam audiendos Christus suo loco posuit, dicens: *Qui vos audit, me audit.* Iam enim quia Deum authorem omnis sacra veritas habet, ipse Deus eam omnem nos docebit. Non est opus ut *Spiritus Ecclesiæ præpositos omnem veritatem doceat* qui alios postea instruant, *vt per verbum eorum omnes credant.* A Deo prodit omnis veritas: ergo ex ipso authore omnium autoritas petenda est. Cæterum disputator absurde, sicuti in omni alio fidei dogmate, Deus quidem eius author est, & à Deo illud prodit, tamen illud Deus per Ecclesiam suam nobis

Deum esse  
fidei au-  
thorem,  
nò dero-  
gat au-  
thoritatẽ  
Ecclesiæ

Ephes. 4.

Rom. 10.

Luc. 10.

Ioan. 15.

& 17.

nobis reuelat, per Ecclesiæ ministerium illud nos audire vult, ab Ecclesiæ testimonio illud nos accipere voluit, sic & ipsas scripturas vtrunque à Deo prodierunt: nec ob hoc ipsum quia à Deo prodierunt, absque Ecclesiæ autoritate innotescere nobis possunt ordinariè loquendo, & iuxta ordinem à Christo institutum. Sed verò in ipsis scripturis singularem quandam lucem esse vis qua nobis innotescant. Sic enim subiungis.

VWhitakerus.

3. Sect.

2. Tim. 3.

2. Pet. 1.

In illis enim Dei ipsi<sup>9</sup> autoritas elucet. Tota scriptura diuinit<sup>9</sup> inspirata dicitur. *Nō libidine hominis allata est olim prophetia, sed acti à Spiritu S. loquuti sūt sãcti dei homines.* Et eodē cap. propheticus sermo *βεβαιότερον* dicitur. *Habemus* (inquit Apostolus) *firmiorem propheticum sermonem.* Illud verbum *βεβαιότερον* ad rem spectat. Significat enim scripturã firmissima maximaque autoritate esse præditam. Et eodem in loco comparatur lucernæ in obscuro loco lucenti. Habet ergo in se lucem, & eiusmodi etiam qualem possimus\* in tenebris aspicere. At si valeret sententia aduersariorum, oporteret hanc lucem in Ecclesia esse, non in scripturis. Idem significat David. *Verbum tuum lucerna est pedibus meis & lux itineris mei.* Ergo clarissimam in se lucem scriptura habet. Atque hanc etiam ob causam testimonij nomine sæpius appellatur. Ex his atq; alijs locis ita ratiocinamur. Summa perspicuitas & lux inest in scripturis. Ergo scriptura ex scriptura intelligi potest, \* si modo quis oculos habeat quibus hanc lucem aspiciat. Quemadmodum in sole summa lux apparet, sic in verbo Dei splendor diuinitatis maximus affulget. Nam ne solis quidem lucem cæci aspiciunt, nec scripturarum splendorem quorum mentes non sunt diuini.

\* Psal. 118.

\* Contra-  
dictio  
aperta,

diuinitus illuminatæ. Sed \* qui oculos fidei habēt, \* Præcedentium omnium subuersio.  
illi possunt hanc lucem intueri.

*Stapletonus.*

Tota hæc tua disputatio, ab ipsa conclusione quam facis euertitur, & in nihilum recidit. Maximam quandam lucem Scripturarum esse docere vis, & eiusmodi quidem qualem in tenebris possimus aspiciere. Sic enim Scripsisti, nunc concludis totam hanc lucem sine oculis fidei videri non posse. Hæc primum contraria sunt. Lucem enim Scripturarum in tenebris aspiciere, significat tantam esse scripturarum lucem vt à quouis etiam tenebroso corde videri possit. Tenebræ enim respectu scripturarum & omnis sacre veritatis sunt cordis tenebræ non corporis de quibus Ioannes dixit. *Lux in tenebris lucet & tenebræ eam non comprehenderunt.* Et Apostolus. *Ambulant gentes in vanitate sensus sui tenebris obscuratum intellectum habentes propter cæcitatem cordis ipsorum.* Si ergo in tenebris lux scripturarum aspicitur, etiam absque lumine fidei propter innatum ipsi splendorem diuinum aspici potest. Falsum ergo est quod postremò dixisti, *Sine oculis fidei hanc lucem nemo videre potest.* Sed certè verissimum est hoc posterius, & falsum quod dixisti prius.

Cæterum ita verum est hoc posterius vt tuam totam argumentationem inanem & irritam fecerit. Si enim sine oculis fidei lux scripturarum videri non potest non est eius lux maior, nec splendor diuini, quam cuiuscunque veritatis supernaturalis, seu cuiuscunque fidei dogmatis diuinitus reuelati. Illa enim videri non possunt sine lumine fidei. *Dei enim donum est, nõ ex vobis, ne quis gloriatur.* Debent igitur scripturæ per Ecclesiam nobis innotescere, sicut cætera fidei dogmata per eandem Deo sic ordinante innotescunt.

Scri-

Scripturæ porro à te citatæ vt tua magis ineptia  
 eluceſcat illam quam iactitas ſingularem lucem  
 nihil probant. *Scriptura eſt diuinitus inſpirata.* Sic ſunt  
 & omnia fidei dogmata. *Acti à Spiritu ſancto locuti  
 ſunt homines Dei.* Sic acta à Spiritu ſancto loquitur  
 Eccleſia. Vnde quicquid Eccleſia docet eandem lu-  
 cē habet quatenus à Deo eſt, quā habet prophetia  
 quatenus à Deo eſt. At *Propheticus ſermo firmiſſimus*  
 dicitur, & hoc ſignificat ſcripturā firmiſſima maxi-  
 maq; authoritate eſſe præditā. Sed Petrus nō eum  
 firmiſſimū vocat, ſed *firmiorē* viſu ſcilicet eius & au-  
 ditu in monte Thabar. Hoc eſt, vult eos magis cre-  
 dere propheticis de Chriſto ſermonibus quā testi-  
 monio ſuo oculari atq; aurito. Non quod tale testi-  
 moniū quoque nō eſſet valde illuſtre, ſed quia per-  
 ſonale videri potuit, ſcripturā propheticā magis il-  
 lis cōmendat, cui ſuadet eos attendere *tāquam lucernæ  
 lucenti in caliginoſo loco.* Hic tu magna cōfidētia quaſi  
 victoriam adeptus, triumphū canis, & dicis. *At ſi va-  
 leret ſententia aduerſariorū, oporteret hanc lucē in Eccleſia  
 eſſe, nō in ſcripturis.* Diſputator abſurde, lux vel lucer-  
 na lucens tum in Eccleſia eſt tū in ſcripturis, & alio  
 atque illuſtriori modo in Eccleſia quā in ſcripturis.  
 An vere putas Whitakere lucē hanc in Eccleſia nō  
 eſſe? An negabis illa Chriſti verba Eccleſiæ ſuæ pre-  
 poſitis dicta. *Vos eſtis lux mūdi. Nemo accendit lucernā &  
 ponit eā ſub modio, ſed ſuper candelabrū vt luceat omnibus  
 quæ in domo ſunt?* An dicēs mentiri Apoſtolum quum  
 ſcribit. *Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt hæc gra-  
 tia illuminare omnes &c.* An ignoras in Apocalypſi,  
 ſedes episcopales hac ratione candelabra vocari,  
 dicente Chriſto episcopo Ephesi. *Mouebo candelabrū  
 tuum de loco ſuo niſi penitentiam egeris?* Ioannes Bapti-  
 ſta nonne vocatur à Chriſto *lucerna ardens & lucēs?*  
 ardens in ſpiritus feruorē, lucens in doctrine præ-  
 dicatione?

2. Tim. 2.

2. Petr. 1.

Propheti-  
cus ſermo  
quo inſpi-  
rator.Lucerna  
Lucēs tam  
Eccleſia  
quam ſcri-  
ptura.

Matth. 5.

ad Ephes.

3.  
Apocal. 2.

Ioan. 5.

dicatione? Lucerna lucens erat quia *testimonium per-* Ioan. 1.  
*hibebat de lumine vt omnes crederent per illum.* Id est, vt  
 per illum lumen viderent, vt per eius predicationē  
 Christum cognoscerent. Talis lux mundi post Io-  
 annem, Apostoli & eorum perpetui successores  
 fuerant & sunt: de quibus sic Augustinus. *Ecce lu-* Tract. 33.  
*terna perhibent testimonium diei propter infirmitatem no-* in Ioan.  
*stram quia diei claritatem tolerare & videre non possumus.*  
*Nam & nos ipsi qui Christiani sumus, in comparatione*  
*quidem infidelium lux iam sumus & filij lucis, tamen in*  
*comparatione illius lucis ad quam venturi sumus, adhuc nox*  
*est etiam dies in quo sumus.* Hæc ille. Ideo Petrus hoc  
 loco totam hanc infirmitatem nostram præsen-  
 tem vocat *locum caliginosum* in quo lucerna scriptu-  
 rarum lucet, *donec oriatur lucifer in cordibus nostris*: id  
 est vt exponit ibidem Augustinus, *donec ipse Chri-*  
*stus veniat qui illuminet occulta tenebrarum.* Tunc enim  
*tali presenti die lucerna non erunt necessaria.* Est ergo Scripturæ  
& Ecclesiæ  
comparatio.  
 scriptura lucerna, est & Ecclesia: sed hæc tanquam  
 lucis ministra, illa vt lucis materia: hæc vt suo re-  
 stimonio lumen quasi digito demonstrans, illa vt  
 suo quoque testimonio ipsam lucem portans: de-  
 nique hæc lumen prædicat, docet, proponit, expli-  
 cat, annuntiat, testificatur, Dei spiritu ad hoc edo-  
 cta, instituta, & in autoritate posita vt per illam  
 omnes credamus: illa vt omnis alia sacra veritas,  
 omneque fidei dogma, fide semel accepta mentem  
 illuminat, & est vnum ex his quæ creduntur, vt eo-  
 rum omnium *fide purificentur corda nostra* vt Petrus Act. 19.  
 loquitur, id est ab omni errorū impuritate & igno-  
 rantia circa diuina tenebris liberentur. Tota enim  
 lux quæ relucet in scripturis non nisi propter diui-  
 na dogmata quæ in eis continentur relucet. *Sic lu-*  
*terna est pedibus nostris &c.* non quia absque Ecclesiæ  
 doctrina per se innotescit magis quam alia fidei do-  
 gmata

gmata ordinarie loquendo, & secluso peculiaris re-  
 uelationis priuilegio, sed quia (vt cætera quæ cre-  
 duntur) docent nos ambulare in via domini, & di-  
 rigunt gressus nostros ad obseruationem mandato-  
 rum Dei. Omnis enim doctrina fidei docet & illu-  
 minat intellectum circa ea quæ credenda sunt vt  
 intellectus illuminatus dirigit voluntatem circa ea  
 quæ facienda sunt. His ita constitutis nihil adhuc  
 attulisti quo probes, scripturam posse per scriptu-  
 ram probari. *Summa illa lux & perspicuitas Scriptura-  
 rum* quam asseris nihil probat nihil concludit, con-  
 tra necessitatem lucis Ecclesiæ. Maximè quia agnos-  
 cis ipse totam hanc lucem sine oculis fidei videri  
 non posse. Hos autem oculos fidei nemo ordinariè  
 habet nisi ad prædicationem & per ministerium  
 Ecclesiæ vt supra diximus, pluraq; adhuc mox dice-  
 mus. Deinde quod ego dixi per scripturam probari  
 scripturam non posse, ideoque ad eius probatio-  
 nem Ecclesiæ iudicium esse necessarium, propter  
 illos dixi qui oculos fidei non habent, ideoque vel  
 partem aliquã scripturæ vel totam negant. Nihil  
 igitur prorsus contra nos concludis & planè extra  
 chorù saltiras. Iam credenti scriptura seipsam pro-  
 bat & commendat: sed quæritur an neganti vel ne-  
 scienti hanc esse scripturam ex sola scriptura pro-  
 bari hoc possit. Sic ad argumētum nostrum hacten-  
 us nihil dixisti.

*Whitakerus.*

Præterea si homines loquentes agnoscimus,  
 2. Sect. quidni & Deum in verbo suo loquentem audia-  
 mus & agnoscamus? Quid enim opus est, vt alius  
 me doceat hanc esse vocem alicuius quam ipse  
 agnosco? aut indicet mihi amicum loqui quem ego  
 loquentem audio & intelligo?

*Stapletonus.*

Age ergo & vt Ecclesiæ docentis necessitatem  
 exclu-

excludas, redargue ore blasphemus Christum qui per Ecclesiam nos doceri voluit proximè & immediata tē non per libros aliquos scripturarum. Euntes (inquit) docete omnes gentes dic ergo blasphemus Quid opus est vt alius me doceat hanc scripturam, hunc articulum, hoc dogma esse vocem tuam o Christe, quum ego ipse oculis fidei hoc totum agnoscam. Rursum dicente Christo Ecclesiæ suæ, Qui vos audit me audit, dic ei tu blasphemus, quid opus est vt alius indicet te mihi loqui quem ego loquentem audio & intelligo. Cur ad homines loquentes nos mittis? Cureos audire nos iubes? Si eos loquentes agnoscamus quidni & teipsū in tuo verbo loquentē audiamus & agnoscamus? Iterum dicente Paulo. Quomodo credet ei quē nō audierūt, quomodo audiet sine predicante, responde tu Whitakere, & eum rursus interroga sicuti hic interrogas, Quid opus est vt hominem prædicantem audiam aut vt alius prædicando me doceat, quando ego ipse oculis fidei quicquid de Deo credendum est ex verbo eius agnoscam? Credam ergo Deo quem non audiui sed legi in verbo scripto. An non egregiè Apostolum corrigis disputator infidelis? Nempe præuidere Apostolus debuit, breui fore vt iustum scripturarum volumen prodiret, breui fore vt literæ Euangelicæ & Apostolicæ in manus fidelium venirent, quo facto auditu prædicatoris ad credendum voce docentis Ecclesiæ ad fidem addiscendam opus amplius non erit, quādoquidem iam in verbo suo Deum loquentem omnes agnoscere poterimus. Sed & iterum corrige Apostolum scribentem, dedit Deus Ecclesiæ suæ Apostolos, Euangelistas, prophetas, doctores, in opus ministerij, in consummationem sanctorum & quæ sequuntur: corrige inquam & dicito. Deditiam Deus Ecclesiæ suæ scripturas in quibus Deum loquentem agnoscamus: Opus ministerij de quo loqueris

Blasphē-  
ma aduēr-  
sarij res-  
ponso.  
Matt. 23.

Luc. 10.

Rom. 10.

Ephes. 4.

non est iam huiusmodi vt eo nobis opus sit. Non est enim opus vt alius me doceat hanc esse Dei vocem, voluntatem, doctrinam quam ipse agnosco, *Consummatio sanctorum, edificatio corporis Christi* de qua loqueris, & alia quæ subiungis ex sola scripturarum lectione comparantur in quibus Deum nobis loquentem sine opera docentis Ecclesiæ ipsemet agnosco. Hæc tua est Whitakere insana assertio, Regio profectò professore digna, sed in illo regno in quo insana hæresis dominatur. Sic in illo regno ab Ecclesiæ vnitatem iam dudum diuulso sapere didicisti: sic alios sapere, hoc est, desipere, furere, insanire professor eximie docuisti.

Ecclesia  
cur semper  
audienda.

1.

Suprà cap.  
2.

2.

3.

4.

Attamen vt paucis te melius sapere doceam, si doceri te pateris, etsi Deus in verbo suo loquens iam credentibus audiatur & agnoscat, tamen hoc iudicium quo fidelis Deum in scriptura loquentem agnoscit, non est nisi iudicium fidei de quo supra diximus; tamen hoc ipsum iudicium fidei non habuisset nisi per Ecclesiæ ministerium fidelis factus, nisi Ecclesiæ prius testimonio & authoritate ad fidem inductus fuisset, ab eaque has esse scripturas diuinas sicut alia fidei dogmata accepisset; tamen Ecclesiæ quoque iudicium simul cum illa sua priuata & peculiari fide agnoscere debet, vt corporis Christi (quod est) Ecclesiæ membrum fiat aut permaneat, de qua re mox plura. Denique tamen homines loquentes audire, Ecclesiæ prepositos à Christo institutos non solum non contemnere, sed tanquam perpetuos fidei suæ doctores ac magistros obedienter agnoscere debet; quia per illos Christum loquentem audit quia illorum testimonium cum sui Spiritus testimonio coniunctum esse voluit, quia denique hanc viam & rationem Christus instituit, vt horum ministerio corpus eius ædificaretur,

retur, & sancti consummarentur. Audi quid Apostolus te doceat, de omnibus Ecclesiæ Præpositis loquens: *Christum annunciamus, corripientes omnem hominem, (quoad disciplinam externam) docentes omnem hominem in omni sapientia (quoad omnem fidei doctrinam) ut exhibeamus omnem hominem perfectum, quoad totius vitæ ac morum institutionem.* Vides à perpetua Ecclesiæ disciplina, obedientia, & instructione neminem excipi. Habes cur hominem loquentem necessario audire & agnoscere debeas, quantumvis Deum in verbo suo loquentem audire valeas.

*VWhitakerus.*

Sed obijciunt, non posse nos vocem Dei 10. Sect. agnoscere, quia Deum loquentem minimè audimus.

*Stapletonus.*

Hæc obiectio (quantum recolo) nostra non est. Videamus tamen quàm dexterè eam solvas, aut quid ex ea tandem soluta inferre velis.

*VWhitakerus.*

At id falsum esse affirmo. Qui enim Spiritum Sanctum habent & sunt *θεοδιδάκτοι*, ij possunt Dei 11. Sect. vocem agnoscere, ut quis amicum, qui cum familiarissimè & diutissimè vixerit ex voce solet agnoscere. Quin & Deum etiam audire possunt. Sic enim August. epist. 3. *Deus (inquit) nos alloquitur quotidie. Loquitur ad cor uniuscuiusque nostrum.* At si non intelligimus, id fit quia non habemus Spiritum à quo mentes nostræ illuminari debent. Pendet ergo scripturæ autoritas, & nobis constat \* ex Cōclusio  
nihil ad  
rōbum. interno Spiritus sancti testimonio, sine quo si millies hoc esse Dei verbum audieris, nunquam tamen credideris, sic ut acquiescas & assentiaris.

*Stapletonus.*

Otiosa &  
imperti-  
nens Ad-  
versarij  
disputa-  
tio.

Perturbatè disputas, & nihil ad rem præsentem concludis. Ais Deum nobis loqui. Verum id est per internam suam gratiam. Addis quòd Deum loquentem non intelligimus, id eò fieri quòd Spiritum non habemus. Aptius diceres quia Dei Spiritum, nobis loquente Deo oblatum, & ad ostium cordis pulsantem, non intromittimus, quia gratiã abijcimus. Concludis mox: Pendet ergo auctoritas scripturæ & nobis constat ex interno Spiritus sancti testimonio, sine quo nunquam crederemus: hoc est, probas internum Spiritus sancti testimonium nobis esse ad fidem necessarium. Hoc verò quis vnquam Catholicus negauerit? Atqui necessarium præterea est Ecclesiæ docentis testimonium, cui cooperatur Dei Spiritus vt in præcedentibus docuimus. Nihil hoc totum ad rem præsentem attinet. Non enim repugnant hæc duò. Opus est interno Spiritus testimonio, & opus est externo Ecclesiæ testimonio: quæ adeo non repugnant, vt Deus ea semper (ordinariè loquendo) coniuncta esse voluerit. At nunc disputatur an scriptura per scripturam probari & constare nobis possit absq; Ecclesiæ approbantis testimonio.

*VWhitakerus.*

12. Sect.

Præterea quærendum est à Papistis si ne hoc verbum Dei quod habemus? Esse verò verbum Dei per se non negant: sed nobis non esse id exploratum dicunt, nisi per Ecclesiam. Vocem Dei in nostris auribus sonare \* confitentur, sed nos ei non posse credere aiunt, nisi quia eam Ecclesia approbavit. At verò si Dei verbum sit quod audimus, diuinam ex se auctoritatẽ habeat necesse est, eique per se & propter se credendum est.

\* Mendacium.

*Staple-*

*Stapletonus.*

Quando de verbo Dei hic disputas, de verbo scripto disputas, id est, de scripturis, de quarum approbatione nunc agitur. Tu hoc verbum scriptum vocem Dei esse, & in nostris auribus sonare nos ipsos confiteri ais: sed verū id nō est. Nos vocem Dei sonantem in auribus non nisi vocem docentis Ecclesiæ esse confitemur. Verbum à voce distinguimus. Verbum Dei est quod dicitur, seu scriptum, seu non scriptum. Vox Dei est, quæ dicit & loquitur hoc ipsū verbum, siue intus in mentem inspirando (& illa est vox Dei interna, de qua David dixit, *Audiam quid loquatur de me Dominus*) Psal. 84. siue foris in auribus sonando, & hæc est solius Ecclesiæ vox, quam solam forinsecus audiri iubet. Iam tu de verbo Dei prosequeris quod audimus, non distinguendo quomodo audimus, an intus loquens an foris sonans, atque ita totam tuam disputationem ambiguitate & tenebris inuoluis. Verbum Dei quomodo & quale audimus.  
*Si verbum Dei (inquis) sit quod audimus, diuinam ex se auctoritatem habeat necesse est.* Respondeo verum hoc esse, si verbum Dei sit quod audimus. Sed vel audimus sola mente intus loquentem Deum, & hoc nihil aliud est quàm eius diuini Spiritus motio & inspiratio, quæ mentem illuminat, vt idem verbū nobis per Ecclesiam prædicatum cum voluntate credendi audiamus; vel audimus etiam foris in auribus sonans hoc verbum. Hoc autem non sonat in auribus, non auditur forinsecus, nisi per Ecclesiæ ministerium. Non auditur inquam sic vt cum auctoritate audiatur, & ad credendum obliget, nisi Ecclesia prædicante & docente: quæ sola, docendi & prædicandi auctoritatem à Christo accepit. *Quomodo enim predicabunt nisi mittantur?* Rom. 10.  
 Iam verbum Dei intus & foris simul auditum,

quia fides ex auditu est, verbum Dei esse certò cognoscitur: & sic demum diuinam ex se auctoritatem habeat necesse est: eique verbo sic audito per se & propter se credendum est. Sic enim Deo creditur, & ei quem misit Deus. *VWhitakerus.*

13. Sect.

\* Errâter Ecclesiam loquentē à Deo qui per illam loquitur, seiungit.

Nam aliàs plus Ecclesiæ quàm Deo tribuemus, si ei \* non nisi propter Ecclesiam credamus, & Deus iam nobis Ecclesia erit. Deus in Prophetis & per Prophetas loquitur. Vnde apud eos sæpè occurrit. *Verbum Iehoua & sic dicit Dominus.* Iam hi me docent nullo modo credendum esse Deum loqui, & hoc esse verbum Iehouæ nisi Ecclesia id ipsum confirmauerit. In quo quis non videt

\* Error alius Doctōris indocti.

\* plus fidei atque auctoritatis Ecclesiæ, id est, hominibus quàm Deo tribui: quod omnino secus oportuit. Nam Deo præcipuè credendum est, quia Deus est prima & summa veritas. Ecclesia vero non est huiusmodi. Si ergo Deus me alloquatur, & dicat eius verbum esse, mihi in eius auctoritate acquiescendum est.

*Stapletonus.*

Duplex aduersarij error.

Totus disputationis tuæ processus ex duplici capite falsus & erroneus est. Primū ex eo quod supponis Deū nos alloqui & quæ fidei sunt nos docere absq; Ecclesiæ ministerio. Secundò ex eo quod Ecclesiam docentē seiungis à Deo, quasi sine Deo doceret, & Ecclesiā vt homines Deo cōtraponis.

*Plus (inquis) Ecclesiæ quàm Deo tribueremus si ei non nisi propter Ecclesiam credamus, & Deus iam nobis Ecclesia erit.*

Hic ergo iterū docēdus es, cum Deus per se & sua sola inspiratione hominem alloquitur, quicquid

Allocutio Dei peculiaris non generat fidem Catholicam.

sic loquendo docet & reuelat, id homo credit & apprehendit, non vt fidem Catholicam, quam sic credere oportet vnumquemque, vt pro ea asserenda mori vellet, & quæ hominem iustificat, estque funda-

fundamentum totius salutis, sed ut aliquid sibi particulariter reuelatum, & per lumen particulare inditum à Deo per modum impressionis transeuntis (non per illud lumen fidei, quod per modum habitus iustificandis infunditur, quo fit ut potentiam & inclinationem habeant ad ea omnia credenda, quæ de fide credi debent) quales erant tum veterum Prophetarum, tum multorum in Ecclesia Christi spiritualium virorum reuelationes priuatæ. Nam istæ tales reuelationes ad fidem Catholicam non pertinent. Neq; enim quod huic vel illi reuelatur, ab omnibus credi necesse est, Fides autem Catholica, fides iustificans, fides pro qua defendenda sanguinem fundere oportet, est fides omnium fidelium, & toti Ecclesiæ nota. Itaque tales reuelationes circa ea quæ fidei sunt & ab omnibus credi debent, in particulari & immediatè à Deo fieri credendum non est: tam quia periculosum est ab huiusmodi reuelationibus in particulari fidem accipere, ne quilibet singulariter aliquid sapere volens, sibi hoc à Deo reuelatum prætexat; tum maximè quia Deus iam ordinauit fidem publicam à publica Ecclesiæ voce audiri, doceri, accipi. Ponam tibi VWhitakere exemplum huius rei familiare. Vos Calvinistæ affirmatis vnumquemque vestrum de sua salute certitudine fidei certum esse, eo quòd Spiritus sanctus ob signauit corda singulorum, suoque testimonio confirmauit, quòd estis filij Dei. Si sic tibi Deus Whitakere loquitur, si tibi per Spiritum suum certificat quòd tu sis filius Dei per electionem, &c. an ego hoc credere teneor? An de fide Catholica est, quòd tu VWhitakere es filius Dei? Non sic te arbitrator insanire. At omnes particulares Dei ad cor locutiones & reuelationes non magis sunt de fide, nõ magis ad fidem Catholicam pertinent, quàm illa vestra

Exemplū familiare.

quam vobis stultissime & perniciosissime ipsi persuadetis, de salute & iustitia coram Deo cuiusque vestrum certitudo de fide est, aut ad fidem Catholicam pertinet. In hac igitur nostra questione de scripturarum approbatione & certitudine (quæ res fidei est & ab omnibus credenda) illa tua particularis Dei allocutio quam ponis locum non habet, sed prorsus impertinens est: & ita primus tuus error apparet, quo supponis Deum nos alloqui & docere ea quæ sunt fidei absque Ecclesie ministerio.

Quo constituto, tibi respondemus particulares illas Dei allocutiones & revelationes in materia fidei, si quæ tales sunt, per se authoritatem non habere, neque illis per se & propter se ex fide Catholica credi. Quod quum fit, non plus Ecclesie quam Deo tribuitur, sed natura & conditio fidei Catholicæ servatur, quæ talis est, ut ab omnibus illam credi oporteat: Hæc autem conditio servari non potest, nisi Ecclesie testimonium accedat, per quod testimonium voluit, instituit & ordinavit per Christum Deus, ut ea quæ fidei sunt nobis innotescerent. Quod enim publice & ab omnibus credi debet, non nisi per authoritatem publicam constare potest. Talem Deus in Ecclesie magistris posuit. Nulli igitur revelationi privatae in materia fidei credimus, nisi accedente Ecclesie testimonio, quia non nisi per illam ea quæ fidei sunt nobis constare Deus

Cur fides  
Catholica  
non sit  
absq; vo-  
ce Eccle-  
siae.

Propheta-  
rum vox  
erat vox  
Dei non  
hominum.

7. Reg. 8.

voluit. Sic per Prophetas olim (quod tu contra te ipsum producis) Deus locutus est; quorum vox, quia de eorum missione per aliquod signum extraordinarium constabat, erat iam vox Dei non hominum simpliciter, & publica attestatio, non interna tantum & privata Dei allocutio. Samuelem Prophetam quum non audiret rebellis populus, dixit illi Deus. *Non te spreverunt, sed me.* Hic Samuel utique

utique homo auditus fuit, non plus quam Deus; sed in illo & per illum Deus audiebarur.

Hic tu dicis docere nos nullo modo credendum esse Deum loqui nisi Ecclesia id confirmet. Sanè ipsis Prophetis emedio iam sublati, qui pro suo tempore vices Dei gerebant, eorum prophetias scripto relictas à Deo esse (vt de fide credantur à Deo esse) credendum non est nisi Ecclesia id confirmet. Omnia enim quæ fide Catholica credenda sunt, non nisi per Catholicæ Ecclesiæ ministerium, vocem & testimonium constant. *At hic (inquis) quis non videt plus fidei atque authoritatis Ecclesiæ, id est, hominibus, quam Deo tribui?* In his verbis secundus tuus error elucet, quo Ecclesiam vt simpliciter homines consideras, & non vt homines Spiritu sancto inspiratos & actos. Sicut Prophetæ veteres suo tempore non pro libidine suas prophetias attulerunt, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt, vt sancti Dei homines, sic Ecclesiarum pastores & doctores à Christo dati in opus ministerij, & ad edificationem corporis Christi, & ad consummationem sanctorum, non pro libidine aut voluntate humana, sed à Spiritu sancto inspirati, hoc opus ministerij exercent, corpus Christi ædificant, sanctos consummāt, id est, fideles confirmant. Quando ergo Dei vocem cum Ecclesiæ testimonio coniungimus, non homines Deo anteponimus, sed Deum sibi ipsi parem atque conformem esse, & à se ipso nunquam variare ostendimus; qui per Ecclesiam loquens non aliter loquitur, quam si immediatè per visiones, aut somnia, aut quouis alio supernaturali reuelandi modo, nobis loqueretur. Iniuriam Christo & Spiritui sancto facis, qui Ecclesiam à Christo in mundum missam, sicut ipse à patre missus fuerat docere omnes gentes iussam, sicut ipse Iudæos docuerat, à nobis audiendam tanquam Christum ipsum, Spiritu sancto quoque do-

Nihil credendum ex fide Catholica, nisi per Ecclesiæ Catholicæ testimonium.

Ecclesiarum magistri non sunt considerandi vt homines simpliciter.

2. Pet. 1.

Ephes. 4.

Ioan. 17.

Matt. 28.

Ioan. 17. *nata[m] qui eam inducat in omnem veritatem, deni-*  
*que ita modis omnibus deo didicitor à Deo instructam,*  
 1. Tim. 3. *vt columna sit & firmamentum veritatis, sal terra, lux*  
 Math. 5. *mundi, testes Afrisimi, legatione fungentes pro Christo, te-*  
 A. G. 1. *stimonium perhibentes de Christo pariter cum Spiritu san-*  
 1. Cor. 4. *cto positam à Spiritu S. vt regeret Ecclesiam sanguine Chri-*  
 Ioan. 15. *sti acquisitam, denique datam à Christo vt corpus eius*  
 A. G. 20. *quod est Ecclesia & tota fidelium multitudo, adifi-*  
 Ephel. 4. *caret, & c. ralem inquam Ecclesiam homines vocas, &*  
*à Deo seiungis, atque diuellis, quasi authoritas illi*  
*concessa Deo subtraheretur: quum id demum Deo*  
*maximè tribuatur, quod eius Ecclesiæ sic ab eo in*  
*summa authoritate constitutæ tribuitur: sicuti sanè*  
*maximus Regi honor tribuitur, quum eius legato*  
*perinde ac Regi, & in gratiam atque honorem Re-*  
*gis honor defertur. Ecclesia quidem non est sum-*  
*ma veritas, sed summa veritas per Ecclesiam loqui-*  
*tur, vt propterea non mentitus fuerit Apostolus,*  
*quum diceret: Ecclesiam columnam & firmamentum*  
*esse veritatis. Legatus certè Regis non est ipse Rex, sed*  
*per legatum Rex loquitur, & qui legatum audit,*  
*honorat, fide dignū iudicat, is ipsum Regem audit,*  
*honorat, fide dignum iudicat. Non ille plus tribuit*  
*legato quàm Regi, nec legatus illi ipse iam Rex*  
*est, sed in legato Regem agnoscit & reueretur. Sic*  
*nos Catholici non plus tribuimus Ecclesiæ quàm*  
*Deo, nec Deus nobis Ecclesia est, sed in Ecclesia*  
*Deum agnoscimus & reueremur: multis & varijs*  
*scripturis ita nos docentibus, & hoc nobis voce cla-*  
*rissima attestantibus. Denique sicut de scriptura*  
*paulò post dicis (cap. 13. sect. 1.) Scriptura authorita-*  
*tem hoc non imminuere, quod in ea Deus per Prophetas lo-*  
*quutus fuerit, eodem modo intelligere & aduertere*  
*debes, Ecclesiæ authoritatem ex hoc non imminui,*  
*quod per eam Deus loquatur, nec sit ipsamet Deus:*  
 sed

Ecclesia  
 non est  
 summa  
 veritas,  
 sed veri-  
 tatis co-  
 lumna.

sed hoc imprimis nomine maximam illi auctoritatem meritò tribui, quod per eam Deus loquatur.

*Si ergo (quod postremo concludis,) Deus me alloqueretur, & diceret eius verbum esse, mihi sane in eius auctoritate acquiescendum esset; modo cōstaret Deū mihi loqui signo aliquo perspicuo & euidenti: in quo vt falli facillimum est, innumerique decepti sunt, à demone illusi quum Deum sibi loqui existimarēt, ita nō est hoc temerè existimādum. Sed ea quæ fidei sunt & quæ ab omnibus credi oportet deum mihi immediatè reuelate, meque singulari suo alloquio docere credendum non est, nisi forte necessitatis tempore vbi inter hostes fidei Ecclesiæ vox audiri non potest, & mihi in aliqua causâ præsentis, ope & auxilio luminis supernaturalis præsentis opus est. Quo tamen casu nec Ecclesiæ vocem contemnere debeo & eam quum haberi potest audire me oportet. Non secus sanè quàm (vt scribit Augustinus) Inuisibilis sanctificatio quibusdam affuit & profuit sine visibilibus sacramentis, & tamen visibile sacramentum contemnendum non est, quia contemptor eius sanctificari inuisibiliter nullo modo potest. Sic contemptor vocis Ecclesiasticæ veram fidem nullo modo habere potest. Media credendi à Deo ordinata nec contemni debent, & reuerenter assumi oportet.*

In leuit.  
9. 84.

QVOMODO SCRIP-  
TURÆ MUTVVM SIBI TE-  
STIMONIVM PERHIBENT.

CAPVT. X.

*VWhitakerus.*

1. Sect.

**H**ACTENVS ostendimus diuinam esse in scri-  
pturis auctoritatem quod etiam postea lucu-  
lētius faciemus: ac proinde illis per se ac propter se  
credendum esse. Iam restat vt ostendamus scripturas  
ipsas mutuo sese testimonio fulcire & confirma-  
re: quod quidem facile probari potest.

*Stapletonus.*

Quæ hæcenus ostendisti, quàm nihil tuam cau-  
sam inuerint, ex his quæ respondimus manifestum  
est. Quæ postea proferes suo loco examinabimus.  
Nunc quid afferas videamus vt scripturas mutuo  
sese testimonio fulcire doceas.

*VWhitakerus.*

2. Sect.

Nihil ad  
rhombū.

Vetus enim testamentum ex se, & ex nouo. No-  
uum itidem & ex se & ex veteri confirmatur: adeo  
vt quemadmodum certum est Deum esse, etsi Ec-  
clesia nõ dixerit, ita certum est scripturam esse Dei  
verbum, etsi Ecclesia tacuerit.

*Stapletonus.*

Si nihil amplius probas, contra nos nihil probas.  
Iam enim à principio disertissimè diximus, scriptu-  
ras esse verbū Dei etsi Ecclesia taceat, & eas adhuc  
pro huiusmodi non declarauerit: sed nobis non esse,  
nobis hoc constare non posse nisi per Ecclesiæ testi-  
monium. Sic tota hæc tua disputatio nihil ad rhō-  
bum.

*VWhi-*

*VWhitakerus.*

Sed ipsi forsan ne Deum esse crederent nisi propter Ecclesiam. 3. Sect.

*Stapletonus.*

Si hoc tibi absurdum videtur, obiurga Paulum dicentem. *Quomodo credent Deo quem non audierunt? Quomodo audient sine predicante?* Deum esse cognoscipoteest per ipsas eius creaturas, totiusque mundi opificium, & gubernationem: quæ est scientia a posteriori. Sed Deum esse credi non potest vt articulus fidei, nisi à Deo reuelatus per Ecclesiam, sicut cætera quæ creduntur, quæ reuelatio idiotis & simplicibus necessaria fuit qui propter Ecclesiæ testimonium ea credunt quæ credūt. Sed tu in Christiana religione & tota re theologica prorsus idiota es, qui hoc miraris. Non credimus Deo nisi propter Ecclesiã. Rom. 10.

*VWhitakerus.*

Vetus testamētum ex nouo probari constat. (Et post probationes allatas cōcludis.) Ita manifestum est ex nouo testamento veteris confirmationem peti posse. Hac de re plura vide apud Augustinum in lib. contra aduersarium legis & prophetarum & contra faustum Manichæum. 4. Sect.

*Stapletonus.*

Contra quem disputas VWhitakere? aut quid probare contendis quod tibi non est negatum? Imo qua frōte disputator absurde contra me illud disputando probas, quod disertissimis verbis ipsemet asserui? Adhuc quæ est hæc tua impudentia, meæ assertionis contra quam disputas partem rescare, & postea illam ipsam partem cum eius probatione à me ipso posita contra me allegare? Iam in principio præcedentis Capituli lectorem monui, à me nõ negari quin aliqua pars scripturæ per aliam partem possit probari, meaque verba à te illo loco præter. Absurditas varia cum Impudentia coniuncta. Supra cap. 9. ad sect.

prætermiffa ego ibidem recensui ; quæ & nunc iterum recensenda sunt vt totam hanc disputationem tuam solú non superuacaneâ esse ( cuius propterea probationes omitto ) sed etiam aduersarij tui quem impugnas propriam assertionem esse Lector intelligat. Sic eo loco dixeram . *Quamuis dubitans de vna parte Scriptura prius scripta & tradita possit fortasse ex alijs partibus posterius scriptis quas admittit , conuinci ( sicuti qui negaret legem & prophetas sed nouum testamentum reciperet , conuinci posset ex nouo Testamento legem à Deo profectam esse & prophetas diuinos fuisse : quod facit diligenter & copiose Augustinus in libris contra Faustum & contra aduersarium legis & prophetarum ) tamen nec in ijs quæ posterius scriptæ sunt, idem præstari potest , nec in tota scriptura.* Hæc fuit mea assertio hoc ipso in loco & capite quod nunc impugnas . Hanc meam assertionem tu prius refecisti . Eandem tu nunc quasi à me negatam contra me confirmas & ex illo doctore eoque loco quem ego allegaui confirmas , nec alium vnú doctorem pro hac sententia producis . Quæ est impudentia, quid est ineptire, & ridiculum sophistam agere, si hoc non est ?

*VWhitakerus.*

*s. Selt.*

*Nihil ad  
abombu.*

Iam libros noui Testamenti ex vetere testamento similiter confirmari satis constat . Veritas enim noui testamenti est veteris Testamenti figuris adumbrata , & quæcunque in veteri Testamento prædicta fuerant, ea esse in nouo perfecta legimus : quæ ibi obscure hic aperte dicuntur : ergo si vnum verum sit , alterum quoque verum esse necesse est . Moses de Messia scripsit , sic & prophetae . Moses deut. 18. 18. Prophetam sibi similem futurum esse prædixit, cui qui non ascolaret, ei exitium & interitus denunciatur , Hoc de propheta vaticinium impletum esse docet Petrus. Act. 3. & Stephanus Act. 7.

**Act. 7.** Moses ergo Christum suo testimonio communiuit.

*Stapletonus.*

Hæc quidem quæ dicis vera sunt. Sed hæc quæ dicis intentū tuum contra me non probant. Omnis enim ista probatio ex veteri testamento desumpta, vt probetur nouum, nō nisi apud fidelē valet qui iam ipsi nouo Testamento credit. Sed quæstio est an negāti aliquam scripturæ partem posterius scriptam, possit probari ex alia parte prius scripta hanc esse scripturam. Hoc negamus fieri posse via credendi ordinaria, nisi ab Ecclesia quis discat hanc partem posterius scriptam æquē esse verbum Dei quā est altera pars prius scripta. Deinde confirmari potest noui testamenti scriptura per veteris, & vna pars scripturæ per alteram etiam prius scriptā quoad sentētiarum eius sensum vt dum probatur sensus vnius sententiæ per alteram sed non quod sit scriptura sacra. Iudæi locum illum Moyſis à te citatum, aliaque prophetarum testimonia de Christo credunt & agnoscunt; sed tamen in Iesu Marię filio illa esse impleta, & hunc esse illum Prophetam de quo Moyſes locutus est, idcirco plerique negant quia oculos fidei adhuc non habent: & vt Apostolus loquitur, *vsque ad hodiernum diem quum legitur Moyses velamen positum est super cor eorum. Cum autem conuersus fuerit Iudæus ad Dominum, auferetur velamen.* Hæc autem conuersio fieri debet per prædicationē Ecclesiæ, vt facti demum Christiani, sic intelligant & credant nouum testamentum ex veteri confirmari. S. Augustinus quum adhuc Manichæa hæresi in primo iuuentæ flore teneretur, à veteri testamento iuxta hæresim Manichæā totus abhorruit vt ipsemet de seipso scribit, etsi nouum testamentum cum Catholicis amplecteretur. Cæterum ab hæresi

Nihil ad  
propositū  
concludit  
Aduersarius.

2. Cor. 6.

Lib. de  
vtil. credi  
cap. 1.

Confess  
lib. 7. cap.  
32.

res Manichæa alienatus & amator Catholicæ fidei effectus, legens epistolas Pauli *omnem eius textū cum testimonijs legis & prophetarum congruere vidit?* Hoc est discrimen fidei & infidelitatis. Sed fides incipit ab Ecclesia matre omnium credentium. Sine hac fide nulla scripturæ pars per alteram probari potest. Cæterum si nostram assertionem impugnare vis, si Ecclesiæ necessitatem circa approbationem scripturarum tollere cupis (quod hic te agere profitearis) probandum tibi est, neganti vel nescienti nouū testamentum probari id posse ex veteri testamento. Videamus cætera.

*Whitakerus.*

6. Sect.

Paulinas epistolas Petrus sua authoritate confirmat. 2. epist. 3. & *Scripturas* disertè vocat. *Indocti* (inquit) *detorquent vt reliquas Scripturas.*

Argumē-  
tum stramineum.

*Stapletonus.*

Quam ficulnea vel straminea potius facis argumenta: quum talia tamen & tanta proferre contendas, vt propter ea Ecclesiæ authoritas minimè sit necessaria? Quæro enim à te quam D. Pauli epistolam hæc Petri verba confirmant: omnes ne, an aliquam vnã tantum, aut quasdam ex omnibus? Si omnes, quæ sunt illæ omnes? Nullam enim nominat. Et sane de omnibus eius epistolis loquitur. Sed quum nullam nominet vnde constabit nõ credenti has esse Pauli epistolas (de huiusmodi enim currit disputatio) has quas habemus illas esse de quibus loquitur? Id solum hic Petri locus probat, aliquas epistolas Pauli scripsisse, & in illis quædam esse difficilia. Sed an ad Romanos, ad Corinthios, &c. Paulus scripserit hic locus nõ probat. Si cuiuspiam epistolæ Paulinæ verba aut sententiã Petrus allegasset, iam ex hoc testimonio Petri illa scripturæ pars probata fuisset. Sed nec hoc contra nos aliquid

quid faceret qui fatemur ex ijs quæ posterius scripta sunt & creduntur posse probari partem prius scriptam (qualis est hæc Pet. epist. respectu Paulinarum, quarum hæc meminit) nec tamē adhuc efficax esset tuæ intentionis probatio. Iam enim quæri potest unde constat tibi hanc esse Petri epistolam cuius tu testimonium tanquā S. Scripturā profers? An aliā posteriorē scripturā habes qua hanc probes? Id si habes, tūc de postrema scripturæ parte quæcunq; illa sit quæram, quomodo eam ex scriptura probabis, quum iam nulla posterior sit? An non vides hoc probationis genus deficere, & ad Ecclesiæ testimonium necessariò nos debere confugere? Sed magis adhuc ridiculæ probationes sunt quæ sequuntur.

*VWhitakerus.*

Paulus suas ipsius epistolas & nomine & iudicio suo comprobat. Ergo mutuo testimonio cōfirmant sese & consignant vetus & nouum Testamentum. 7. Sect. Argumētum ridiculum.

*Stapletonus.*

Futilissime disputator quàm pueriliter & minus quàm triualiter disputas? Paulus suas epistolas suo nomine & iudicio cōprobat. Quid hoc est nisi quia suum nomen suis epistolis apposuit. Nam de iudicio quod dicis interpretaberis quum voles quid in eo intelligas. Atqui nonne omnes apocryphæ literæ Apostolorum tempore confictæ, Apostolorum nomina prætulerunt? An ideo Apostolicas se esse comprobarunt? O ridiculum caput non tam pileo doctorali quàm morionis capucio dignum.

*VWhitakerus.*

In alijs quidem causis \*non valet hæc mutua cōfirmatio; sed in hac plurimū valere debet, quia nemo est tam idoneus testis, de Deo eiusque verbo, 8. Sect. \*Absurdū Ineptum

N

quàm

quàm Deus ipse in suo verbo. Si ergo vllam fidem veteri testamento tribuamus, eadem etiam nouo tribuenda est, si nouo credimus veteri etiam credendum est. Papistæ verò e contra neutri testamento ex se fidem adhiberi volūt, sed vtrique propter Ecclesię authoritatem credi: quod quidem falsum esse ex his quæ dicta sunt, satis abundè constat.

*Stapletonus.*

Non solum in scripturis sed in quibuscunque fidei dogmatibus reperitur, vt mutuò sese confirment & iuuent. Imo est omnium dogmatum veritatis tanta inter se connexio, vt qui vnum neget necessariò ad alia perneganda dilabatur, iuxta illud Aristotelis in omnibus scholis tritissimum.

Omnia dogmata mutuò se consequuntur & probant.

*Vno absurdo dato cetera accidunt.* Quod totum hic professor Regius, magnus scilicet theologus adeò ignorat, vt neget nisi in solis scripturis hanc mutuam confirmationem valere. At enim probat acutè quod affirmavit. *Nemo enim (inquit) tam idoneus testis est de Deo eiusque verbo quàm Deus ipse in suo verbo.* O acutè ingenij quouis malleo obtusius. Omnia fidei dogmata (doctores eximie) an nõ à Deo prodierunt? An non à Deo reuelata sunt? An non Deum auctoritatem habent? An non veritates supernaturales sunt æquè atque ipsa scriptura? Ipsa quoque scriptura an aliter quàm ratione dogmatum diuinorum quę continet, Deum auctorem habet & à Deo est? Cur igitur in ipsis fidei dogmatibus hæc mutua confirmatio esse non potest, æquè atque in scriptura? Consequenter cur ipsam scripturam Ecclesia non æquè commendabit, approbabit, nobisque confirmabit, atque alia dogmata in scripturis disertè non comprehendens, sed vel ex eis deducta vel extra scripturas tradita? Si aliorum dogmatum idonea testis Ecclesia esse potest, quidni & ipsarum scripturarum?

Omnia fidei dogmata à Deo sunt, & tamen ab Ecclesia doceri debent.

Si in

Si in scripturis approbandis testis idoneus nisi Deus est, cur & in alijs quoque omnibus dogmatibus solus Deus idoneus testis non erit: atque ita Ecclesiæ testimonium prorsus & in omnibus excludes?

Deinde nec hoc aduertis professor subtilis, quando Ecclesia testificatur de scripturis & eas nobis probat, Deum ipsum testificari, Deum illas probare, quia Deus per Ecclesiam loquitur, vt sæpe probatum est, vnumq; sit testimonium (non duo) *Deus per Ecclesiam loquens.*

Deus per Ecclesiam loquens, vnum est testimonium.

At Papistæ, inquis, *neutri Testamento ex se fidem adhiberi volunt, sed vtrique propter Ecclesiæ testimonium.* Sanè Papistæ filij Ecclesiæ sunt, per Ecclesiã se in Christo natos esse profitentur, quales illi erant, quibus Paulus vnus ex Ecclesiæ magistris scripsit. *Per Euangelium ego vos genui.* Per Euangelij prædicationem Ecclesia nos Christo genuit. Nos quicquid de Deo, de Christo, de tota fide credimus, propter prædicationem Ecclesiæ quasi inter externa media primum, certissimum, summæq; & authoritatis & firmitatis, & ex singulari dono Dei, qui per fidem infusam fecit nos dociles Ecclesiæ filios credimus: & per hoc (immense Dei beneficio) Catholici sumus; id est, omnia credimus, quæ credit Ecclesia sponsa Christi. Vos omnes qui Ecclesiæ testimonium respuitis, & sola interna Spiritus persuasionem edoctos vos esse existimatis, prorsus hæretici estis, & à corpore Christi, quod est Ecclesia, alieni, nec Deum patrem habere potestis, qui Ecclesiam matrem habere recusatis. Quæ omnia ex his quæ dicta sunt plenissimè constare possunt.

I. Cor. 4.

Omnia credimus per Ecclesiam.

SCRIPTURAS NON  
EX SE IPSIS PROBARI, ET  
ECCLESIAE TESTIMONIUM  
esse necessarium plenius comprobatur.

## CAP. XI.

*Whitakerus.*

1. Sect.

**S**ED instabit adhuc humana *curiositas*, posse hoc quidem de quibusdam libris concedi, de singulis autem veteris nouique Testamenti libris nequaquam affirmari posse, quia libros Hesteræ, Neemię, Esdræ nusquam noui Testamenti authoritate confirmatos legimus. Multi etiam noui Testamenti libri sunt qui non possunt ex veteri confirmari, Deinde si vnus aliquis liber esset noui Testamenti, in quo omnes veteris Testamenti libri sigillatim recitarentur, opus tamen esset (inquierit Papistæ) Ecclesię veteris authoritate, quia esse possunt aliqui qui nullius libri authoritatem agnoscant, & quomodo, inquierit, his persuadebimus scripturam hanc diuinam esse? Respondeo primo, huiusmodi hominibus si omnes sacros libros contemnunt, \* Ecclesia etiam ipsa nihil persuadere potest. Qui enim scripturę authoritatem nihili æstimant, apud hos Ecclesię authoritas parum valebit.

\* Consequencia infirma.

*Stapletonus.*

Hic certamen redintegras & noua disputatione rem adhuc magis vrges & premis: nouosq; tibi accersis aduersarios, quia ego tibi vnus non sufficio. Laudo industriam tuam, sed doleo infelicitatem tuam, qui in tam mala causa horas tam bonas collocasti. Argumentum tibi nescio vnde vel confinxeris vel desumpseris. Sed respondes ijs qui omnes  
sacros

saeros libros contemnunt, nec Ecclesiam ipsam persuadere posse: qui enim scripturas parui facit, Ecclesiam haud magno loco habebit. Non est ita firma tua responsio. Quum enim Ecclesia sit medium à Deo ordinatum inducendi homines ad fidem (vt ostensum est) & per hoc medium Deus operari soleat, imò idcirco ordinauerit, vt per illud operaretur in cordibus hominum, vt suprâ declaratum est, multò est probabiliùs per Ecclesiam ad scripturarum venerationem induci posse, quàm per ipsam scripturarum lectionem.

*Ecclesiæ  
authoritas  
valere  
potest, vbi  
scriptura  
nò agno-  
scitur.*

*VWhitakerus.*

Secundò si qui pij adhuc de scripturis dubitant, possunt ex ipsis libris certiora testimonia colligere, quæ eos Canonicos esse euincant, \* quàm ex vlla Ecclesiæ authoritate. Non loquor iam de interno Spiritus testimonio, sed de externis quibusdam testimonijs, quibus scripturas ipsas esse diuinas intelligamus, quæ quidem à Caluino ferè Instit. lib. 1, cap. 8. commemorantur.

*\* Christi  
sapientiã  
redarguit.*

*Stapletonus.*

Hæc responsio adhuc deterior est, & Christi sapientiam redarguit, qui ad Ecclesiæ magisterium nos misit, ad omnem fidem ediscendam, vt in præcedentibus ostensum est. Nunc enim alia externa media à Caluino inuenta sunt, quæ melius docent has esse scripturas Canonicas quàm ex vlla Ecclesiæ authoritate doceri possit, id est, inuenit Caluinus viam & rationem multò certiozem, quam eam quæ à Christo instituta & ordinata fuit. Illa autem Caluini media in compendio hæc sunt. 1. Doctrinæ maiestas quæ vbiq; elucet. 2. Orationis simplicitas, puritas, diuinitas. 3. Librorum ipsorum antiquitas. 4. Oracula & prædictiones, quæ multis post seculis euenerunt. 5. Miracula in illis

*Hæretica  
impietas  
Christi sa-  
pientiã re-  
darguit.*

recitata. 6. Hostium persecutio, qui eos è medio tollere non potuerunt. 7. Martyrum testimonia. 8. Scriptores ipsi homines rudes, indocti, simplices, antequam ad hoc scribendi munus vocarentur. Nunc ex his octo medijs quid concludis, videamus.

*VWhitakerus.*

3. Sect.

Ista euincere possunt hos libros diuinos esse, non tamen nobis persuadere possunt, nisi Spiritus sancti testimonium accedat. Hoc solùm persuadere potest.

*Stapletonus.*

Nihil igitur hæc tota disputatio contra nos facit. Illud enim medium quæritur, quo possit persuaderi ei qui hoc negaret hæc esse scripturas. Ista persuadere non possunt, vt fateris. Ista ergo nihil ad rem faciunt. Sed mox subiungis, nec Ecclesiam posse persuadere absque Spiritus sancti testimonio. Ais enim:

*VWhitakerus.*

4. Sect.

\*Aburdū  
& impiū  
cōtra Or-  
dinem à  
Christo  
constitu-  
tum.

Quòd si priora ista argumenta persuadere non possunt, \* quantò minùs Ecclesiæ authoritas, etsi millies affirmauerit? Ecclesiæ quidem authoritas & eius perpetuum iudicium efficere fortasse potest, vt in externa aliqua obedientia homines teneantur, vt externum consensum adhibeant, vtq; in externa vnitate perseuerent. At vt his oraculis assentiantur, tanquam diuinis, Ecclesia nullo modo per se persuadere poterit: vt ergo conscientijs nostris intus de scripturæ authoritate persuadeatur, accedat Spiritus sancti testimonium necesse est. Is verò vt omnia fidei dogmata, omnemq; salutis doctrinam in cordibus nostris obsignat, & in conscientijs nostris confirmat, ita etiam libros istos ex quibus omnia fidei ac salutis dogmata hauriuntur, sacros ac Canonicos esse certò nobis persuadet.

*Staple-*

*Stapletonus.*

Toto cœlo erras, & Dei prouidentiam ac sapientiam in fide hominum animis ingeneranda ignoras. Nulla quidem vel de Scriptura, vel de quocūq; fidei dogmate fides haberi potest, sine interna Spiritus sancti gratia & fidei dono, vt in principio nos in hoc opere accuratè docuisse ostendimus. Rom. 10. Sed non aduertis Whitakere, hoc fidei donum Deum per Ecclesiæ prædicationem ei sese inferendo conferre. *Fides* (ait Apostolus) *est ex auditu.* Fides haud dubiè à Deo principaliter est. Sed ex auditu eam esse Apostolus dicit, quia audientibus Dei verbum ex ore prædicantis legitimè missi, Deus per Spiritū suum cooperatur. Sic in prima concione Petri ad Iudæos. *His auditis compuncti sunt corde & dixerunt, Quid faciemus viri fratres?* Nempe interim dum audiebant vocem externam prædicatoris, Deus internè mouebat corda. Sic ad prædicationem eiusdem Petri tam multa millia conuersa sunt ad Christum. Sic Paulo prædicante *mouit Deus cor Lydia, vt intenderet ijs quæ à Paulo dicebantur.* Act. 2. Sic eodem concionari ipsemet Proconsul Romanus Felix homo ethnicus *tremefactus & commotus fuit.* Agrippa verò qui iam Prophetis crediderat, magis ad fidem excitatus, ita vt diceret. *In modico suades me Christianum fieri.* Denique quotquot ab Apostolis conuersi sunt, per prædicationem externam cui Deus cooperabatur, ad fidem conuersi sunt. *Placuit enim Deo per stultitiam prædicationis, id est, per simplicem & apertam verbi sui prædicationem à legitimis Ecclesiæ ministris factā, saluos facere credentes: id est, eos qui Euangelio obediebant.* Vnde & ad Romanos scribit. *Scripti vobis fratres ex parte tanquam in memoriam vos reducens* (docens se non integram doctrinam sed per modum cōmonitorij quædam doctrinæ capita Act. 16. Act. 26. 1. Cor. 1.

suggessisse) *propter gratiam qua data est mihi à Deo, vt sim minister Iesu Christi in gentibus* (id est vt per meum ministerium gentes conuertatur ad Christum) *sanctificans Euangelium Dei*, id est, sacrum quoddam ministerium prædicando Euangelium exercens, non humanum & politicum aut ciuile, vt fiat oblatio gentium accepta, hoc est ab effectu sacrum, quia per illud fides & conuersio gentium facta est Deo sacrificiũ acceptum, *sanctificata in spiritu sancto*: quia videlicet per Spiritum sanctum in cordibus audientium operantem, illa gentium conuersio sanctificata & Deo grata fuit. *Habeo igitur gloriam* (seu de quo gloriari possim) *in Christo Iesu ad Deum*. Non enim audeo aliquid loqui eorum, qua per me non effecit Christus in obedientiam gentium: id est, de aliquo alio gloriari non possum, nisi de ijs quæ per meam prædicationem Christus operatus est, vt gentes obedirent prædicationi meæ: quæ videlicet facta est *verbo & factis in virtute signorum & prodigiorum* (id est, vt Marcus de generali prædicatione dixit, *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*) *in virtute Spiritus sancti*, intus videlicet operantis conuersionem auditorum. Nam de virtute miraculorum prius dixerat. Paulus hoc loco prædicationis suæ efficaciam magnificè prædicans, ostendit internam Spiritus sancti operationem cum externa sua prædicatione perpetuò adfuisse.

Quid verò? An in sola Apostolica prædicatione hoc fieri putabimus? Aut in perpetuo Ecclesiæ ministerio idem non fieri existimabimus? Audiamus ergo quid alio loco non iam de sua sola prædicatione, sed de toto eo genere disputans dicat. Ego (inquit) *plantavi, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit*. Ait Apostolus quod plantante & rigante Ecclesia Deus incrementum dat, id est crescere facit, vt

textus

Deus operatur  
per prædicatores  
Euangelij.

Marc. 16.

1. Cor. 3.

textus Sirciacus significatius vertit. Hoc autem plā-  
 rationem præsupponit. Non enim crescit nisi quod  
 plantatur. Siue ergo plantet Ecclesia prædicando  
 fidem infidelibus, siue rigeat explicando & confir-  
 mando eam fidelibus, Deus est qui concurrit in-  
 trinsecus vt fructum labor adferat: planè sicut agri-  
 colæ laborem præsupponit pluvia de cælo & calor  
 tempestiuus ad terræ fructus germinādos. Vos igitur  
 hæretici qui sine Ecclesiæ medio ordinario Spi-  
 ritū Dei vobis venditatis, aut certè ab Ecclesiæ vo-  
 ce Spiritum Dei seiungitis, similes estis illis agrico-  
 lis qui sine semente iacto aut sine plantatione à so-  
 lo aeris æstu ac pluvia de cælo fructum sibi pollice-  
 rentur. Sanè aded per Ecclesiasticam prædicatio-  
 nem & doctrinam Dei spiritus in hominum cor-  
 dibus operatur vt Paulus de sua prædicatione Co-  
 rinthijs dixerit. *Per Euangelium ego vos genui.* Quis  
 dubitat quin diuinus spiritus eos genuerit? Sed <sup>1. Cor. 4.</sup>  
 propter Ecclesiæ ministerium coniunctum, dicit  
 Ecclesiasticus minister. Ego vos genui per euange-  
 licam prædicationem. Sic rursus alio in loco, eos-  
 dem Corinthios vocat & epistolam suam & Chri-  
 sti epistolam. *Epistola (inquit) nostra vos estis quæ* & <sup>2. Cor. 3.</sup>  
*scitur & legitur omnibus hominibus*, quia eorum per  
 Paulum conuersio omnibus erat manifesta: Sed  
 quia cum eius ministerio Dei spiritus operabatur,  
 adiecit. *Manifestati quod epistola estis Christi, ministrata*  
*à nobis, & scripta non atramenta sed Spiritu Dei viui &c.*  
 Metaphoram illam propheticam de lege Dei in  
 cordibus fidelium scribenda, vnde ipsi fideles epi- <sup>Ierem. 31.</sup>  
 stolæ quædam ab Apostolo vocantur bene erudi-  
 tæ, rerumque diuinarum scientia instructæ, applicat  
 Apostolus suo quoque ministerio. *Epistola (inquit)*  
*nostra estis & epistola Christi ministrata à nobis.* Et ad-  
 huc semel ad eosdem, eadem ex causa dicit se sui-

que similes . *Ministros esse noui testamenti non litera sed Spiritu*, id est non vt ex litera legerent , sed vt ex spiritu prædicarent , ideoque noui testamenti id est nouæ gratiæ spiritualis veri ministri seu administratores essent; quæ sane gratia non ex literæ lectione qualem vetus lex proposuit, sed ex diuini spiritus subministratione cum externo ministerio cooperantis daretur. Propterea paulò post vocat ministerium ecclesiasticum in nouo testamento *ministerium iustitiæ, & ministratiõnem Spiritus*, sicuti veteris testamèti sacerdotium, *ministratiõnem mortis & damnationis*. Non enim per sacerdotium & sacramenta vetera Dei spiritus ita cooperabatur aut conferebatur, sicuti per ministros noui Testamenti eiusque sacramenta Dei spiritus cooperatur & confertur. Vnde iterum in eadem epistola ait. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi &c. & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.* Christus nos suo sanguine Deo reconciliauit . Sed huius reconciliationis verbum , id est prædicationem & notitiam ex qua fides nascitur (*fides enim ex auditu*) posuit Deus in ore Ecclesiæ; Deusque per os Ecclesiæ , vt hoc beneficium credendo amplectamur , nos adhortatur. Vt hoc proprio, vñtato, & ordinario medio homines ad fidem conuertendos fore Christus nos doceret , quo tempore viam conuersionis gentium aperuit, eo tempore hoc medium instituit, dicens Apostolis suis : *Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit (vtique vobis prædicantibus) & baptizatus fuerit, saluus erit.* Sed & vestrum axioma est, Whitakere, Deum in verbo suo prædicato & annunciato efficacem esse, adeoque gratiæ suæ promissiones credentibus applicare. Aduertere ergo debueras Ecclesiæ prædicationem, annunciationem,

testifi-

Ibidem.

2. Cor. 5.

Rom. 10.

Mar. 16.

testificationem, iuxta potestatem ei à Christo datā, medium quoddam externum, ordinarium, diuinitus institutum esse, non quidem quo solo homines conuertantur ad Deum absque diuini spiritus interna operatione, sed per quod maximè & cum quo potissimum diuinus spiritus operari in cordibus hominum solet. Hac de causa prædicatio verbi Dei per Ecclesiæ Pastores facta *seminatori* in Euangelio comparatur, & ipsum verbum Dei prædicatum & auditum *semini*, quod prout cadit in diuersi generis terram, prout à diuersis hominum voluntatibus excipitur, ita fructum facit vel nullum vel mediocrem, vel stabilem & abundantem. Porro tam est hoc medium singulariter à Deo ordinatū, cui exterius adhibito ipse interius cooperatur, ut ex hoc vnico discrimine pii ab impijs distinguantur, suosque ab alienis Deus internoscatur, quod hi quidem audita Ecclesiæ voce conuertuntur & sanantur, illi audita Ecclesiæ voce obdurati in infidelitate & peccato persistant. Sic Christus de sua prædicatione Iudæis dixit. *Qui ex Deo est verba Dei audit. Vos propterea non auditis quia ex Deo non estis.* Audiebant Christum extrinsecus prædicantem sed non audiebant intrinsecus corda pulsantem. Ideo eos non ex Deo sed ex diabolo esse Christus pronunciat: quod non diceret nisi cum externa prædicatione, internus quoque Dei spiritus eorum corda pulsaret, moueret, excitaret: sine quo gratiæ pulsū in eorum potestate non erat credere: & per consequens de infidelitatis positivæ peccato arguendi non erant. Vtrumque igitur simul operabatur; Cum voce exterius sonante gratia interius pulsans loquebatur. An verò hoc putas in sola Christi prædicatione factum esse, in Ecclesiæ perpetua prædicatione non fieri? Aduerte ergo quid

Christus

Luc. 8.

Qui ex  
Deo sunt  
Ecclesiæ  
vocem  
audiunt.

Ioan. 8.

Luc. 10.

Math. 10.

Christus Ecclesiae suae dicat. *Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit. Et iterum. Si qui sermonem vestrum non receperint, exeuntes de ciuitate & domo illa excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis quia tolerabilius erit Sodomae & Gomorrhæ in die iudicij quam ciuitati aut loco illi.* Cur tam horrenda comminatio recusatae prædicationi Euangelicæ adiungitur, nisi quia hanc externam vocem qui repellunt, internum quoque Dei spiritum pariter sese offerentem repulerunt? An cum Pelagio dices sola naturæ suæ libertate potuisse & debuisse eos Euangelio acquiescere? Adfuit ergo cum externa prædicatione interna diuini spiritus motio, quam quia sua improba & libera voluntate repulerunt, grauissimas illis penas iustè Christus comminatur. Denique hæc est sola & propria causa, cur qui Euangelicæ prædicationi & Ecclesiae testimonio in rebus fidei non acquiescunt, grauissime contra Deum peccant, eo quod cum hoc externo medio Dei spiritus suas quoque partes agit: ideoque non homines sed Deum spernere dicuntur qui Ecclesiae vocem spernunt. Sic Paulus. *Qui hæc spernit, non hominem spernit sed Deum.* Sic & D. Ioannes. *Qui nouit Deum audit nos; qui non est ex Deo non audit nos.* Cur hoc, an quia Paulus, Ioannes, alijque ecclesiastici prædicatores Deus sunt? an quia Ecclesia Deus est, vt ex nostra doctrina paulò superius colligere voluisti? Nequaquam, sed quia Paulo, Ioanne, alijsque Ecclesiae præpositis verbum Dei loquentibus, veritatem nobis annunciantibus, Deus quoque intus in corde loquitur: arque ita apparet qui ex Deo sunt, qui non, qui Deum spernant, qui non, qui Deum intus loquentem audiant, qui non.

1. Theff. 4.

1. Ioan. 4.

Si hæc te ex Sacris scripturis manifesta & clara deductio nihil mouet Whitakere, at tuum saltem

tem Calvinum audi qui hanc saluberrimam doctrinam, ut ministerij sui auctoritatem tueretur, satis perspicere potuit, perspectamque accurate perneget. *Quia nunc (inquit) de visibili Ecclesia differere propositum est, discamus vel vno matris elogio quam utilis sit nobis eius cognitio, imò necessaria: quando non alius est in vitam ingressus nisi nos ipsa concipiat in utero, nisi pariat, nisi nos alat suis vberibus, denique sub custodia & gubernatione sua nos tueatur, donec exuti carne mortali similes erimus Angelis. Neque enim patitur nostra infirmitas à schola nos dimitti, donec toto vite cursu discipuli fuerimus. Adde quod extra eius gremium nulla est speranda peccatorum remissio nec vlla salus. Hæc ille. Quorsum hæc tanta utilitas imò necessitas Ecclesiasticæ semper institutionis & doctrinæ, nisi quia per eius ministerium Deus operatur, inferendo se suaque auxilia gratiæ intus impartiendo, simul ac pariter cum externa Ecclesiæ opera: Quæ sane Ecclesiæ opera sine interna diuini spiritus cooperatione nulla esset: sed absque tali cooperatione suam operam nunquam nauat Ecclesia. An hoc ipsum Calvinus forte non diceret? Audi igitur quam apertè hoc dicat. Fidem (inquit) Deus nobis inspirat sed Euangelij sui organo, sicut admonet Paulus fidem esse ex auditu. Sicuti etiam penes Deum sua residet potentia ad seruandum, sed eam in Euangelij prædicatione (eodem Paulo teste) depromit atque explicat. Hæc rursus ille locum illum Pauli designans què paulò superius tractauit, dedit Christus Ecclesiæ alios quidem Apostolos &c. quem frequenter allegauimus. Et paulò post. Et si externis medijs alligata non est Dei virtus, nos tamen ordinario docendi modo alligauit, quem dum recusant tenere fanatici homines, multis se exitalibus laqueis inuoluunt. Habes tui Calvinii manifestam confessionem, quòd Deus per Ecclesiæ suæ vocem, ministerium, auditum operari vult in*

Caluini  
sententia  
pro Eccle-  
siæ Autho-  
ritate.  
Institut.  
lib. 4. cap.  
1. sect. 4.

Ibi. sect. 5.  
Rom. 10.

Ephes. 4.

cordibus

cordibus nostris omnem salutem.

Cur Ec-  
clesiavox,  
non alia  
argumen-  
ta persua-  
deat.

Rom. 10.  
Matt. vlt.

Ecclesia  
per se fidē  
facit.

In Prom-  
ptu: mo-  
rali ad  
Dom. 3.  
Quadrag.  
rex 7. &  
Dom.  
Palf. rex. 2.

Hæc est causa Whitakere cur etsi argumenta à te prolata in laudem scripturæ non per suadeant, Ecclesia tamen testimonium persuadere debeat. Non enim per talia argumenta aut etiam illis maiora quæ quis legendo scripturam deprehendere potest, Deus se operaturum prædixit; non ad talia media nos alligavit; non ex talibus aut vllis prorsus argumentis humano studio inuentis nos persuaderi debere instituit; sed *ex auditu fidem esse* docuit, per Ecclesiæ vocem spiritum suum nobis affuturum promisit, denique ad ordinarium per Ecclesiam docendi modum nos alligavit. Ab hac persuaderi debemus, si filij Dei esse volumus. Nec vt tu dicis, ad solam externā obedientiā exhibendā aut ad externam vnitatem retinendam, aut externum consensum obtinendum (quæ tamen magna bona per se essent) sed quod tu tam audacter negas, Ecclesia etiam per se persuadere potest & debet vt diuinis oraculis assentiamur eo quòd cum Ecclesiæ voce externa Deus intus perpetuò operatur, vt iam ostensum est; eo quòd Ecclesiæ voci obediendum est, iuxta apertas scripturas tuamque ipsius in principio huius tractatus confessionem: eo quòd fides nostra tota ex auditu Ecclesiæ est; eo quòd potentiam suam Deus ad salutem nostram in Euangelij prædicatione depromit & explicat: Denique eo quòd hoc proprium est filij Dei signum & argumentum, quòd Deum in Ecclesia sua loquentem audit. Quæ de re in alijs opusculis nostris latius differuimus; & iam in præcedentibus aliqua diximus.

VWhitakerus.

5. Sect. Sed istud testimonium, inquires, non sumitur ex ipsis libris; externum ergo est & nequaquam ipsi verbo insitum. Respondeo: Etsi quidem Spiritus

ritus sancti testimonium non sit idem quod ipsi libri, externum tamen non est, nec ab ipsis libris seiunctum & alienum, quia \* percipitur ex doctrina \* Absurdum. quæ in ipsis libris traditur. Non enim Spiritum aliquem ἐκ τῶν βιβλίων intelligimus. Quemadmodum verò nemo potest certò assentiri doctrinæ fidei, nisi per spiritum, ita nemo potest scripturis assentiri nisi per eundem Spiritum.

*Stapletonus.*

Spiritus sancti testimonium sine quo nulla fides gignitur, externum nunquam est vt tu hic imperitè loqueris, sed semper internum. A scripturis autem ipsis seiunctum non esse nec alienum indè puras probari, *quia percipitur ex doctrina quæ in libris ipsis traditur.* Vnde tibi vir bone hoc paradoxum? Spiritus S. scripturarum libris non est cõiunctus. Aut nouam hanc tuam sententiam cur nullis scripturis, nullis argumentis confirmas? An tibi licet axiomata constituere tua sola authoritate? Ab Ecclesiæ quidem testimonio, voce, doctrina Spiritum sanctum seiunctum non esse, sed ei semper coniunctum; id est, per illam Deum operari, quantum ex se est, iam copiosè ex scripturis sacris docuimus: tum hoc in capite, tum in præcedentibus. Hoc vos hæretici & rebelles Ecclesiæ hostes aduertere non vultis. At verò Spiritum sanctum esse cum libris scripturarum coniunctum, vel ex doctrina quæ in scripturis continetur Spiritum sanctum percipi, quæ obsecro scriptura docet, quæ ratio demonstrat? Non sanè negauerim ex lectione scripturarum aliquem à Deo excitari ad credendum posse, sicuti etiam & multis alijs externis medijs homines ad fidem & pietatem Deus excitat, miraculis exhibitis, exemplis aliorum ante oculos propositis, priuata bonorum instructione, rebus quoq; interdum aduersis & calamitatibus seu publicis

Per solam  
Ecclesiaz  
vocem  
Deus or-  
dinare  
operatur.

blicis seu priuatis. Cæterum hæc ordinaria media non sunt. Ad ista Deus nos non alligauit. Per ista Spiritum suum Deus nobis non promisit. Ecclesiaz vox medium est ordinarium; Ad eam Deus non alligauit. Per eam Spiritus sui gratiam impartit. Docuit hoc Christus etiam illis in verbis. *Mensis quidem multa; operarij autem pauci. Orate Dominum mensis ut mittat operarios in messem suam.* Perspicue docet, qui ad fidem conuertendi erant per operarios, per prædicatores mittendos, conuerti oportere. Sic Paulus de prædicatione sua loquens, dixit. *Dei cooperatores sumus, id est, nos cum Deo & Deus nobiscum prædicantibus cooperatur.* Sic quum Macedones ad fidem essent conuertendi, visionem accepit Paulus. *Vir Macedo stabat ante eum, & dixit. Transiens adiuua nos.* Prædicatio adiuuat, Deus perficit. *Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid scilicet quoad efficaciam & perfectionem conuersionis: sed qui incrementum dat Deus.* Nempe quia plantanti & riganti Ecclesie cooperatur Deus. Non quod nihil agit Ecclesia quod nihil perficit Ecclesia absq; Deo cooperante, qui tamen semper cooperatur & incrementum dat (quantum ex se est) pijs Ecclesie laboribus benedicens. Dixit Christus in Euangelio Apostolis de persecutione futura. *Nolite cogitare &c. Non vos estis qui loquimini sed Spiritus Patris vestri est qui loquitur in vobis.* Ecce dicuntur illi non loqui quum tamen proprie loquantur, quia Deus loquitur in illis loquentibus. Idem accidit in Ecclesia loquente ea quæ sunt fidei. Nam (vt ex his verbis sapienter colligit Augustinus) *si loquitur in eis Spiritus sanctus qui persequentibus traduntur pro Christo, cur non magis in eis qui tradunt discipulis Christum?* An non hæc est aperta promissio docenti Ecclesie facta quam expressit Elaias: *Spiritus meus qui est in te & verba mea quæ posui in ore*

Luc. 7.

1. Cor. 3.

Act 16.

1. Cor. 3.

Matth. 10.

De doct.  
Christ. lib.  
4. cap. 15.

*in ore tuo non recedent, de ore tuo nec de ore seminis tui, &c.* Eccl. 59  
*amodo vsque in sempiternum* Spiritus Dei promittitur  
 verbis Christi & seminis eius, id est, vicariorum  
 eius & eorum quos ille primùm in fide genitos,  
 postea ad alios in Euangelio gignendos (vt Paulus  
 loquitur) missurus erat. Spiritus, inquam, Dei pro- i. Cor. 4  
 mittitur tam quoad ipsos docetes, vt infallibiliter  
 vera doceat, quàm quoad ipsos audientes, vt cù sua  
 prædicatione Deus cooperetur. Paulus ait: *Plus* i. Cor. 15  
*omnibus laboravi*, id est, plures prædicando conuerti.  
 Sed addit. *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Gratia  
 Dei cum Paulo laborauit, vt infideles conuerterentur.  
 Sic Prædicatores Ecclesiæ vocantur in Euan- Luc. 12  
 gelio. *Fideles dispensatores & prudentes qui dant cibum*  
*in tempore.* Atqui cibus quem dant à Spiritu sancto  
 maximè datur, qui huiusmodi patribus familias co- Psal. 22  
 operatur. Deus est *qui nos pascit & regit in loco pascue,*  
*sed per Pastores quos dedit.* Deus *illuminat omnes ho-* Ioan. 1.  
*mines, sed mediantibus illis quibus dixit. Vos estis lux* Matth. 5  
*mundi.* Quemadmodum in illa cœlesti hierarchia,  
 cuius imago quædam est hierarchia nostra Eccle-  
 siastica. Angeli superiores illuminant inferiores,  
 nec Deum ipsum illis manifestantes, (Dei enim es-  
 sentiam omnes Angeli & beati immediatè vident)  
 sed rationes quasdam diuinorum operum (quas sa-  
 nè rationes tantò vnusquisque Angelus plures in  
 Deo cognoscit, quantò Deum perfectiùs videt) nec  
 etiam ipsum lumen naturæ, seu gratiæ seu gloriæ  
 alijs communicantes, sed tantùm aliquas veritates  
 illis manifestantes, quæ pertinent ad statum vel na-  
 turæ vel gratiæ vel gloriæ, vt videlicet eos illumi-  
 nando disponant ad vltimam formam, non quòd  
 talem illis formam imprimant; sic Ecclesiæ pasto-  
 res & magistri docendo ac prædicando ea quæ sunt  
 fidei disponunt homines in statu gratiæ, & in eo

Ioan. 15.

genere illuminant mundum, non quòd formaliter & effectiuè eos illuminent lumine gratiæ, sed quòd ad huiusmodi luminis receptionem eos disponant, eas veritates proponendo & explicando, quæ credi debeant, Deo interim cooperante, vt credantur. Sic enim fit quod Christus Apostolis de Spiritu sancto dixit. *Ille testimonium perhibebit de me, intis corda illuminandò, & excitando, & vos testimonium perhibebitis de me,* externa simul prædicatione homines instruendo ac cœlestes illis veritates proponendo. Hæc iterum paulò fusiùs explicanda duxi, quia in eo maxime tua de Ecclesiæ autoritate tam exilis existimatio, & erronea multum opinio consistit, quod non aduertis idcirco Ecclesiæ vocem imprimis esse ad fidem de quouis dogmate diuino ingenerandâ vel retinendam necessariam, quia Deus per illam non loquitur tantum, sed & operatur, sui que Spiritus internam operationem cum Ecclesiæ docentis opera & ministerio coniungit. Hinc enim cognosci potest cur Ecclesiæ autoritas siue in scripturis cognoscendis & approbandis, siue in quocunque alio dogmate maxime sit necessaria, & cur scriptura per scripturam sine testimonio Ecclesiæ approbari & quoad nos certò constare nequeat. Videamus nunc quæ apud te sequuntur.

---

## AN SPIRITVM S.

HABEAT, QUI ALI-  
 QVAM CANONICAM SRI-  
 pturam reijcit.

## C A P. XII

*VWhitakerus.*

**S**ED hic duæ obiectiones remouendæ sunt, quæ *1. Sect.*  
 à Stapletono proponuntur; quarum prior est *\* Menda-*  
 contra posteriorem hanc nostram responsionem, *cium.*  
 secunda contra priorem. Obiectio prima huiusmo-  
 di est. Si ex Spiritus testimonio sacros libros cogno-  
 scamus, qui sit vt Ecclesiæ quæ Spiritum hunc ha-  
 bent non consentiant inter se? Nam à vobis (inquit)  
 Calvinistis dissentiunt Lutherani, quia vos quosdã  
 libros recipitis quos illi reijciunt. Ergo aut vos  
 Spiritu sancto caretis, aut illi. Sic Campianus, sic  
 alij obijciunt.

*Stapletonus.*

Vt quid te libet fingere & mentiri, vit bone? Hæc  
 prior obiectio mea non est; nec hoc in loco quem  
 nunc impugnas, nec vsquam alibi quantum reco-  
 lere possum. Sed nec fortissimi ac modestissimi il-  
 lius martyris Campiani eam esse puto; nec sanè in  
 forma qua tu eam proponis, cuiusquam alterius  
 docti viri. Expendamus tamen quàm appositè ad  
 eam respondeas.

*VWhitakerus.*

Respondeo primũ. Non sequitur vel illos carere  
 Spiritu sancto, qui hos libros reijciunt, vel nos qui *2. Sect.*  
 recipimus. Nullum enim salutare dogma cognosci *Abfurdi-*  
 potest sine Spiritu sancto. Exempli gratia, Chri- *tatũ ma-*  
 stum pro nobis mortuum esse, aut aliud quiduis. *nipulus.*

Hoc Papistæ ipsi concedent. Non sequitur tamen ut omnes qui hanc veritatem à Spiritu sancto didicerunt, in omnibus alijs fidei capitibus consentiant. Nec sequitur continuò eos Spiritu carere, qui errant, quia omnes errores non sunt capitales.

I Stapletonus.

1. Absurditas.

Spiritus S. habere non possunt qui Canonicas scripturas rejiciunt.

Tot ferè hic absurda sunt, quot sententiæ. Ais non sequi illos carere Spiritu sancto, qui hos libros rejiciunt, vel eos qui recipiunt. Quid ergo? Recipere S. Scripturæ libros res indifferens est? Libri de quibus loqueris aut in Canonem iam recepti sunt, & qui eos rejiciunt, contradicunt Ecclesiæ quæ eos recepit, quæ contradictio est perfidiæ & hæresis peccatum quo qui laborat, Spiritum sanctum non habet, vel non sunt recepti in Canonem, & qui eos recipiunt, sic ut non recipientes condemnent, anteuertunt Ecclesiæ iudicium; et schismatis rei sunt; quod rursus tale est peccatum, ut eo qui laborat Spiritu sancto careat.

2. Absurditas,

Rom. 1.

Ais nullum dogma salutare cognosci posse sine Spiritu sancto. Deum esse creatorem cæli & terræ multi Philosophi cognouerunt sine Spiritu sancto. Inuisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt cognoscuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Dæmones cognoscunt omnia ferè salutaria dogmata sine Spiritu sancto. Hæretici omnes multa salutaria dogmata cognoscunt sine Spiritu sancto. Nonne te præclarum hic demonstraisti theologum professor eximie? Nullum sanè dogma salutare credi potest ex habitu fidei diuinitus infuso sine Spiritu sancto. Tu inter scientiam & fidem nullum discrimen ponis.

3. Absurditas.

Addis exempli gratia, Christum pro nobis mortuum esse. Atqui Doctor egregie omnes Anabaptistæ nonne hoc aliquo modo credunt? omnes olim Ariani, Nestoriani, & cuiusuis penè sectæ hæretici,

heretici, exceptis Manichæis paucisque alijs, nonne hoc dogma optime cognouerunt? An hos omnes dices habuisse Spiritum sanctum? Hoc (inquis) *Papista ipsi concedunt*. Felicius tecum ageretur <sup>4. Absurditas.</sup> & quoad fidem & quoad eruditionem, si in *Papistarum* doctrina melius institutus fuisses. Nunc nullus *Papista* Theologus hoc tibi concedet. Non sequitur (inquis) *vt omnes qui hanc veritatem à spiritu sancto didicerunt, in omnibus alijs fidei capitibus consentiant*. Atqui in præcedentibus oportune ostendimus, tuamque (vt nunc video) ignorantiam instruximus, nullam esse veri nominis fidem & à Spiritu sancto, quæ non omnibus à Deo per Ecclesiam reuelatis consentiat, sicut nulla est veri nominis charitas & iustitia quæ non omni affectu lætiferi peccati careat. Addis postremò, *Nec sequitur contumud eos spiritu carere qui errant, quia omnes errores non sunt capitales*. Atqui Doctor indocte, error omnis in neganda aliqua parte S. Scripturæ iam in Canonem receptæ inter errores capitales computari debet: & planè inter grauissimos; maximè secundum te qui scripturam per sese omnibus ex sua maiestate & splendore constare & innotescere affirmasti, longaque disputatione probare studuisti; vnde & certissimum argumentum erit in huiusmodi non adesse Spiritum sanctum. Sustines enim si adsit interna persuasio Spiritus sancti, scripturam omnibus ex se & per se constare. Magister mendax; mendacem oportet esse memorem. Sed rationes tuæ dementiæ adferre vis. Audiamus.

*VWhitakerus.*

Ratio verò cur omnes qui Spiritum S. habent, non perinde ac similiter sentiunt de omnibus rebus quæ ad religionem pertinet, ea est, quòd non sit ex æquo & similiter eadem mensura Spi-

ritus sancti in omnibus. Alioqui summa esset in rebus omnibus consensus.

*Stapletonus.*

Res theologicas ex coniectura tractas, non ex scientia qualis doctorem & professorem Regium deceat. Aliquid simile à quoquam audiuiisti sed à scopo multum aberras. Quædam sanè sunt de quibus *salua fidei compage* (vt scribit Augustinus) *doctissimi atque optimi Regula Catholica defensores interdum non consonant, & alius alio de vna re melius aliquid dicit & verius.* Hoc autem vnde nunc agimus (de libro aliquo S. Scripturæ iam in Canonem recepto) *At ipsa fidei pertinet fundamenta.* Quare quum Apostolus de hac inæquali mensura spiritus ageret, dicens, *Si quid aliter sapitis, Deus vobis reuelabit,* adiecit prouidenter.

Contra  
Iul. Lib. 1.

Phil. 3

In Regula  
fidei  
omnes idē  
sentiant,  
qui Spiritū  
sanctū  
habent.

*Verumtamen ad id quod peruenimus vt idem sapiamus in eadem permaneamus Regula.* Hoc est. Qui iam peruenimus in regulam fidei, eamque firmiter tenemus, & in ea idem sapimus, quicquid sit de arduis illis, & ambiguis quæstionibus de quibus interdum aliter sapimus & diuersa sentimus, quàm veritas habet, attamē in hac regula fidei permaneamus. Non putemus in ipsa regula fidei, in eo quod iam pro regula certa tenemus, aliter sapere nobis licere. Quare in re proposita etsi propter inæqualem fidei mensuram alij explicatius credant quam alij, alij rursus plura quam alij, quia necdum his alijs omnia reuelata sunt nemini tamen sine hæresis nota licet ab eo quod semel statutum & definitum in Ecclesia est recedere; & (vt in re præsentī maneamus) nemini licet librum S. Scripturæ semel in Canonem relatum & Ecclesiæ iudicio declaratū amplius in dubium reuocare. Hoc enim non est permanere in regula fidei, quod Apostolus iubet: sed hoc est transgredi Regulam fidei quod hæretici so-

lent. Omnes igitur qui Spiritum sanctum habent, de rebus ad Religionem necessario pertinentibus, & quas cuique credere conuenit, prorsus perinde sentiunt, atque idem sapiunt: qui maximus est in Ecclesia Catholica diuini Spiritus effectus: vnde & vna dicitur vera Ecclesia estque summa semper in rebus fidei consensus.

*Whitakerus.*

Secundo & nos qui recipimus quosdam libros *3. Sect.* à lutheranis non receptos, \* exempla habemus veterum quarundam Ecclesiarum, & lutherani etiam qui hos libros reijciunt. Fuerunt enim Ecclesie quaedam quæ hos libros receperunt, (epistolam scilicet Iudæ, secundam epistolam Petri, & secundam ac tertiam Ioannis) fuerunt etiam quæ eos reiecerunt: & tamen omnes interim Dei Ecclesie fuerunt.

\* Mendacium quia non est similis ratio.

*Stapletonus.*

\*Hæc tua ad hoc argumentum secunda responsio, non est secunda sed iam octaua tua nugatio & absurda atque inepta assertio. Exemplum enim hoc veterum quarundam Ecclesiarum nihil aut vos Calvinistas aut alios lutheranos iuuat. Illæ enim veteres quaedam Ecclesie primis post Christum ducentis aut trecentis annis, hos libros citatos non reiecerunt vt vos, sed pro dubijs habebant, quia necdum de illis aliquid certi definierat Ecclesia. Lutherani autem qui hos libros recipere recusant iam post mille annorum consensum longamq; & certam Ecclesie definitionem illos libros reijciunt, cum aperto hæresis crimine id faciunt. Vos quoque Calviniste si non aliter eos recipitis quam quædam illæ veteres Ecclesie receperunt, sed adhuc pro dubijs habetis, & Ecclesie iudicio pertinaciter resistis,

Discrimen inter veteres de quibusdam Script. dubitantes & inter hæreticos hodie eadem negantes.

stitis, hæretici procul dubio hac in parte non secus quam Lutherani estis.

*VWhitakerus.*

4. Sect.  
Nihil ad  
rhombū.

Tertiò non omnes continuò Spiritū sanctum habēt qui se habere dicūt. Etsi multi ex Lutheranis (quos vocant) hos libros reiiciunt, non tamen sequitur communem hanc esse totius illius Ecclesiæ opinionem. Papistæ quidem Ecclesiæ nomine Episcopos tantū & doctōres intelligunt ac significant. At non est ex paucis, totius Ecclesiæ sentētia æstimanda.

*Stapletonus.*

Luthera-  
norū ho-  
die dissē-  
nientes  
sententiæ  
defensi  
aut excu-  
sari ne-  
queant.

In nullo hætenus argumento infelicius te quàm in hoc vno versatū adhuc vidi. Ita quasi vertiginem passus, recti nihil, obliquè & obtortè omnia dixisti. Non omnes inquis, *Spiritum sanctū habent qui se habere dicunt*. Quid hoc ad huius argumenti rationem vel minimum pertinet? Conijciat & videat qui potest: ego certe conijcere nequeo. Quod verò additur, *non sequi communem esse totius illius (Lutheranæ) Ecclesiæ opinionem quod multi Lutherani sentiunt*, id sane verum esse potest, sed quid hoc ad rhombum? Valet argumentum etiamsi non tota illa Lutheranorum Ecclesia in errore versetur. Verum enim nihilominus est Lutheranos idque multos, & eosdem non ex foro fere vulgi, sed scriptores quosdam primarios in errore versari; & hoc solum ponit argumentum, vestramque dissensionem sufficienter in hac quæstione grauißima demonstrat. Deinde cur non ostendis & probas totius Ecclesiæ Lutheranæ sententiã hanc non esse? Sane qui probat multorum esse sententiã, quod tu concedis, donec exceptio iusta & instantiã doceatur, valet de omnibus, maximè quum illi multi primarij quadam in secta Lutheranorum authores sunt,

sunt, quales sunt Magdeburgenses illi centuriastæ quorum hæc sententia est.

Addis *Papistas Ecclesiæ nomine episcopos tantum & doctores intelligere*, satis insinuans Lutheranos illos de quibus in argumento agitur de numero Superintendentium & Pastorum seu ministrorum fuisse. Sed tu scilicet acutissimè hanc papisticam Ecclesiæ acceptionem refutasti, subiungens. *At non est ex paucis totius Ecclesiæ sententia estimāda*. Nempe si tibi simpliciter hoc affirmanti credendum est. Nos vero *in Davidore* ita se rem habere in quinto huius operis quod impugnas libro demonstrauimus, efficacius adhuc idem probaturi quum occasio dabitur. Vbi tu illa expugnaueris, tunc axiomata tua fundere, & *græce* tibi magistraliter asserere licebit: Interim nos pro compertissimo habemus Ecclesiam cuius in rebus fidei authoritas quærenda & tenenda est, non nisi episcopos & Pastores significare nec popularem cõfusionem sed hierachicum ordinem in Ecclesia sua Christum posuisse.

---

R A T I O N E S C V R  
S C R I P T V R Æ P E R E C C L E S I A E  
T E S T I M O N I V M N E C E S S A R I O D E  
b e a n t i n n o t e s c e r e , l a t i u s e x p l i c a n t u r & c o r r o -  
b o r a n t u r .

C A P V T . XIII.

*VWhitakerus.*

S E C V N D A obiectio contra priorem respon. 1. *Sect.*  
sionem nostram huiusmodi est. Scriptura non

est vox Dei, sed verbum Dei; hoc est non immediate à Deo profecta est, sed mediatè nobis per alios tradita. Respondeo Deum non per se, sed per alios loquutum esse. Hoc tamen scripturæ auctoritatem non minuit. Deus enim Prophetis inspiravit quæ loquerentur, atque illorum linguis, ore, manibus vsus est. Est ergo scriptura etiam immediate vox Dei. Prophetæ enim ac Apostoli Dei tantum organa fuerunt. Deus in Prophetis & per Prophetas patribus loquutus est, vt patet Heb. 1, & Petrus ait sanctos olim Dei homines à Spiritu sancto actos, loquutos esse. Est ergo scriptura vox Spiritus, & per consequens vox Dei.

*Stapletonus.*

Nihil facilius quam fingere sibi argumentum quod idem post refutet. Tu VWhitakere totum hoc argumentum tibi finxisti; meorum verborum sensum, vel crasse non capiendo, vel nequiter dissimulando. Dixi sanè. *Non est scriptus aliquis liber sacer immediatè Dei vox; sed est verbum Dei & vnum ex his quæ à Deo pronunciata creduntur. Itaque authorem habet Deum, sicut reliqua quæ creduntur.* Hæc mea verba fuerunt. Vides si tamen adhuc vides, adeo me non negare quin scripturas Deus per Prophetas nobis loquutus fuerit (quod tu vnicum hic & solum probas) vt disertissime dixerim *à Deo scripturas esse pronunciatas, easque authorem habere Deum.* Non ergo negavi quin immediate à Deo profecta fuerit scriptura, sicut tu me negare fingis, sed dixi ipsam scripturam à Deo pronunciatam, & eo inspirante scriptam, *non esse immediatam Dei vocem*, scilicet qua nobis loquatur, quia loquitur illam per vocem Ecclesiæ; sed esse ipsum Dei verbum quod nobis dicitur, quemadmodum alia quæ creduntur nobis per Ecclesiam dicuntur. Nempe dico quod scriptura non

Scriptura  
quomodo  
verbum  
Dei, & nō  
vox Dei  
immediata.

ia non loquitur nobis, nec audimus vocem Dei legendo scripturas, sed vox illa quæ has Dei scripturas nobis loquitur, ipsa Ecclesia est, sicut sanè omnia alia credenda nobis loquitur. Idcirco iubet nos Christus audire Ecclesiam, quasi vocem suam, dicens: *Qui vos audit, me audit.* Hæc est vox Dei immediatè & proximè nobis loquens. Sic <sup>Luc. 10.</sup> Apostolus. *Quomodo audient sine predicante?* Ista de <sup>Rom. 10.</sup> scripturis nusquam dicuntur. An scripturam loquentem audimus? An obiectum auditus est lectio vilius scripturæ? Ego S. Scripturæ vestigijs insistent, dixi & dico vocem Dei nunc in hoc statu, esse vocem Ecclesiæ per quam loquitur. Quem admodum enim *olim loquutus est Deus Patribus in Prophetis, nouissime autem loquutus est in Filio,* ita adhuc <sup>Heb. 1.</sup> post filium, vt idem Apostolus in eadem Epistola scripsit, *doctrina salutis quum initium accepisset, enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt in nos confirmata est.* <sup>Heb. 2.</sup> Hæc est vox Ecclesiæ, quam filius ipse Dei iussit nos audire. Talis vox scriptura non est, sed ipsam scripturam hæc vox nobis & ostendit quæ sit & exponit quid sit. Debes professor eximie, authorem quem vis refutare, prius intelligere; & quæ vis in tua cathedra docere, ea prius didicisse.

*VWhitakerus.*

Sed quid si non sit vox Dei immediatè, sed tantummodo verbum Dei? Ergo debet ab Ecclesia cognosci (inquit Stapletonus) vt cætera, id est, vt cætera dogmata ad salutem necessaria. Sed quid? An cætera religionis capita, ac fidei dogmata Ecclesiæ \* tantum testimonio cognoscimus? <sup>2. Sect.</sup>

*Stapletonus.*

\* Perpetuum estugium.

Et quid mi VWhitakere? An cætera religionis capita Ecclesiæ tantum testimonio cognosci debere ego dixeram? An non contrarium longa & accurata

accurata disputatione docui? Sinamus tamen te  
pergere, hoc est, desipere.

*VWhitakerus.*

3. *Sect.* An non officium est Spiritus S. omnia nos ad  
salutem necessaria docere?

*Stapletonus.*

Cap. 2. 3.  
20. 21. &  
22.

An non Stapletonus hoc accuratè docuit per  
diuersa capita libri octauum eius operis quod tu hic  
impugnas?

*VWhitakerus.*

4. *Sect.* Videte verò vt nos Stapletonus omnia tantum  
Calumnia per Ecclesiam discere affirmet, & Spiritum ab Ec-  
clesia remoueat.

*Stapletonus.*

VWhita-  
kerus fa-  
uus rusti-  
cui.

Videte professorem Regium in fatuum rusticum  
rara metamorphosi commutatum, qui vt hero  
suo iocum faciat, de ministris ac domesticis multa  
mentitur nebulo, & quod semel mentitus est, in  
eo affirmando persistit strenuè: qui quo mentitur  
splendidius affirmatque audacius, eo risum ac io-  
cum mouet magis, suasque agit partes feliciter. Pro-  
fessor iste suavis ac lepidus, quia illud vnicè Me-  
cænatibus & auditoribus suis placitum videbat,  
vt quoquo modo traduceretur Stapletonus, hunc  
sibi inter præcipuos exagitandum, eiusque argu-  
menta conuellenda suscepit. Sed quum grauer  
respondendo, & rem cum re, rationem cum ratio-  
ne conferendo nihil se proficere videret, fatui &  
sophistæ personam induit, vt tota aduersarij sen-  
tentia dissimulata, falsum illi aliquid & dementia  
plenum affingat, & in eo demum se ludo ac ioco  
exerceat, illud perpetuum perfugium habeat, quo  
argumentorum vim eludat, quam elidere non po-  
tuit. Hæc est VWhitakere persona quam hic agis.  
Argumenta mea proponis. Illa vel non intelligis,

& mox

& mox quum aduersarium te percutere existimas, in parietem proximum incurris; vel si intelligis dissimulas, & novos tibi sorsus affingis, quos athleta fortis fortissime statim prosternas, & auditores ac lectores tuos inanibus mendacijs pascas. Quia hic dixi, scriptura *per Ecclesie vocem constare nobis debet, vt cetera, proclamas confestim. Ecce vult nos tantum ex Ecclesie voce omnia cognoscere. Ecce omnia nos tantum per Ecclesiam discere affirmat. Ecce Spiritum ab Ecclesia remouet.* Hic aio te insignis fatui partes agere. Si enim nusquam expressissem Spiritus sancti testimonium ad omnem fidem esse necessarium, si nusquam docuissem ex sola fide acquisita neminem posse credere vera & Christiana fide, si nusquam disputassem non Ecclesie vocem sed Deum inus reuelantem esse formalem rationem totius fidei nostrae, (quae omnia in hoc opere quod impugnas ex instituto & professio docui & disputavi,) tamen simpliciter dicenti Ecclesie vocem esse necessariam, nemo nisi fatuus homini theologo objiceret, quod Ecclesie vocem solam praedicet & quod Spiritum sanctum remoueat. Tu vero quia aliam respondendi viam non vidisti, maluisti aliquid stultissime mentiri, quam nihil respondere. Amice, si tacuisses sapiens fuisses. Videamus adhuc alia praeclearae sapientiae tuae emblemata.

VWhitakeri stultissimi mendacia.

Lib. 8. cap. 2. 3. 20. 21. & 22.

*VWhitakerus.*

Si verò Spiritus in Ecclesia doceat, & per Spiritum cetera dogmata cognoscamus, tum quidni hoc etiam à Spiritu discamus, Scripturam scilicet esse verbum Dei? Dicat & doceat si potest.

\* Ridiculum.

*Stapletonus.*

Enimverò egregius tu doctor ac professor theologus es qui adhuc nescis Spiritum sanctum in Ecclesia docere per os & organum Ecclesiae. Tu nescis Spiritus

Ignorantia aduersarij.

firmatione respondes, qui quod tu affirmas iam dudum refutauit, & eodem in opere quod nunc impugnas, refutauit.

*VWhitakerus.*

8. Sect.

\* Colle-  
tio in iul-  
ta  
\* Absur-  
dum.

Sed hoc (inquit) non debet accipi per reuelationes immediatas, vti nec cætera. Respondeo. Non est hæc extraordinaria aut \*immediata reuelatio, ab ipsa doctrina librorum separata, quia ex ipso verbo, per spiritum eundem à quo verbum profluxit, nascitur, manat, ac percipitur.

*Stapletonus.*

Scripturæ  
approba-  
tio per  
Scripturâ  
ex illa per  
spiritum nō  
nascitur.

Vt de reuelationibus immediatis respondeas, quæ necessariò recipiendæ sunt si medium vocis Ecclesiasticæ repudiatur, negas hanc scripturæ per scripturam approbationem esse immediatam vel extraordinariam reuelationem, eo quod ex ipso verbo per spiritum nascatur &c. At ista probatio nec verum assumit, nec ex eo quod assumit rectè colligit. Primum enim approbatio seu notitia & certitudo vnius scripturæ per aliam scripturam, si ex ipso verbo per spiritum verbi authorem nascitur manat ac percipitur, sequeretur necessariò omnibus Dei spiritum quoquo modo habentibus scripturas omnes sacras per se notas & conspicuas esse. Quod enim ex ipso verbo per spiritum nascitur & promanatur, habito verbo & spiritu, habetur & ipsum; sicuti quicquid ex ipso speculo per oculum videtur, vbi primum speculum oculus contuetur necessariò videtur. Atqui multi Spiritum habent & verbum scripturæ legere possunt, qui tamē si nullum aliud adiumentum haberent, has esse scripturas sacras ignorarent; quod tum ex tua confessione tum ex nostra anteriori disputatione probatur. Nam & tu ante confessus es ac docuisti Lutheranos aliquos S. Scripturæ libros reijcere posse, nec tamen Spiritu sancto

sancto carere, & nos probauimus vulgus fideiū circa sacre scripturæ libros iudicio discretiuo carere, alios quoque magis exercitados qui discretiuo iudicio valent, iudicio tamen determinante ac decernente carere, quum neutri horum Spiritu sancto careant. Multi igitur & libros scripturæ manibus tenere, & Spiritum sanctum habere possunt, qui tamen certò cognoscere & iudicare an hæ Sacre Scripturæ sint, minimè valent. Vnde sequitur sacre scripturæ approbationem & certitudinem non ex ipso verbo per Spiritum nasci, manare, perfici, per Spiritum, inquam, simpliciter acceptum. Ad hoc quippe requiritur Spiritus ille, tum discernendi verita à falsis, tum etiam decernendi, determinandi ac tradendi alijs quod verum esse inuenitur. Qui sanè Spiritus in solis Ecclesiæ magistris est, quibus hanc potestatem & infallibilitatem Deus dedit. Quæ quum ita sint, immediata & extraordinaria reuelatio ex verbo ipso petita, ad verbi cognitionem nequaquam sufficit, non magis quàm ad alia fidei dogmata, sed ordinarium medium vocis Ecclesiasticæ à Deo institutum huic rei adhibendum est.

Deinde etsi quod assumis verum esset, non tamen quod ex eo concludis, sequitur. Etsi, inquam, scripturæ certitudo ex verbo ipso per Spiritum nasceretur, & maneret, tamen tota hæc certitudo per reuelationem fieret extraordinariam & immedia-  
 tam, quæ nunc in fidei quæstionibus non est expectanda, aut pro certa & infallibili regula assumenda. Qui enim ex ipsis scripturis earumque sola lectione per Spiritum certitudinem accipit, ab ipso Dei Spiritu immediatè illam accipit & extraordinariè. Neque enim lectio scripturarum est ordinarium medium à Deo ordinatum, quo fides gignatur, sed hoc ordinarium medium est sola vox Ec-  
Scripturæ  
notitia ex  
verbo per  
Spiritum  
est extra-  
ordinaria,  
ideoque  
certa &  
infallibi-  
lis nõ est.

ecclēsiæ, de qua sola tot sunt elogia totque præcepta  
 ut audiatur: neque ut in præcedentibus probatum  
 est, certitudo scripturarum ex ipsarum sola lectio-  
 ne comparari potest. Scrutari, legere, euoluere scri-  
 pturas, quæ iam creduntur, medium sanè est fidem  
 orthodoxam clariùs intelligendi & confirmandi.  
 Sed ut credantur tales esse, vel ipse diuinus Spiritus  
 immediatè & extra ordinem docere, vel vox Ecclē-  
 siæ, testimonium & authoritas ad hoc inducere di-  
 uino cooperante Spiritu debet. Quamuis ergo cer-  
 titudo scripturarum ex ipsis scripturis petita, non  
 sit ab ipsa doctrina librorum separata, est tamen  
 (nisi commune medium & testimonium Ecclēsiæ  
 accedat) tota extraordinaria & immediata. Sic hæc  
 tuæ responsio Argumenti nostri vim non eneruat,  
 quæ hæc erat. Scripturarum certitudo ab imme-  
 diata aliqua, & extraordinaria reuelatione non ma-  
 gis accipienda est, quàm cætera quæ sunt fidei: ergo  
 ab Ecclēsiæ voce accipienda est, sicut cætera quæ  
 sunt fidei.

*Whitakerus.*

Sed libenter ab ijs scire velim, ynde Ecclēsia hoc  
 cognitum habet, Scripturam nempe Dei verbum  
 esse. Si dicant per priuatam aliquam reuelationem  
 tum concedunt extraordinarias priuatasque reue-  
 lationes hodie etiam valere, atq; ita entusiasmos  
 statuunt & confirmant. Nam hanc authoritatem  
 Ecclēsiæ etiam hodie tribuunt.

*Stapletonus.*

Authoritatem Ecclēsiæ circa scripturarum no-  
 titiam, & approbationem, omnes sanè Catholici  
 tribuimus, & hoc in loco contra te ego defendo.  
 Extraordinarias verò & priuatas reuelationes, Ec-  
 clēsiæ nos tribuere si existimas, tam à sententia Ca-  
 tholicorum peregrinaris, quàm à religione Catho-  
 lica

lica peregrinus es. Sanè si nostrum hoc Opus quod impugnas, legisses (quod quidem æquum erat, antequam id impugnares) à me contrarium doceri inuenisses. Sic enim huius Operis lib. 8. scripsi. *Maggi- stri posteriores (scilicet post Apostolos) non tam nouas à Spiritu sancto reuelationes expectant, quam maiorum suorum, maximeq; Apostolorum vestigijs & semitis inhaerent.* Sed & cap. præcedenti doceo Ecclesiam Apostolos sequutam in dubijs circa fidem discutiendis immediata & sola reuelatione Spiritus sancti non uti; sed facta inquisitione, &c. ad veritatis certitudinē peruenire. Quare hanc sententiam nobis impingere non debebas, aut de nobis ea dicere quæ ignoras.

*VWhitakerus.*

Si per ordinarium aliquod medium, tum per ipsum uerbum cognouisse fateantur necesse est.

*Stapletonus.*

Hoc in loco non tam crassa, quàm quasi affectata tua videtur ignorantia, Doctor indocte. Sic enim quasi volens ineptiam tuam prodere, sine ratione ratioeinaris. Si Ecclesia per aliquod medium ordinarium cognouit scripturam esse uerbum Dei, ergo per ipsum uerbum cognouit. An nullum ergo aliud medium est, quo Ecclesia scripturas falsas à ueris possit discernere? Primum ad hanc rem habet internum medium, & quidem maximè ordinariū, perpetuā Spiritus sancti assistentiā & infallibilitatē, ut huius Operis quod impugnas lib. 8. probatū luculenter est. Deinde habet alia externa media complura, ut hoc ipso lib. 9. quem ex professo tibi refutandum sumpsisti, à me demonstratum est. Nempe Regulam fidei, Patrum testimonia, Antiquitatis consensum. Tales tu formas consequentias, quæ non aliud sunt quàm fallaciæ consequentis. Quis enim in Theologia vel mediocriter versa-

*IO. Sect.*  
Collectio  
absurdif-  
sima.

*Media or-  
dinaria  
quibus  
Ecclesia  
de fide  
iudicat.*

tus, non videt ista duo, medium ordinarium & verbum Dei non sic esse comparanda, vt illud sit antecedens & hoc consequens, sed potius vt hoc sit antecedens, & illud consequens?

*VWhitakerus.*

*11. Sect.* Pergit Stapletonus. Sed non potest rationibus peruestigari hunc librum Apocryphum esse, illum Canonicum: hunc authenticum, illum adulterinū magis quàm cætera fidei dogmata: ergo per Ecclesiam debet probari, sicut cætera fidei dogmata. Respondeo. Non sequitur. Humanis enim rationibus probari non potest Christum natum esse ex virgine, à mortuis resurrexisse, ad cælos cum corpore ascendisse. Ergone omnis horum & aliorum articulorum fides ab vnus Ecclesiæ autoritate testimonioque pendet? Hæc non aliter vera esse credimus, quàm quia Ecclesiæ placet vt sic credamus? Nequaquam verè.

*Declamatio nõ re-  
tutatio.*

*Stapletonus.*

Hoc in argumento Theologico dissoluendò nugacem rhetorem agis, & inanibus verbis declamitas. Consequentia enim simili proposita, non eam destruis, sed interrogas. Itane verò? Siccine leres habet? Ain tu? Nequaquam verè. Hæc est tua responsio professore Regio sed in schola hæretica digna. Ad rem quod attinet, planè sicut Christum natum esse ex virgine, ita & has esse scripturas diuinas, quia neutrum humanis rationibus probari potest, ab Ecclesiæ testificantis & docentis autoritate probari debet. Qua in re non ea credimus quia Ecclesiæ placuit, vt sic credamus, sed quia Christo placuit ad Ecclesiæ magisterium nos mittere, dicens: *Docete omnes gentes, vt quæ credenda sunt, credamus.*

*Matt. 28.*

*VWhita-*

VWhitakerus.

12. Sect.

Sed quid si concedamus nos per Ecclesiam cognoscere, hoc Dei verbum esse, atque hanc doctrinam veram & Canonicam esse? quod etiam libenter aliquo quidem modo concedimus. Id tamen intelligi debet tanquam per externum quoddam ministeriale medium, quo Deus in nobis docendis uti voluit, non aliter per Ecclesiae ministerium, \* non propter Ecclesiae auctoritatem.

\* Falsum &amp; ridiculum.

Stapletonus.

Nunc tandem per omnia circumactus, & omnibus euadendi vijs ac rimis frustra perentatis, ad nos & ad orthodoxam sententiam redis; aut certe an commodè reuerti queas, circumspicis. Iamque concedis per Ecclesiam cognosci hoc esse Dei verbum, &c. & Ecclesiae medium agnoscis, quo in nobis docendis uti Deus voluit. Sed mox te reprimis, & ne nimis cito resipiscas caues. Per Ecclesiae, inquis, ministerium, non propter Ecclesiae auctoritatem. Atqui bene vir iam in praecedentibus ostensum est, Ecclesiae hac in parte non simplex esse ministerium, sed maximam esse in terris auctoritatem: nec aliud te his verbis dicere, quàm quod rebellis aliquis contra principem suum diceret: Leges regni à rege accipimus per Regis ministerium non propter Regis auctoritatem. Dei quippe respectu cuius gloriae seruit ministra est Ecclesiae, nostro respectu qui ab ea doceri debemus magistra est. Audi Apostolum, quàm clarè vtrumque doceat. Vno in loco dicit. *Quid Apollo, quid Paulus? Ministri eius cui credidistis.* Alio in loco dicit. *In quo (Euangelio) positus sum ego praedicator & Apostolus, & magister gentium.* Verba illa Christi, *Docete omnes gentes,* auctoritatem & magisterium docendi sonant. *Qui vos audit, me audit,* vicariam Christi potestatem significat. *Regere Ecclesiam Dei,* aucto-

Sup. c. 7. sect. 9.

Ecclesiae magisterium, non nudum ministerium.

1. Cor. 3.

2. Tim. 1.

Matt. 28.

Luc. 10.

Act. 10.

Heb. 13. ritatis res est. *Præpositos esse quibus subiacere oportet,*  
 2. Thef. 3. eminentis auctoritatis est. Obedire verbo Ecclesiæ  
 Rom. 6. iuxta illud Apost. *Si quis non obedit verbo nostro, per Epi-*  
*stolam, hunc notate;* magisteriū in eo probat, cui obe-  
 diendum est. Sic Apostolus laudat Romanos. *Gra-*  
*tias ago Deo quòd obedistis ex corde in eam formam doctri-*  
*næ in qua traditi estis.* Sed superbi hæretici obedire  
 nolunt. Auctoritatem Ecclesiæ non sustinent: so-  
 lum ministerium quod Deum nõ nos respicit, con-  
 siderant. Quanquam si, *per Ecclesiæ ministerium,* in-  
 strumentum notat quod causa est, etiam eo solo  
 nomine, quòd per Ecclesiæ ministerium scripturas  
 cognoscimus, propter eiusdem Ecclesiæ auctorida-  
 tem easdem nos cognoscere fatendum est: quate-  
 nus illud, propter, aliquod genus causæ significat.

*Whitakerus.*

13. Sect.  
 Cõparatio  
 inepta.

Quemadmodum ergo qui nuncium accipit de  
 magnis beneficijs sibi à principe promissis aut do-  
 natis, non credit propter ipsum ministrum, & pro-  
 pter ministri auctoritatem, sed propter ipsam prin-  
 cipis munificentiam, aut quia videt tabulas manu  
 principis consignatas, aut quia aliud certum argu-  
 mentum cognoscit; nec propter illum credit etsi  
 per illum, ita nos quidem scripturâ à Deo missam  
 per Ecclesiam accipimus, non tamen à Deo missam  
 esse credimus propter Ecclesiæ tantum auctorida-  
 tem, sed propter ipsius Dei vocem, quem in scriptu-  
 ris clarè diserteque loquentem agnoscimus.

*Stapletonus.*

Sup. c. 4.

Hic rursus ad tuum tabellionem redis, quem  
 hic *Nuncium* vocas, de quo in primo illo Ecclesiæ  
 officio à te descripto, satis opinor, & plura fortasse  
 quàm velles respondimus. Eadem tibi hoc loco  
 responsa putato. Aut si ea tibi non sufficiunt, pau-  
 cula adjiciam prout Deus dabit. Nuncio quem  
 intro-

introducis credi non vis, propter ipsum ministrum & propter ministri authoritatem; sed propter alia quedam: inter quæ primo loco ponis ipsam principis munificentiam. At hoc vide an non sit ridiculum. Esto enim, sit princeps munificentissimus. Illum hanc suam erga me munificentiam exercere velle, quomodo per verbum Nuncij credere possum, nisi ipse Nuncius sit fide dignus, & authoritatem à principe habeat, id mihi principis sui nomine certissime contestandi? Quod in quæstione præsentis maxime valet; quum quicquid per Ecclesiæ ministerium Deus promittit aut donat, nisi prius credam vera mihi per Ecclesiam dici, nihil eorū obtinebo; quod in donis & promissis non ita se habet, nisi per accidens fortasse & perrarò. Denique hæc causa magis ad sacramentorum usum, & beneficiorum Dei prædicationem, quam ad scripturarum cognitionem, de qua sola hic agitur, pertinet. In qua quidem prædicatione & sacramentorum administratione, vt Ecclesiæ loquenti atque operanti credere necesse est, ita tamen sola illa fides vt bonis illis potiamur non facit.

Dei promissa non consequimur, nisi Ecclesiæ ea prædicanti credamus.

Ponis deinde aliam causam, quia videt tabulas vel literas manu principis consignatas. At quid simile videre in scripturis potest, qui adhuc illas nescit aut negat, (de eo enim est hic quæstio) sed per Ecclesiæ vocem ac ministerium primùm audit hos libros esse Dei verbum? An vis vt quum hoc Ecclesiæ testimonium audit, ipse primùm scripturas legat, inspiciat, euoluat, suo illas primùm iudicio scrutetur & examinet; etsi quidem illi probentur, Ecclesiæ testimonium admittat; si non probentur rejiciat? Alioqui ista inspectio tabularum nullum argumentum faceret. Certè hoc modo qui scripturas admitteret, nec per nec propter Ecclesiæ testi-

monium eas reciperet, sed per & propter suum ipsius iudicium. Et re vera huc vos omnia reuocatis, ut *suus cuique animus* (quem internam vocatis Spiritus sancti persuasionem) Norma, regula, & Lydius lapis sit omnium eorum quæ creduntur. Nam & sic hoc loco concludis. *Scripturam* (inquis) *accipimus propter Dei vocem, quem in scripturis clarè diserteque loquentem agnoscimus.* Prius ergo vis scrutari an Deus ibi loquatur, & tunc demum si tibi videatur ibi loqui, id est, si tibi doctrina illa placeat, acceptabis; nec per nec propter Ecclesiam, sed per & propter te ipsum. Tali via ad scripturarum cognitionem venire voluerunt omnes veteres hæretici, qui aliquas scripturæ partes negarent. In quibusdam enim illarum, quia *Deum ibi clarè loquentem non agnouerunt*, sed multa perplexa, difficilia, obscura, male coherentia, alia ipsorum placitis contraria videbantur, non obstante Ecclesiæ Catholicæ testimonio, per cuius ministerium ad illorum librorum notitiam peruenerunt, illas reiecerunt. Talis fuit Faustus ille Manichæus, cuius hæc apud Augustinum vox erat. *Me Manichæa fides reddidit tutum, quæ principio mihi non cuncta quæ ex Saluatoris nomine scripta leguntur, passim credere persuasit, sed probare, si sint vera, si sana, si incorrupta.* Planè sic te Whitakere Calviniana docuit fides, non cuncta credere quæ scripturarum nomine passim habentur, utcunque Ecclesia illis testimonium perhibeat, sed prius probare & scrutari an *Dei vocem in illis clarè diserteque loquentem agnoscas.* Quæ enim te non aliter credere Ecclesiæ dicas, nisi propter hanc Dei vocem sic agnitam, agnoscere autem ibi Dei vocem nisi prius inspexeris &c. non potes, necessariò sequitur te iuxta Manichæi fidem prius probare velle, *si sint vera, si sana, si incorrupta*, quæ sacræ scripturæ esse dicuntur. Hoc videlicet est nudum  
in Eccle-

Hæreticis  
suis cuiq;  
animus  
Iudex est.

Lib. 18. c.  
3. contra  
Faustum.

V Whitakeri &  
Magichæa fides  
eadem.

in Ecclesia ministerium, auctoritatem nullam agnoscere. Hoc est suum cuiusque animum in scripturis admittendis sibi authorem facere ac per hoc non Ecclesie tantum sed et ipsis scripturis iniuriam facere, nec Ecclesie tantum iudicium sed et scripturarum veritatem ad examen vocare. Quare hic qui Manichæam insaniam imitatis Augustini verbis quo Manicheos ille compellauit, & tu compellendus es. *Videtis id vos agere, vt omnes scripturarum de medio auferatur auctoritas, & suus cuique animus Author sit, quid in quaque scriptura probet quid improbet; id est, vt non Auctoritate scripturarum subiiciatur ad fidem, sed sibi scripturas ipse subiiciat, non vt ideo illi placeat aliquid quia hoc in sublimi auctoritate scriptum legitur, sed ideo rectè scriptū videatur, quia hoc illi placuit. Quò te committis anima misera, infirma, carnalibus nebulis inuoluta quò te committis?* Hæc ille Fausto Manichæo: hæc ego tibi Whitakere Caluiniano. Tua enim doctrina hoc totum habet qui vis non propter Ecclesie auctoritatem scripturis credi, sed propter Dei vocem quæ in scripturis clarè disertèque loquentem agnoscis.

Si propter Dei vocem tibi à Spiritu sancto reuelatum diceres, aliquid Manichæo in speciem probabilius aut certe religiosius diceres. In speciem dico religiosius. Nam nec illa præsumpta priuata reuelatio credendi scripturis fidem Christianam Catholicam posset generare, vt in præcedentibus ostendimus: & in sequentibus latius dicemus. Nunc autem quum non propter Dei vocem reuelatam, sed propter Dei vocem quem tu clarè disertèque loquentem agnoscis, has esse scripturas credis, sane propter illam tuam notitiam credis, quæ nec sine præuio examine haberi potuit, nec fidem præcedere debuit sed subsequi. Hanc enim notitiam Dei in scripturis loquentis fides sane parit, meretur, im-

Notitia  
voci di-  
uinæ in  
Scripturis  
loquentis  
sequitur  
fidem, nõ  
generat  
eam.

petrat (vt suprà docuimus) sed hæc notitia fidem non antevertit, multo minus generat sicut causa effectum, quod tu hic dicis, ponendo hanc notitiam Deiloquentis in scripturis pro causa cur scripturis credas. Nempe VWhitakere, nulla via nulla ratio est infinitas circa fidem absurditates euadendi, nulla via nulla ratio est fidei firmiter & absque errore generandæ & conseruandæ, nisi ab Ecclesiæ voce & autoritate eam accipiamus, à qua *non tantummodo* (vt tu hic iterum nugaris) sed necessariò (diuino semper cooperante spiritu) eam accipi debere, in tot & tam perspicuis scripturæ locis prius allegatis, Author & consummator fidei nostræ Iesus Christus eiusque Apostoli docuerunt.

---

C V R Q V V M S C R I -  
P T V R A P E R S C R I P T V -  
R A M C O G N O S C I S E M P E R N E Q V E -  
a t , p e r E c c l e s i æ t e s t i m o n i u m c o g n o s c i s e m -  
p e r d e b e a t .

C A P V T. XIII.

*VWhitakerus.*

**S**E C V N D O \*respondeo. Si Scriptura non potest per Scripturam probari, quod ait Stapletonus, tum certè multo minus per Ecclesiam. Si enim bona Stapletoni ratio est, ideo non posse scripturam per scripturam probari, quia scriptura negari aut ignorari potest, ea quidem ratio multo magis contra Ecclesiam valebit. Non minus enim Ecclesia negari & ignorari possit quàm scriptura. Vocat hanc Stapletonus grauem quæstionem: & quidem

*I. Sect.*  
\* Mendaciū, quia non est responsio tua sed obiectio mea.

dem necesse est vt grauem esse sentiat. Grauior enim est reuera quam vt eam ipse ferre ac sustinere queat.

*Stapletonus.*

Hæc tua (quam vocas) secunda responsio, tua responsio non est; sed est obiectione à meipso proposita libro & capite quod hic impugnas. Nunc tu homo vanus vt dupliciter respondere videaris, quod dudum te facturum pollicebare, nostram obiectionem tuam vocas responsionem, quum nihil aliud hæc tua secunda responsio habeat, quàm hanc obiectionem nostram, non à te excogitatam sed à me mutuata. Sedenim quia grauem esse obiectionem dixi, tu eam à me ita grauem sentiri asseris, vt eam ipse ferre ac sustinere nequeam. Videamus igitur quomodo responsionem meam qua hanc grauem obiectionem excutere conatus sum, tu ita longè propellas, nouumque præterea pondus adijcias, vt humeris illam meis affixam gestare cogar, etsi ferre ac sustinere nequeam. Id enim nobis tuus sermo comminatur.

*VWhitakerus.*

At non est similis ratio (inquit) Ecclesiæ & scripturæ. Quare? quia nullus (inquit) est Christianus qui Ecclesiam omnino ignoret. Sic nec est Christianus quispiam qui scripturas omninò ignoret. Ergo par ratio est vtriusque. 2. Sect.

*Stapletonus.*

Peruertis tu quidem totam responsionis meæ formam, & causam cur nullus Christianus negare vel omnino ignorare Ecclesiã posset, etsi scripturas aliqui Christiani & nescire & negare soleant, quæ hic proximo loco sequebatur tu ad posteriora reijcis. Sequamur tamen orationis tuæ vestigia, quum causam illam saltem ex parte tandem proferas.

*VWhita-*

*Whitakerus.*3. *sect.*\* At hæc  
nulla quæ-  
stio est.

Tunc enim Christianum illum putes qui scripturam totam neget? Maximè inquit. Affirmat enim Christianos quosdam negare scripturam cuiusmodi dicit esse Swenckfeldianos, Anabaptistas, & in Anglia Familistas seu superilluminateos. Respondeo. At \* nos quærimus de veris Christianis. Hi nõ sunt verè sed æquiucò Christiani, sicut Papistæ sunt æquiucò Catholici.

*Stapletonus.*Suprà cap.  
9.Disser-  
toy ablu-  
tus.

Hanc tuam hoc loco responsionem qua negas illos esse veros Christianos qui totam scripturam negant, iam in præcedentibus refutaui, vbi hoc idem quod nunc affirmasti; docuique in Christum sane non credere, non huiusmodi tantum sed nec vllum hæreticum qui vel minimam scripturæ partem in Canonem ab Ecclesia receptam pertinaciter negat. At dicis hic quæri de veris Christianis. Amice, quum contra quemquam disputas, non debes ad eum refutandum ex tua mente tuoque sensu quæstionem formare, sed vt eius argumenta soluas, eius mentem obseruare, & ita quæstionis sensum accipere, quemadmodum ille accipit. Alioqui non contra illum disputas, sed contra argumentum tuum & à te ipso fabricatum arguis. Quæstionis igitur sensum, vt meam responsionem euerteres, sicuti à me accipitur, obseruare debebas. An forte sensum meum non expressi, ideoque tu hunc mihi sensum probabiliter tribuisti? Imo verò verbis disertissimis eum expressi, quo tu impudentior qui illum dissimulasti. Sic enim dicebam. *Fidem & nomen Christi profiteri potest, qui vt ceteras hereses tenere ita etiam totam Scripturam repudiare possit.* Moxque exempla subieci à te memorata. Et adhuc paulo inferius. *Agitur in hac Controuersia de illo iudicio & autho-  
ritate*

veritate circa Scripturas recipiendas cui fideles siue Christiani acquiescere debent quo casu de illis controuertatur: fideles inquam largissimè accepti non autem quo hominibus prorsus infidelibus & paganis persuadeatur. Vides apertissimè me nō agere de veris Christianis, sed de huiusmodi largissimè acceptis & nomen ac fidem Christi profitentibus. Professor eximie si disputare vis, leges disputandi seruare debes.

Sed & præterea doctor indocte, id quod tu quæris nulla quæstio est. Nos (inquis) *quærimus de veris Christianis*. At verus Christianus vel minimam scripturæ partem in Canonem receptam nūquam negabit, nedum totam scripturam. verus enim Christianus negans totam scripturam implicat contradictionem in adiecto, vt logici loquuntur. Quare dementiæ esset hoc quærerere. An quia tu tam demens es vt hoc quærerere velles, me quoque tam dementem putasti vt hoc quæsierim? Manet igitur prima pars discriminis à me positi. Christi fidem ac nomen profiteri possunt qui totam scripturam negant, & propter hos necessaria est Ecclesiæ Christianæ autoritas.

*VWhitakerus.*

Fieri quidem potest vt sint Christiani nonnulli qui scripturæ Canonem ignorent, aut ne viderint quidem vnquam aliquos libros, doctrinæ tamen quæ in Canone scripturarum continetur, necessariæ assentiuntur. Alioqui certè Christiani dicendi non sunt. 4. Sect.

*Stapletonus.*

Hoc ipsum ego dixeram, & ex testimonio D. Christiani Irenæi probaueram. Posui enim, Christianos nescientes scripturam, quorum vtrique Ecclesiæ autoritate ad scripturarum agnitionem induci debent. veri esse possunt qui Scripturas ignorant. Hoc igitur concedis Christianos esse posse nescien-

tes adhuc scripturæ libros. Hos docui per Ecclesiæ  
 auctoritatem inducendos vt scripturas recipiant.  
 Hoc non impugnas, sed tacendo consentis. Quod  
 verò addis huiusmodi tamen doctrinæ in scripturis  
 contentæ assentiri, idem sane in illis *æquiuocè* Chri-  
 stianis sæpenumero locum habet. Non enim Su-  
 enckfeldiani idcirco scripturas negabant, eo quod  
 doctrinam in illis comprehensam reijcerent, sed eo  
 quod eandem doctrinam ex immediata S. Spiritus  
 reuelatione & explicatione accipiendam, non ex li-  
 tera scripta asserebant, vt ex Caluini tui contra ver-  
 tiginosos illos quos vocat disputatione (quam su-  
 perius citavi) satis euidenter constat. Superillumi-  
 nati quoque in Anglia non omnia doctrinæ capi-  
 ta reijciunt, sed à spiritu non à litera scripta ea peti  
 volunt.

Authori-  
 tatis Ec-  
 clesiasticæ  
 necessitas  
 ex aduer-  
 sarij con-  
 fessione  
 probatur.

Sed hic obiter à te quæro Whitakere, isti Christi-  
 ani quos scripturæ Canonem ignorare posse affir-  
 mas, & nihilominus doctrinæ necessariæ in scri-  
 pturis contentæ assentiri, hunc suum assensum vnde  
 acceperunt, hanc fidem vnde didicerunt? An ex  
 immediata Dei reuelatione & sola doctrina spiri-  
 tus? Hoc est quod volunt Swenckfeldiani & verti-  
 ginosi illi quos Calvinus refutat, tuique in Anglia  
 superilluminati. An ab Ecclesiæ prædicatione &  
 testimonio? Hoc est quod nos volumus, & quod  
 summa ratio cogit. Veruntamen tu hic dispice ve-  
 lis ne potius Swenckfeldianis & vertiginosis illis  
 gratificari, quàm veritati Catholicæ assentiri. Hoc  
 sanè posterius si facis, iterum euicimus scripturæ  
 certitudinem ab Ecclesiæ testimonio necessariò  
 pendere.

*VWhitakerus.*

5. Sect. Quod verò ait Christianos nullos Ecclesiam  
 ignorare, si de Romana Ecclesia loquatur, multi  
 certe

certè Christiani eam ignorarūt, & iam etiā igno-  
rant: multi de ea ne audiuerunt quidem. Num ille  
hos omnes à spe salutis excludet? \* Si verò aliam  
Ecclesiam intelligit, nihil ad rem facit.

*Stapletonus.*

Dicis Romanam Ecclesiam à multis ignorari,  
ac multos de ea ne audiuisse quidem. Dicis sed non  
probas, vel argumento, vel exemplo, vel vlla prorsus  
ratione. Age igitur. Ego affirmo Romanam Ec-  
clesiam à nullis Christianis ignorari, nec vllos esse  
Christianos qui de ea non audiuerint, imò quod  
plus est, qui eius communionem non tenuerint.  
Tu qui hanc vniuersalem negas propositionem da  
instantiam. Tu qui eam à multis ignorari dicis,  
ostende aliquos. Hæc est legitima disputandi ratio  
quam tu obseruas nunquam. Sed & illud tibi præ-  
dico te nullos populos proferre posse Romanæ Ec-  
clesiæ ignaros, qui non iisdem grauissimis circa fi-  
dem erroribus implicati fuerint; quod illæ reliquæ  
Christianorum quas in India orientali Lusitani  
inuenerunt ex parte demonstrant. Sed vbi populos  
protuleris Romanæ Ecclesiæ prorsus ignaros, qua-  
les Christiani sint & an hoc nomine digni, dispicie-  
mus.

Romana  
Ecclesia  
à nullis  
Catholi-  
cis Chri-  
stianis  
ignoratur.

Quod verò addis, *si aliam Ecclesiam intelligit nihil  
ad rem facit*, verissimè sane dixisti; sed cōtra sectam  
tuam Calvinianam aliasque sectas omnes à Roma-  
næ Ecclesiæ communionem seiunctas mirificam sen-  
tentiam protulisti. Illas enim sectas omnes à vera  
Ecclesia alienas esse, pronunciaisti. In hac quippe  
Quæstione an aliqui Christiani possint Ecclesiam  
ignorare, vbi nō nisi de vera Christianorum Ec-  
clesia quæritur, tu disertissimè dicis. *Si aliam Ecclesiam  
intelligo quàm Romanam, hoc nihil ad rem facere.* Est er-  
go sola Romana Ecclesia vera Christianorum Ec-  
clesia:

eclesia: & per consequens omnes sectæ vestræ ad Satanæ Synagogas pertinent. Ex ore tuo te iudicas ipsum Magister egregie.

Whitakerus.

6. Sect.

\*Ridicula  
euasio.

\*Mendacium in  
causa  
ignorantiæ  
fundatū.

Sed probat Christianos nullos Ecclesiam ignorare, quia in Symbolo Ecclesiam credimus. Credimus quidem (fateor) Ecclesiam in Symbolo: \* verum non hanc vel illam, sed Catholicam Ecclesiam, quæ non est particularis aliqua hominum, nedum Romana Synagoga, ad vnum locum alligata; sed cætus electorum qui ab initio mundi fuit, qui que ad finem mundi futurus est. Et quare credimus? \* Nullo certè alio argumento inducti, quàm scripturarum auctoritate: quæ scilicet scriptura nos doceat talem esse in mundo cætū, vt contra donatistas millies Augustinus repetit: non quia hoc quæuis Ecclesia testatur aut profiteretur.

Stapletonus.

Disputatoris varia  
absurditas.

Ecclesiam  
ignorare  
nullus  
Christianus  
posset.

Disputatorem te magis ineptū, absurdum, perfunctorium, & negligentem inuenire, difficile fuerit. Quid dicas aut quàm appositè dicas, nihil pensi habes. Vetera tantum sectariorum tuorum dictata, & quicquid præterea in buccam venerit respondes; optimè respondisse ratus si aliquot inanibus verbis chartam replere valeas. Istud quum hætenus perpetuò ita se habere, ex hac nostra defensione facile lector aduertere potuerit, tū verò & hic aduertere licet maximè. Probare volui à nullo Christiano Ecclesie auctoritatem vel omnino ignorari, vel simpliciter negari posse. Id vt probarem, hanc rationem attuli. Quia in ipso Symbolo profitemur nos credere Ecclesiam: tanquam medium credendi alia omnia. ideoque præsupponitur necessario cognitio, obedientia, & nexus Ecclesie in quocumque fidei. Hæc ibi: Nempe quia hæc Symboli professio exordium est totius Christianismi, & id quod Catechumeni

chumeni imprimis tenere coguntur vt Christiani  
 fiant: vt sine cuius professione nemo ad baptismum  
 admittitur. Est ergo Argumentum meum huius-  
 modi. Omnes Christiani in ipso Symbolo, totius  
 Christianismi exordio, Ecclesiam se credere profi-  
 tentur. Ergo nullus Christianus Ecclesiæ autori-  
 tatem omnino ignorare aut simpliciter negare po-  
 test. Simile argumentum hoc est. Omnes ciues Ro-  
 mani qui ad illam ciuitatem cooptantur, vel reci-  
 piuntur, profitentur se esse Romani imperij ciues,  
 subditos, & membra. Ergo nullus ciuis Romanus  
 Romani Imperij autoritatem omnino ignorare  
 aut simpliciter negare potest. Hoc Argumentum  
 nostrum de Ecclesia tu nec admittere vis, nec eti-  
 am eius vel antecedens vel consequentiam negare  
 audes, sed ad impertinens te conuertis, & primum  
 disputas, *quæ sit illa Ecclesia quam credimus*: deinde,  
*quare eam credimus*. Neutrum autem horum ad ar-  
 gumenti solutionem facit. Quæcunque enim aut  
 qualiscunque sit Ecclesia quam in Symbolo credi-  
 mus, ex quacunque etiam causa id credimus, firmum  
 manet Argumentum tū ex parte antecedentis, tū ex  
 parte consequentiæ. Nam ex parte antecedētis nihi-  
 lominus verum manet, quod de facto Ecclesiam nos  
 credere in Symbolo profiteamur. Ex parte quoque  
 consequentiæ seruat legitima colligendi ratio ex  
 attributione vnius contrariorum, remouendo alte-  
 rum. Sic totus hæres in impertinenti vt aliquam  
 solutionem adhibuisse imperitiis videare.

Deinde in eo ipso quod de Ecclesiæ qualitate  
 hic affirmas, magis ludificas, & ineptius disputas.  
 An nõ enim ille ineptissimè disputaret, & ex omni-  
 bus philosophorum scholis exhibendus esset, qui  
 verbi gratia contra septimum & octauum Aristo-  
 telis physicorum libros disputans, sed contra prio-

Semel  
probata  
simplici  
negatione  
refutati  
non pos-  
sunt.

res sex libros nihil in medium adferens, ea quæ Aristoteles in prioribus libris de rerū principijs, & de motu probasset cū eorū forte mētio in disputatiōnē incideret, proflus negaret suāque Aristoteli contrariā sententiā pro vera & indubitata poneret? An non quæ in prioribus libris sex Aristoteles probauerat, & probata ac confirmata reliquerat, ideoq; in sequētibus suis libris ea iā nō probaret amplius, sed pro veris & indubitatis poneret (quod perpetuo Aristoteles facit, omnesq; qui via & ratione disputare volūt, facere solēt) insulsus iste disputator vel cum Aristotele admittere deberet, vel contra Aristotelem refutare, si diuersā ab eo sententiā tenere vellet? Istud sane tota disputandi ratio in quacunq; scientia seu sacra seu prophana manifestissimè docet. Nunc ergo tu VWhitakere contra nostrum librum 9. de Principijs fidei &c. Disputans, & in hac tua disputatiōne Ecclesiæ mentionem sepe numero faciens, quæ quidem Ecclesia qualis sit & cur talis esse credatur, in primis quatuor huius operis libris accurata disputatiōne demonstraui, tu insulsissimus disputator, rancidam illam veterem & iam dudum protritā ac proculcatam tuorum cāntilenam, atque à me ipso refutatam mihi denuò obtrudis, tum circa Ecclesiæ qualitatem, tum circa causam cur talis credatur: quasi nunc eius rei inquirendæ locus esset, aut tota prior nostra disputatiō à te intacta nec à quoquam hactenus tuorum refutata, hic tibi repetenda foret tuaque dementissima sententiā hic denuò refutanda. Caterum quia tu disputator absurdus & impudens ea semper negas quæ semel copiosè asserta sunt, & ea semper affirmas quæ prius accuratè refutata sunt, in eo inquam opere in quo versamur asserta & refutata sunt; non idcirco & ego tecum absurdus esse, actumque agere, & semel probata

probata vel refutata rursus probare aut refutare debeo. Talis est ut dixi, tua hic absurdissima & ineptissima disputandi ratio. Vanissima verba quæ hic effudisti, in quatuor libris citatis copiosè refutata Lector inueniet.

Vnum illud dissimulare non debeo, quod temerè hic affirmas, Credere nos in Symbolo Ecclesiam Catholicam, *nullo alio argumento inductos, quàm scripturarum auctoritate.* Nam Symbolum & proponitur baptizandis cathecumenis, & ab illis creditur, & quod credunt, profitentur, ante ullam sacrarum scripturarum cognitionem, sola matris Ecclesiæ auctoritate, ut ex Augustino de Symbolo ad Cathecumenos, totaque veteris Ecclesiæ praxi (ubi adulti frequentissimè baptizabantur) manifestum est. Deinde hoc eodem cap. sect. 4. tu ipsemet scripsisti: *fieri posse ut sint Christiani nonnulli, qui scripturæ Canonem ignorent, aut ne viderint quidem vnquam aliquos libros.* Sequitur ergo vel Christianos nonnullos esse posse, qui Symbolo non credant, (quod si dicas, magis impius quàm stultus es;) vel multos credere in Symbolo Ecclesiam Catholicam scripturarum auctoritate non inductos, utpote quorum libros ignorent; quod quum agnoueris, temerè hic & falsò dixisse conuinceris, nullo alio argumento, quàm scripturarum auctoritate inductos, nos in Symbolo credere Ecclesiam Catholicam. Sed mendacem memorem esse oportere, quum tu toties mentiaris, nunquam potes meminisse. Porro hunc articulum, ut & totum Symbolum ab Ecclesia nobis proponi, & absque vlla scripturarum auctoritate à plerisque fidelibus credi, in hoc Opere ostendimus. Deinde si nullo alio argumento inducti, quàm scripturarum auctoritate credimus in Symbolo Ecclesiam Catholicam

Symbolū non creditur propter solā scripturæ auctoritatem.

Lib. 9. c. 4.  
 Sup. c. 2.  
 sect. 6. &  
 c. 13. sect.  
 4.

ergo iuxta tuam contra me in disputationis huius principio argumentandi formam, Spiritus Sancti internam persuasionem remoues & excludis. Mendacem iterum memorem esse oportet.

Hæreticorum  
 euasio  
 rebellibus  
 conformis.

Sed nec illud taceri debet, quàm planè rebellis cuiuspiam & perduellionis in morem hoc loco respondes. Probare volo nullos Christianos Ecclesiam ignorare, quia omnes Christiani in Symbolo Ecclesiam se credere profitentur. Hic tu respondes: Credimus quidem Ecclesiam in Symbolo, verum non hanc vel illam, sed Catholicam Ecclesiam, quæ non est particularis aliqua hominum, nedum Romana Synagoga ad vnum locum alligata, sed cætus electorum, qui ab initio mundi fuit, &c. Dico hanc responsionem rebellis cuiuspiam & seditiosi ciuis vocem esse, qui suo magistratui obedire recuset. Quemadmodum enim ciuis aliquis seditiosus & rebellis, qui quæ factioni alicui nouæ exortæ adhæret, & tyranni cuiuspiam partes sequitur, qui contra Imperatorem legitimū arma sumpsit, admonitus se ciuem Romani Imperij esse, seque illud iam dudum professum fuisse, ideoque ab Imperio Romano deficere, aut nouam aliquam factionem sequi non debere, sed potius magistratui loci in quo agit, quemque Romano Imperio adhæreret videt, obedire eum oportere; si adhuc rebellis & refractarius manere volens, ita responderet; Agnosco quidem Romanum Imperium, verum non hanc vel illam Romani Imperij ciuitatem, sed Romanum Imperiū vniuersum, quod non est particularis aliqua quorundam ciuium societas, nedum huius loci magistratus, aut ipsius vrbis Romæ princeps, ad vnum locum alligatus, sed societas amplissima liberorum hominum qui ab Imperij exordio libertate Romana gauisi sunt;

sunt; an non omnium iudicio seditiosus & perduellis haberetur, dignusque qui hostis publicus declaratus, publica sententia plecteretur? An non hæc responsio insani hominis absurdissima euasio omnibus statim videretur? Quis enim nescit Romanum quidem Imperium non esse ciuitatem aliquam particularem, aut ipsam urbem Romanam, aut vni loco alligatam, sed per multas gentes quã latissimè patere? Alias tamen ciuitates, alia loca omnia Romano Imperio adhærentia, ad ipsum Romanum Imperium pertinere, eiusque partes esse; ideoque qui Romani Imperij ciuis esse vult, magistratui suo locali, parere & obedire debere: quamdiu sanè magistratus ille in obedientia & societate Romani Imperij gubernat? Eodem sanè modo vt rebellis Ecclesiæ Catholicæ, id est, vt hæreticus respondes tu hoc loco, quum dicis te credere Ecclesiam Catholicam, quæ cætus est ab orbe condito, non autem hanc aut illam Ecclesiam, &c. Qui enim credit Catholicam Ecclesiam, credit omnes eius partes, & omnes particulares Ecclesias huic adhærentes, Romanam autem Ecclesiam præcipuè, non vt localem aliquam ac particularem, sed vt Matricem Ecclesiam (vt Cyprianus loquitur) vt caput & fundamentum cæterarum: vt alio in loco à nobis ostensum est. Quod postremò ais Augustinum millies repetere nos nullo alio argumento credere Ecclesiam, quàm scripturarum autoritate, vbi vel vnum locum ostenderis, à mendacio te excusabo. Sed tuarum absurditatum explicandarum nullus esset finis, si singulis immorari vellem.

*VWhitakerus.*

Sed Ecclesia (inquit) est medium credendi reli-7. *Scit.*  
qua omnia, ergo & scripturas esse credendi me-

\*Diale-  
ticesig-  
norantia  
\*Theolo-  
gia igno-  
rantia.

diū est. Respondeo. \* Est medium reuera non principium, & medium externum duntaxat & ministeriale. \* Principale verò mediū est ipsum verbum. At causa principalis est Spiritus. Ecclesia verò est inferius organon.

*Stapletonus.*

Salve solertissimè inuestigator Medij. Quàm solerticoniectura in meis ipsius verbis perspexisti medium quo probares, Ecclesiæ authoritatem nō esse principium? Hoc enim modo id colligendum esse insinuas. Est medium credendi, ergo non est principium credendi. Simili acumine iudicas etiā medium & causam distingui debere; quasi ista inter se pugnent; esse medium, & esse principium: vel, esse medium & esse causam. Aliud te docere potuisset, antequam præclaram hanc disputationem tuam prælo commisisses, Academicus aliquis Cantabrigiensis in scientia de demōstratione versatus: nempe ista omnia, esse medium, & esse principium, & esse causam eidem conuenire. Nam quod est medium positione, siue syllogisticum, idem est principium probationis seu demōstrationis, & eius quod demonstratur causa. Aduerte iam Doctor indocte quàm bene sequatur. Quod in demōstratione ad probandum assumitur, est medium: ergo non est demōstrationis principium. Talis enim hic tua est consequentia. Authoritas Ecclesiæ est medium credendi reliqua omnia; ergo non est principium. Cuius solutionem hanc accipe. Authoritas Ecclesiæ est medium per quod homines ad fidem perueniunt, ita vt sit principium reliqua omnia credendi, & causa in suo genere propter quam credantur. Id quod etiam de Spiritus sancti inspiratione dicendum est, quod sit medium, principium & causa credendi. Sed

Eadem propositio est mediū, principium & causa demōstrationis.

Ecclesiæ vox est medium, principium, & causa credendi in suo genere.

hæc

hæc est interna & principalis, illa externa : quæ licet Spiritus sancti sit ministra & organum, nobis tamen est magistra, & inter omnia externa media, principia, & causas credendi, planè principalis. Quod enim tu affirmas *principale medium verbum est, Ecclesia externum duntaxat & ministeriale*, quàm ineptè à te affirmetur, qualeque medium Ecclesiæ loquentis vox sit, & plusquam ministeriale quoad nos, planèq; principale medium à Christo institutum, iam in præcedentibus latè & frequenter ostendimus. Tu autem scriptum verbum esse principale medium credendi, sicut hætenus probare non potuisti, ita nec probabis vnquam. Ecclesia sanè est inferius organon ipso Spiritu sancto, sed est ipsius Spiritus S. organon, vt tuus Calvinus disertè docuit, tuq; hic agnoscere videris: quod si facis, sufficit nobis; modò agnoscas esse organum necessarium, ordinarium, & infallibile, quod nos huius Operis 8. libro probauimus, cuius tu hic nonum refutare contendis.

*VWhitakerus.*

At in Symbolo (inquit) Ecclesiam credimus, nō *8. Sect.* autem scripturas. Respondeo duo. Primùm, fateatur Stapletonus nos Ecclesiam credere. \* *Quæro* *\* Sed hæc* igitur quomodo & propter quid? Si dicat propter *quæstio* Ecclesiam, tum idem propter idem credimus. At *nihil ad* hæc nulla est probatio, vel ex ipsius sententia. Omnis enim probatio, (vt ipse alicubi inquit) est ex notioribus: ergo per aliud Ecclesiam credimus: nempe per scripturam & Spiritum. *rhõbum.*

*Stapletonus.*

Hæc rursus tua responsio, tua responsio non est *Obiectio-* sed mea obiectio, quam huius Operis quod impu- *nem alie-* gnas lib. 8. cap. 21. proposui, eodemque in loco sol- *nam pro-* uis: contra quam solutionem tu nihil disputas. Qua *lutionem* in realiorum hodie hæreticorum more facis qui *diffimu-* lac.

Obiectiones Scholasticorum quasi sua argumenta, suæque hæreseos firmamenta proponunt, sed solutiones quas subiiciunt, altissimè dissimulant. Quid ergo? An vis ut obiectionis meæ solutionem repetā, & actum agam? Id quidem necesse non est, tum quia in multorum manibus Opus illud nostrum sæpius recusum versatur, tum quia infra plenior respondendi locus dabitur, vbi tu inter argumenta tua (quibus singulis respondere statui) hanc eandem obiectionem repetis, magisque vrges & premis. Vno tamen verbo & hic quoque respondebo, quod in alio Opere nostro responsum non fuit. Absurdum tibi videtur, quòd Ecclesiam in Symbolo credamus, propter ipsam Ecclesiam quæ Symbolum nobis tradidit. Dic igitur bone Whitakere, Quum Apostoli Christum Iudæis & gentibus prædicarent, verbi gratia, quum Petrus omnium primus resurrectionem Christi Iudæis prædicabat, nonne suum ipsimet testimonium proferebant? Veterum quidem scripturarum testimonia proferebat Petrus, sed suum quoque & fratrum suorum, id est, Ecclesiæ quæ tunc erat testimonium perpetuò allegabat. In prima concione, quum dixisset, *Hunc Iesum suscitavit Deus*, adiecit, *cuius omnes nos testes sumus*. In secunda concione post sanatum claudum habita, similiter. *Quem Deus suscitavit à mortuis, cuius nos testes sumus*. Rursum è carcere educti coram principibus sacerdotum. *Nos sumus testes horum verborum, & Spiritus sanctus quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi*: vbi Ecclesiæ testimonium externum cum diuini Spiritus interno testimonio Petrus coniunxit, iuxta id quod ei cæterisque Apostolis Christus prædixerat, *Ille Spiritus sanctus testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis de me*. Adhuc iterum in concione quam in domo Cornelij Petrus habuit, hoc est,

Ecclesiam  
in Symbolo  
credere  
propter  
Ecclesiæ  
authoritatem  
absurdum  
non est.

Act. 2. 32.

Act. 3. 15.

Act. 5. 32.

Joan. 15.

est, in prima concione ad gentes habita, dicit Petrus, *Et nos testes sumus omnium quæ fecit Iesus in regione Iu-* Act. 10.  
*deorum & Ierusalem, &c.* Denique hanc ob causam 38.  
 scribit Lucas, *Virtute magna reddebant Apostoli testimo-* Act. 4. 33.  
*nium resurrectionis Domini nostri Iesu Christi.* In his om-  
 nibus quum suum testimonium, seque ipsos verita-  
 ris quam prædicabant testes Apostoli allegabant,  
 an tu VWhitakere cum perfido aliquo Iudæo obsi-  
 stere vis & dicere? Vos testimonium perhibetis de Apostoli  
 vobis ipsis, & vestra authoritate verba vestra pro- suo testi-  
 bare nobis vultis. Quare idem probatis per idem. monio  
 Probatio vestra nullâ est. Quum enim Ecclesia sua doctrinâ cõ-  
 Symbolum nobis proponit, & iubet credi Symbolo firmabât.  
 quia ipsa vt testis veritatis eam nobis pro fidei Sym-  
 bolo commendat, nihil aliud facit quàm quod A-  
 postoli dixerunt. *Nos horum verborum testes sumus.*  
 Præterea quum procedente tempore non solum  
 Christi mortem & resurrectionem, quæ duo ante  
 omnia proponenda fuerant, sed & reliqua omnia  
 fidei capita, ac demùm Symbolum hoc ipsum Apo-  
 stoli fidelibus traderent (Symbolum enim Aposto-  
 lorum hoc est, & ab ipsis Apostolis editum, vt tota  
 antiquitas testatur) quum in ipso Symbolo Apo-  
 stoli dicendum præscriberent, *Credo Ecclesiam Catho-*  
*licam,* an tu VWhitakere illis hunc articulum tra-  
 dentibus spiritu hæretico obgannires? Vos estis Ec-  
 cleiâ & Ecclesiarum Præpositi ac Magistri. Vos iu-  
 betis nos credere Ecclesiam. Ergo idem probatis  
 per idem. Probatio vestra nulla est. An non vides  
 quàm est impia & absurda tua obiectio, quam à me  
 propositam accipere voluisti, sed à me solutam ad-  
 uertere noluisti? Cæterum plura infra dicentur ad  
 argumentum tuum 3.

At ego superius dixi, omnem probationem ex Infra lib.  
 nonioribus fieri. Quis hoc dubitat, quando ratione 3. ca. 2. 3.

Q 5 & argu-

& argumento probanda & demonstranda res est? At in causa fidei argumenti vicem auctoritas supplet, quæ semper aliquo modo notior est, eo quod credendum proponitur. Idcirco vt in exordio fidei miracula ipsis prædicatoribus notiora erant, sic propagato Euangelio, & stabilita fide Christiana, notior est Ecclesiæ Catholicæ auctoritas, quàm quodlibet dogma fidei in causis & principijs suis: ideoque ab Ecclesiæ auctoritate vt nunc notissima, petenda fides est. *Christus* (ait Augustinus, quod & de Apostolis primisque prædicatoribus verum est)

Dei vtilit  
eccd. c. 14.

*miraculis conciliauit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem; multitudine obtinuit vetustatem; vetustate roborauit religionem.* Hæc ille. Nunc ergo Ecclesiasticæ traditionis & prædicationis vetustate, tanquam notiori principio & medio roboratur religio. Sic Symbolum & articulus de credenda Ecclesia, ab ipsa Ecclesia vt notiore principio proponitur. Deinde rogo à te VWhitakere, cur tu credis scripturis? Respondebis, quia Spiritus per scripturam hoc docet, vbi dicitur: *Scrutamini scripturas.* Ergo & hic idem per idem probatur, & scripturæ sibi ipsi testimonium perhibent.

Scripturæ  
authoritas ex  
scripturis.  
Ioan. 5.

Disputator  
absurdus.

Sed interim quid hæc tua responsio aut mea obiectio ad rem præsentem facit, in qua nunc veriamur? Profsus nihil. Volui enim hoc loco probare Christianos posse ignorare scripturas; sed non Ecclesiam, quia videlicet in Symbolo, quod nullus Christianus ignorat, Ecclesia credenda proponitur non scripturæ. Ad hoc tu nihil respondes, sed noua iniecta quæstione, cur in Symbolo Ecclesiam credimus, & illo fumo excitato, sic quasi per tenebras fugere, & argumenti vim euadere te posse putasti, Magnus es sanè disputandi artifex, & à quo magistro discere debeant, qui nihil rectè disputandi artè discere volunt.

VWhita-

101

*VWhitakerus.*

Secundum. \*Reiicit Stapletonus hoc modo <sup>9. Sect.</sup> scripturam ex Symbolo, cum ait nos in Symbolo <sup>\* Mendacium.</sup> Ecclesiam credere, non scripturas. Sed scriptura <sup>\* Probatio.</sup> Symbolo non reiicitur. Symbolum enim est epito- <sup>sophisti-</sup> me & compendium totius scripturæ, & \* omnes ar- <sup>ca.</sup> ticuli ipsius Symboli ex scriptura confirmantur.

*Stapletonus.*

Multum laboras, sed inaniter, vt singularem Ecclesie prærogatiuam euertas, qua notaueram in Symbolo vnumquemque profiteri quod credat Ecclesiam, non item quod credat scripturas. Primum dicis me hoc modo scripturam ex Symbolo reiicere. Sed si totam meam sententiam paucissimis verbis comprehensam posuisses, hoc tam impudens commentum obijcere, etiam tua frons erubuisset. Hæc enim mea verba fuerunt. *In ipso Symbolo profiteamur nos credere Ecclesiam, non item scripturas, quarum in Symbolo nulla fit mentio.* Ecce hoc solum dixi nullam in Symbolo scripturarum mentionem fieri, nec in Symbolo nos profiteri, quod credimus scripturas. Nunc tuum erat ostendere (si hæc omnino verba exagitare voluisti) vel nos in Symbolo profiteri quod credimus scripturas, vel earum in Symbolo mentionem fieri. Neutrum horum quia præstare potuisti, & tamen verba illa vellicare quoquo modo voluisti, fingis aliud quod aliquo colore te posse impugnare existimasti. Næ tu miser & ignauus aduersarius es, qui magno me refutandi pruritu laborans, non aliter mea refutare potes, quam vt omni mea sententia dissimulata, nouam affingas; & sic non sententiam meam, sed Calumniã tuam refutare cogaris.

Videamus tamen quàm acutè & dexterè hoc ipsum refutare potes, quod tibi refutandum finxisti;

vel

Quomodo credere  
Scripturæ  
in Symbolo  
contineretur.

vel potius id probare, quod tibi probandū assumpsi-  
sti. Sed inquis, *Scriptura è Symbolo non reijcitur*. hoc  
est, scriptura in Symbolo continetur, etsi non ver-  
bis expressis, sicut Ecclesia (quod ego negavi) in  
virtute tamen & radice. Verum quidem hoc est,  
quia vt peccatum originale gratiam Christi iustifi-  
cantem, liberum hominis arbitrium, aliaque innu-  
mera fidei dogmata, etsi in Symbolo non cõmpre-  
hendantur, tamen virtute Symboli creduntur, eo  
quod Ecclesiã in Symbolo nos credere profitemur,  
Ecclesia autem hæc nobis dogmata credenda pro-  
ponit &c. sic & de scripturis dicendum est, eas quo-  
que virtute Symboli nos credere, quia in Symbolo  
Ecclesiam credimus, quæ ipsas scripturas à nobis  
credendis proponit, promulgat, approbat, suoque  
testimonio nobis confirmat. Hæc est vera causa cur  
scriptura è Symbolo non reijciatur. Videamus nũc  
quam eleganter & acutè hoc ipsum tu probes, *Sym-  
bolum enim (inquis) est epitome, & compendium totius  
scripturæ.* Sed quando tu hoc probabis Whitakere?  
Aut si probare non potes, vnde hoc nobis consta-  
bit? An quia tu hoc dicis, salua res est? Deinde quàm  
est hoc improbabile, imò aperte falsum? Dic in  
qua parte Symboli per compendium inueniatur  
Iustificatio ex fide, peccatum originale, Sacramen-  
tum Cænæ Dominicæ, Gratia noui Testamenti,  
aliquod vel minimum vestigium totius historię  
veteris Testamenti, (excepto primo capite Gene-  
os) item legis, psalmorum, prophetarum (nisi quæ  
de Christi Natiuitate, incarnatione, morte, Resur-  
rectione, Ascensione prædicantur) deinde tot Chri-  
sti miraculorum, tam variæ eius prædicationis &  
doctrinæ cælestis, tot quoque in literis Apostolicis  
fidei dogmatum, horum omnium quæ epitome,  
quod compendium, quæ vel adumbrata significa-

Symbolũ  
nõ est epi-  
tome to-  
tius Scri-  
pturæ.

tio, non dico nullorum, sed quàm plurimorum in Symbolo continetur? Ne tu in magnas angustias bibliorum corpus contraheres. An forte vt in nuce homeri Iliada, sic in Symbolo tota biblia comprehendes? At non sic in sacris & diuinissimis rebus ludendum est. Videamus cætera.

Et omnes (inquis) Articuli Symboli ex Scriptura confirmantur. Hoc tibi libenter concesserim, etsi plurimi ex sodalibus tuis Articulum illum de descensu Christi ad inferos, quia in scripturis non ita facile inuenitur (nisi forte in portentoso illo Caluini sensu, qui Christum in ipsa Cruce ad inferos descendisse exponit) è Symbolo expungere vehementer laborât. Sed quid ex eo ad rem præsentem colliges? Totum Symbolum ex scripturis confirmatur. Ergo credere scripturis in Symbolo continetur. Quis ita vnquam argumentaretur, nisi alter VWhitakerus, id est, argumentandi imperitissimus? Argumenti turpitudine in simili statim apparebit. Totus VWhitakeri liber ex scripturis cõfirmatur. Hoc enim VWhitakerus & libenter audiet & nunquam negabit. Ergo credere scripturis in VWhitakeri libro continetur. Aut si tam familiare non placet exemplum, quia & falsum est, accipe aliud quod verum erit. Totum Concilium Nicenum primum & omnes Canones eius ex scriptura confirmantur. Ergo credere scripturis, cõtinetur in Concilio Niceno: quã ea de re nihil loquatur illud Concilium. Est fallacia παρά το έπομεινον Sequitur enim quidem. Omnes articuli Symboli confirmantur ex scriptura: Ergo Symbolo credere docet nos scriptura: sed non econtrà: ergo credere scripturæ Symbolũ nos docet.

VWhitakerus.

Præterea in ipso etiam Symbolo significamus 10. Sect.

nos

\*Probatio  
dupliciter  
absurda.

nos scripturæ credere. \*Quando enim profiteor me credere in Deū, profiteor etiam me credere Deum esse verum in verbo suo; atque ita per consequens me scripturam omnem diuinam suscipere ac venerari.

*Stapletonus.*

Prima ab-  
surditas.

Argumenti tui imbecillitas, imò vanitas ex consimili apparebit. Quando profiteor me credere in Deum, profiteor etiam me credere Deum esse trinum & vnum, esse omnia in omnibus, esse remuneratorem inquirentibus se, & denique quicquid de Deo verè dici ac prædicari potest. Aequè enim hæc omnia fidem in Deum consequuntur, atque illud alterum, Deum esse verum in verbo suo & per consequens qui profitetur se credere in Deum, profitetur omnia suscipere & credere, quæ de Deo verè affirmari possunt. Atqui si hæc vera essent, tunc istæ consequentiæ essent bonæ. Deus est: ergo Deus est trinus & vnus. Deus est: ergo Deus est beatificum bonum nostrum &c. Talia Christianorum argumenta non nisi risum & scandalum religioni Christianæ procurarent. An nō enim Iudæi omnes etiam vulgares crediderūt semper in vnum Deum, & hoc se credere professi sunt? Sed an propterea crediderunt in Deum trinum & vnum, quibus ille Articulus necdum reuelatus fuerat. An non gentes ac philosophi *Deum esse cognouerunt*, sed tamen bonum beatificum nostrum ignorauerūt, ideoque *non sicut Deum glorificauerunt*? Imò iuxta istas consequentiæ non esset opus alterius articuli reuelatione ad ea credenda quæ ad Deum pertinent, quàm huius vnus Articuli, *Credo in Deum*. Qui enim hoc credit, iam alios omnes articulos qui ad fidem de Deo spectant iuxta tuam argumentationem veneratur & suscipit. Hæc est tua VWhitakere sapientia & scien-

Rom. 1.

& scientia theologica doctore theologo & profes-  
fore Regio digna.

Sed enim probas mirificè quòd qui profiteretur se credere in Deū profiteretur se credere Deū esse veracē in verbo suo, scripto videlicet. Nā de scripturis statim inferis, & per consequēs scripturā omnē venerari &c. Vbi iterū alia tua occurrit absurditas. Si enim qui se credere in Deū profiteretur, is quoque profiteretur se credere Deū esse in scriptura veracē, sequi oportet, scripturæ libros cum hoc articulo esse coæuos aut *συγχρονους*. Alioqui quomodo credens in Deum, crederet quoque Deum esse in scripturis veracem, si vel nulla adhuc scriptura extet, vt totis mille annis ante legē scriptam, vel non tota scriptura, vt aliquot post seculis? Sed nunc ad mirificam tuam probationem veniamus.

Alia absurditas.

*Whitakerus.*

Nam illud (*Credo*) quod initio Symboli habetur, *II. Sect.*  
\*trifariam exponunt Patres. Nempe, Credo Deo, \*Mendacium.  
Credo Deum, & Credo in Deum.

*Stapletonus.*

Spectatum admissi risum teneatis amici? Quæ enim vnquam magis ridicula, magis infulsa, & insipida probatio proferri potuit? Primū enim, ipsum quidem Credere trifariam exponunt patres, eo quo citasti modo. Sed illud Credo, quod initio Symboli habetur, non exponunt trifariam. Imò exponi trifariam non posse, vnus ille loquendi modus, *Credo in Deum*, à cæteris distinctus, prorsus ostendit. Ideoque patres hoc Symboli verbum exponentes, non illud trifariam exponunt, vt tu somnias, sed vt vno tantum modo dictum ab alijs credendi modis diligenter distinguunt. Audi Augustinum à quo hanc distinctionem cæteri doctores accepisse videntur. *Non dicit Symbolum, Credo Deum, vel credo Deo, quamuis*

Serm. 181.  
de temp.  
cap. 1.

quamuis & hæc salutis necessaria sunt. Aliud enim est credere illi, aliud credere illum, aliud credere in illum. Credere illi, est credere vera esse quæ loquitur. Credere illum, credere quia ipse est Deus. Credere in illum diligere illum. Credere vera esse quæ loquitur multi & mali possunt. Credere autem ipsum esse Deum & demones possunt. Credere verò in Deum soli nouerunt qui diligunt illum: qui non solum nomine Christiani sunt, sed & factis & vita. quia sine dilectione fides inanis est. Hæc Augustinus. Et paulo post. Nos ergo qui per adoptionem gratiæ filij Dei sumus, dicendo. Credo in Deum patrem omnipotentem, sic ei credimus vt ei per dilectionem adhareamus. Distinguit ergo diligenter Credere in Deum, quod Symbolum habet, à credere Deo, & credere Deum. Hæc enim impijs & dæmonibus communia esse, illud veris credentibus proprium esse, & hoc vnum nobis in Symbolo proponi, vt non quomodolibet, sed tanquam veri Christiani credamus, perspicuè docet. Non ergo illud Credo, in Symbolo trifariam sed profus vnifariam accipi, Augustinus docet. Similiter & alij post illum.

Deinde tametsi in Symbolo haberetur Credo Deo, id est vera esse quæ Deus loquitur. Quid hoc ad scripturas Canonicas cognoscendas? An Dei veritas & scripturæ conuertuntur? An non nisi in scripturis Deus est verax? Aut ante vel extra scripturas, vel non fuit, vel nõ erit perpetuo verax? Quomodo ergo ista cõsequuntur? Credo Deo veraci, ergo Credo Deum in Canonicis scripturis vera dicere? An non prius constare nobis debet, has esse scripturas Canonicas, quod quidem Symbolum nec dicit, nec vilo modo insinuat. Sic videlicet mirificè probasti, in Symbolo contineri, Credo scripturas Canonicas.

Quod tamen totum si probasses, tamen singula-

ris adhuc manet Ecclesiæ prærogatiua, quòd discretissimis verbis, vno distincto Articulo, eoque post Spiritum sanctum proximo, dicitur in Symbolo, omnesque clarè profiteri debent. *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam*. De scripturis autem apertis verbis nihil dicitur, articulus nullus profertur, nullo in Symboli loco, ne quidem vltimo, vnum verbum fit. Hoc sane tam luculentum discrimen illud quod ego volui, fortissimè probat. Ecclesiã Catholicam in Symbolo disertis verbis profiteamur. Scripturas Canonicas in Symbolo nullo diserto verbo profiteamur. Ergo Catholicam Ecclesiam nullus Christianus ignorare potest, scripturas potest. Vnde iterum sequitur. Ergo Ecclesiæ authoritas est omnibus Christianis simpliciter necessaria: scripturarum non ita.

*Whitakerus.*

Pergit Stapletonus, atque ait totam formalem fidei causam esse, Deo per Ecclesiam reuelati assentiri. Respondeo. Reuelat quidem Deus vera per Ecclesiam, sed tâquam per externum medium ministeriale. Propriè autè vera nobis reuelat per Spiritum sanctum & per scripturam. Paulus enim plantat & Apollo rigat. Sed hæc nullius sunt momenti, nisi Deus dederit incrementum. Ecclesia nihil potest nobis ad salutem reuelare sine spiritu. Sed hinc nihil colligitur vnde constet non æquè dubiam obscuramque esse Ecclesiæ ac scripturæ authoritatem: aut multo etiam magis: quando certum est, quicquid Ecclesia habet authoritatis, totum ex scriptura pendere.

*Stapletonus.*

Aliud argumentum quo probare volui. Ecclesiæ vocem a nullo Christiano ignorari posse, hoc erat quia fides est ex auditu Ecclesiæ & tota formalis ratio dei

R

nostra

*nostra est Deus per Ecclesiam reuelans; quæ sane propo-*  
*sitio à me huius operis quod impugnas, lib. 8. per*  
*multa capita longa & accurata disputatione, expli-*  
*cata probata & confirmata est. Tu ea tota disputa-*  
*tione, vel non lecta, vel neglecta, vel nõ intellecta,*  
*eam hic simpliciter & obiter à me assertam ( quia*  
*priùs luculenter probata fuerat ) tribus te verbis*  
*conuellere posse existimas. Sed eam vt conuellas,*  
*tam magni momenti conclusionem; eius funda-*  
*menta, causas, explicationẽ, & sensum prius exami-*  
*nare & expendere debueras. Quod si fecisses, vel*  
*eam omninò exagitandam non sumpsisses, vel ac-*  
*curatiùs & solidiùs hanc refutationem pertractas-*  
*ses. Sed frustra à te solidam explicationem expecta-*  
*mus, qui nisi nugari, laxè, & perturbatè, disputa-*  
*tionem instituere didicisti. Vide enim quæso, quàm*  
*nihil ad Argumentum ipsum & rem præsentem*  
*dixeris, sed inanibus verbis conclusionem grauissi-*  
*mam eludere magis quam euertere conatus fueris.*  
*Primùm respondes, Deum per Ecclesiam vera reuelare*  
*tanquam per externum medium ministeriale. ad quod*  
*iam sæpe respondimus, quoad Deum per Ecclesi-*  
*am reuelantem ministerium & obsequium suum*  
*exercere Ecclesiam; sed quoad fidem illorum qui-*  
*bus Deus per Ecclesiam reuelat, magisterij officio*  
*& autoritate maxima fungi Ecclesiam ideoque*  
*ipsorum credentium, respectu formalis obiecti pro-*  
*pter quod credunt conditionem quandam esse Ec-*  
*clesiæ vocem per quam Deus loquitur, omnem-*  
*que fidem reuelat, prædicat, proponit, promulgat.*  
*Addis quod propriè Deus reuelat nobis vera per Spiritum*  
*& per Scripturam. Quid ergo? An per Ecclesiam im-*  
*propriè reuelat? hoc est, metaphorico quodam*  
*modo, & non verè? Reuelatio per Ecclesiam facta*  
*etiam absque Spiritu sancto ( si per impossibile Ec-*  
*clesiæ*

tlesia vox à Spiritu Sancto per eam loquente se-  
 pararetur, quum ea quæ sunt fidei reuelat ac  
 proponit credenda ) non esset impropria reuelati-  
 o, sed esset imperfecta. Qui solum exterius  
 docet & intus non docet, propriè docet, sed im-  
 perfectè & inefficaciter. Propriè igitur DEVS  
 reuelat per Ecclesie vocem externam, sicut pro-  
 priè loquutus est Iudæis primùm per ora Pro-  
 phetarum, Deinde per vocem filij sui, sed per-  
 fectè & efficaciter per Spiritus sancti vocem in-  
 ternam: quam qui intus audierunt, efficaciter à  
 Deo docti sunt. De qua re in principio huius  
 defensionis plura diximus. Quod verò de scri-  
 pturis addis, *Deum per eas & per Spiritum nobis re-  
 uelare*, iam in superioribus ostendimus, non sic  
 hoc verum esse, sicut illud alterum verum est:  
*Deus per Ecclesiam reuelat*: eò quòd Ecclesia est me-  
 dium reuelans ordinarium, & cum Spiritu Dei  
 cooperante infallibiliter ( quantum ex Deo est )  
 coniunctum, ipsa quoque propriè vox Dei: quo-  
 rum nihil de scriptura verum est. Hæc, vt dixi, in  
 præcedentibus semel atque iterum ostensa, hic re-  
 petere opus non est.

Deus per  
 Ecclesiam  
 vocè pro-  
 priè reue-  
 lat.

Cap. 1.

Suprà c.  
9. & 11.

Probas deinde ex Pauli verbis, *Ecclesiam nihil  
 posse ad salutem reuelare sine spiritu*. Sed supra nos  
 docuimus ex eisdem Pauli verbis, cum Ecclesie  
 vocè, officio, ministerio, ea quæ sunt fidei do-  
 centis ac proponentis, Deum cooperari: & sic  
 ad salutem quidem sine Spiritu Deum nihil reue-  
 lare; semper tamen esse Spiritum cum Ecclesia, vt  
 quæ reuelat ad salutem reuelet, nisi per eos stet quibus  
 reuelat. Ais postremò, *hinc nihil colligi vnde constet,  
 non æquè dubiam obscuramque esse Ecclesiam ac Scripturæ  
 authoritatem, &c.* Ita sanè, si vt tu rem intelligis

Sup. c. 3.

Ecclesiæ  
 authori-  
 tas cur nō  
 ita obscu-  
 ra vt scri-  
 pturæ.

fic se res haberet: si nudum ministerium esset Ecclesiæ vox; si absque spiritu Dei loqueretur; si medium non esset ordinarium, & à Deo specialiter institutum; si denique illa loquente exterius, Dei spiritus nihil cooperaretur interius. Nunc autem quum hæc omnia contra se habeant, vt copiosè ostendimus, hinc prorsus clarissimè intelligitur, multò quoad nos certiolem, clariorem, & excellentiorem Ecclesiæ auctoritatem in iudicio fidei, atque adeò in ipsis scripturis cognoscendis, consignandis, & approbandis (qua de re hic ex proposito agitur) quàm scripturarum sit auctoritas, vel ad alia fidei dogmata fidelibus tradenda, vel ad sui ipsius cognitionem, approbationem, & certitudinem faciendam.

Quod autem concludis, *certum esse, quicquid Ecclesiæ habet auctoritatis, id totum ex scriptura pendere*, certum tuum est & luculentum mendacium; quia non ex scriptura, sed ex CHRISTI Redemptoris institutione, voluntate, mandato, tota Ecclesiæ auctoritas pendet; qui hanc illi verbis aper- tissimis sæpeque repetitis contulit, vt in præcedenti disputatione, magisque toto libro octauo huius Operis quod impugnas, demonstratum dedi- mus: sed & infra ad argumentum tuum tertium aliqua dicendi locus dabitur. Interim ad argu- mentum nostrum nihil respondisti. Fides est ex auditu Ecclesiæ, ergo nullus fidelis Ecclesiã igno- rare potest.

VWhitakerus.

13. Sed.  
 \*Menda-  
 cium,

Atque hæc de \* primo Stapletoni argumento. Iam ad reliqua veniamus: quæ quidem omnia quasi

quasi riuuli quidam ab hoc primo argumento dimanant ac deriuantur; & ad eius confirmationem referuntur. Nos autem distinctè & separatim singula examinabimus, vt aperta cuique argumento responsio nostra adhibeatur.

*Stapletonus.*


Non potest paucis verbis multiplex tua ineptia commonstrari. Quid? Totum hoc prolixum Caput disputationis tuæ, in quo tot argumentis nostris, tot & tam multis modis respondere conatus es, de vno tantùm argumento disseruit? Sed hæc est absurditas tua singularis, quòd quam ego assertionem voco, alius propositionem aut thesim, aut conclusionem diceret, ad defendendum & explicandum propositam seu assertam, hanc tu Argumentum vocas planè *ἀνιδίως καὶ ἀπελευθέρως*: quasi vel vna esset argumentatio, vel antecedens aliquod aut medium ad probandum assumptum. Tot enim modis Dialectici argumentum vocare solent. Est igitur vna quidem assertio, vna conclusio, vna positio, in cuius refutatione hætenus laborasti: ad cuius assertionis nostræ probationem varia argumenta à me olim proposita, & à te nunc exagitata, rursùmque à me defensa sunt. Sed hæc vna assertio talis est, vt Ecclesiæ Catholicæ circa ipsas scripturas (obiectum fidei nobilissimum) authoritatem maximam atque certissimam affirmet. Quam à nobis affirmatam & positã, sic Dei beneficio certis argumentis probatã & confirmatam dedimus, vt quicquid tu omnibus ingenij tui neruis contendens, omnemq; mouens lapidem, contrã disputasti, inane & vanum totum esse ostenderimus. Sed & in hoc ipso primo argumento quod vocas, tam multa intacta reliquisti, vt

eite respondisse dicere non debeas. Ais tu cætera quæ sequuntur quasi riuulos à fonte, sic ab hoc primo dimanare argumento. Si ergo fontem purissimum & optimū esse iam ex ijs quæ disputata sunt, luce clarius Lector videt, quid opus est riuulos perscrutari? aut eorum aqua quàm pura ac limpida sit inuestigare, quum iam de fontis puritate constet, à quo cætera teste teipso dimanent? Quid opus est cætera argumenta nostra aduersus tuas cauillationes, ineptas & absurdas euasiones defendere, tueri, asserere, postquam à quo vno principio deducuntur, tuo ipsius testimonio; illud iam principium ab omni fece ac labe penitè immune, ab omni errore & falsitate prorsus liberum, sanæ denique & orthodoxæ doctrinæ imprimis consentaneum esse ostensum sit? *Necessarium esse, vt Ecclesiæ autoritas & iudicium scripturarum Canonem fidelibus consignet*, quæ prima fuit assertio nostra (tu primum argumentum vocas) te nequicquam disputante, sophisticante, reluctante, ex nostra hac defensione luculentissimè constat: tuaque disputandi vitia, absurda, repugnantia, nugamenta, sophismata, mendacia innumera apparuerunt. Quid nunc opus est cæteras assertiones & propositiones nostras, huic primæ subserviientes, ab eaque dependentes, vsumque & praxim huius assertionis ostendentes, contra te defendere? An fortè qui in fonte & capite cæterorum turpissimè te dedisti, in ipsis riuulis & membris, feliciùs & subtiliùs te acturum sperare Lector potest? Aut postquam prima iam constat, firmaque & immota manet assertio, si in alijs ex ea deductis riuulis, aliquid à nobis minùs aptè & appositè disputatum obseruare potuisti; nostra propterea, id est, Catholica sententia causa cadet? Nequaquam sanè.


Saluato

Saluato enim generali principio, si quis in particulari error obrepserit, per ipsum Principium reformari poterit, nedum illud aliquo modo labefactari. Reliqua igitur tecum disputandi cura superuacanea videri poterit.

Cæterum tamen quia tibi visum est, *distinctè & separatim* (vt hic polliceris) *singula examinare*, hoc tuum examen quàm multis adhuc & innumeris scateat vitijs, ad huius sacrae veritatis defensionem, ad prauitatis hæreticæ confusionem, ad maiorem Dei gloriam, qui in sua maximè Ecclesia glorificari vult, quantò breuius fieri potest, Lectori orthodoxo ostendemus. Ad quem præterea hæc magna & necessaria utilitas accedet, vt professores Regios in Academijs hæreticis magnos esse à suis intelligat, quorum maior est iuperbia quàm fortitudo; & non nisi inanis quædam & interminabilis *λογολυγία* iuxta illud Apostoli. *Conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquantur, neque de quibus affirmant.* 1. Tim. i.







DE VARIIS ARGUMENTIS QUIBUS ECCLESIAE TESTIMONIUM ET AUTHORITY AD CERTO COGNOSCENDAS Scripturas diuinas, necessaria esse confirmantur.

LIBER II.

*An quicquid propheta scripserint, in Scripturas Canonicas sit relatum.*

C A P. I.

*VWhitakerus.*



N lib. igitur 9, cap. 5. præclarum r. *Scñ.* proponit Stapletonus argumentum, quod ita se habet. Quædam Prophetarum & Apostolorum scripta Canonicam authoritatē nō habent, & quædam quæ non sunt Prophetarum aut Apostolorum in Canonem recipiuntur: ergo Ecclesiæ iudicio totus Canon scripturarum nititur ac definitur: illa scripturæ Canonem statuere debet, ex \* eius ergo testimonio Scripturæ suam authoritatem habet.

Antecedens confirmatum.

Conclusio mēdaci-ter attributa.

*Stapletonus,*

Qui in scholis ubi disciplinarum superiorum tyrones exercentur, defendendi ac respondendi partes tenet, si opponentis argumentum in forma non repetit, si antecedenti propositioni aliquid de

R 5,

sup

suo addit, si conclusionem à disputantis mente & verbis alienam facit, tum à disputationum præsi-  
 de acriter reprehenditur, tum auditorum sibilis explodi periclitatur: & quidem meritò: quum pri-  
 ma directè disputandi elementa non teneat, nec dialecticæ leges quas puer didicerat adhuc obser-  
 uet. Si in tyrone Theologico turpe hoc est, & quo-  
 libet disputante discipulo indignum, ac vel hebe-  
 tis ingenij argumentum qui disputantis verba nō  
 assequitur, vel cauillatoris & sophistæ certum in-  
 dicium, qui rectas disputandi leges studio violat,  
 quàm est hoc tibi professor eximie & turpe & in-  
 fame & omni opprobrio dignum, qui doctoris ca-  
 thedræ tenens, & *disputationes tuas* (hunc enim li-  
 bro tuo titulum dedisti) orbi propalans, & nostris  
 argumentis respondendi prouinciam tibi assu-  
 mens imò argumenta nostra te repetere professus,  
 sic respōdes & sic repetis, vt tum antecedenti pro-  
 positioni meæ de tuo addideris, tum conclusionē  
 non omnino meam sed à te confictam intuleris?  
 Non hic disputationum præses aliquis, sed tua te  
 Academia cui dedecus paras meritò reprehende-  
 rit, nec auditorum sibilis explodendus, sed lecto-  
 rū grauissimis iudicijs, stolidus, & iniquus dispu-  
 tator iudicandus es. Ais enim de meo argumento.  
*Propōnit Stapletonus argumentum quod ita se habet.* Mox  
 in propositione mea antecedenti, hæc me dicere  
 affirmas. *Quædam quæ nō sunt Prophetarū aut Apostolo-  
 rum in Canonē recipiuntur.* At ego illa verba nō dixi,  
 nec in capit. à te citato huiusmodi mea verba quis-  
 quā inueniet. Et quanquā sanè in Canonē recipi-  
 antur, quædam quæ nō sunt alicuius Apostoli, vt Lu-  
 cæ & Marci Euangelia qui Apostoli non fuerūt, ta-  
 mē in veteris Instrumenti Canonē aliquid receptū  
 esse quod alicuius Prophetæ non sit, ostendi non  
 posse

VWhita-  
 kerus  
 quouis  
 tyrone in-  
 eprior.

posse arbitror. Non erat igitur quod illa me dicere fingeres quæ nec dixi nec veraciter dicere potui.

Sed in conclusione quam meam vocas recitanda turpius te dedisti. Sic enim dicis me concludere. Ergo Ecclesia iudicio totus Canon Scripturarum nititur ac definitur: ex eius ergo testimonio Scriptura suam auctoritatem habet. Non sunt hæc mea verba, nec ego hanc conclusionem facio, nec ita crudè & indistinctè de Ecclesiæ auctoritate pronuncio. Sophistæ vanissimi & impotentis cauillatoris est, sanam & bonam aduersarij sui conclusionem verbis odiosis & terminis immutatis, improbam & infirmam, suspectam & odiosam reddere. Mea conclusio hæc erat. Fuit tunc Synagoga & nunc est Ecclesia quæ omnibus istis dissentientibus de Scriptura sacra sententijs Iudicio suo finem imposuit. Aio orta controuersia quis liber habendus sit pro scriptura quis non, etli Apostoli aut Prophetæ veteris nomen referat, Iudicio Ecclesiæ definiiri. Hoc Iudicium in terminanda controuersia quis non videt, nos tantum respicere, non ipsam scripturam in se? Nos quippe homines sumus qui de libris dubitamus & controuertimus. Hic igitur ex Ecclesiæ testimonio non ipsa Scriptura suam auctoritatem habet vt tu me dicere mentiris, ( suam quippe auctoritatem non nisi à Spiritu S. authore suo habet, vt in præcedentibus apertè distinxeram ) sed nos hanc esse diuinam scripturam & diuina auctoritate dignam cognoscimus. Denique Ecclesiæ testimonium non ipsi scripturæ suam aut fidem aut auctoritatem conciliat, sed nobis tantum scripturæ fidem atque auctoritatē patefacit. Nullum fidei dogma ab Ecclesia suam veritatē habet: sed omnium fidei dogmatum veritas per Ecclesiam nobis innotescit. Qua de re in præcedentibus satis multa diximus, & quantum inter hæc duo intersit, contra ri-

Scriptura suam auctoritatē ab Ecclesia non habet.

tra ridiculas tuas responsiones explicuimus.

*VWhitakerus.*

2. Sect.

\* Scipsum  
refutat.

Respondeo tria. Primum: fieri potest vt prophete & Apostoli nonnulla communiter ad priuatos quosdam homines scripserint, quemadmodũ Dauid ad Ioabum priuatas literas misit. Ista re vera in Canonem recipi \* nõ debent, Sed quæcunque scripserunt vt prophete & à Deo inspirati ad publicam institutionem Ecclesiæ, ea in Canonem recepta sunt.

*Stapletonus.*

Tu quidem respondes tria, ad verba quod attinet. Sed vna solida responsio & quæ ad rem faceret, tibi magis ex re fuisset. Hoc enim primum quod adfers adeo nulla responsio est, vt contra te apertè faciat. Ais enim Prophetas & Apostolos nonnulla ad priuatos scribere potuisse, quæ in Canonem recipi nõ debebant: alia verò quæ à Deo inspirati & c. scripserint in Canonem recepta fuisse. Fateris ergo id ipsum quod ego dixi quædam Prophetarum & Apostolorũ scripta authoritatem Canonicam non habere. Nunc restat vt quo iudicio ista distinguantur, sciamus: vt cuius authoritate & testimonio nobis innotescat, illa quidem non vt à Deo inspirata, hæc verò vt à Deo inspirata ab illis scripta fuisse. An tu putas ex eo discrimen accipiendum, quod illa ad priuatos quosdam scripta fuerint, hæc verò ad publicam institutionem Ecclesiæ scripta sint? Sic enim hoc loco distinguis. At rursum quæritur vnde id certò sciamus, illa quidem nõ nisi ad priuatos scripta fuisse, hæc verò ad publicam institutionem? An tu putas, quicquid Propheta aut Apostolus ad priuatum quempiam scribit, illud ad publicam Ecclesiæ institutionem non pertinere? Sic enim literas priuatas Dauidis ad Ioab in medium profers. Atqui memi-

Aduersarij  
responsio  
3. contra  
ipsum fa-  
cit.

Apostolo-  
rum literæ  
etiam ad  
priuatos  
Scripturæ  
Canonicæ  
indicatæ  
sunt.

neris

neris bone vir epistolas Apostoli Pauli ad Timotheum & ad Titum & ad Philæmonem literas fuisse ad priuatos datas, & quidem de rebus priuatis quædam tractare, & tamen ad publicam Ecclesiæ institutionem ita pertinuisse, vt in Canonem non secus quam aliæ scripturæ, Ecclesiæ Iudicio relatæ fuerint. Quod itaque in hac tua prima responsione distinguis *de nonnullis ad priuatos quosdam homines scriptis*, merum esse nugamentum vides.

*Whitakerus.*

Secundum. \*Quæro ab illo, vtrum scripta ista de quibus loquitur, fuerint in se sacra & diuina necne? Si fuerint, tû Ecclesia debuit illa admittere atque approbare suo testimonio, vt ipsi concedunt, & errauit Ecclesia quæ illa non receperit: est enim Ecclesiæ officium factas scripturas agnoscere & aliis etiam commendare. Si non fuerint, tum certum est à Prophetis & Apostolis alio consilio scripta fuisse quam vt in Canonem reciperentur: adeo vt nec potuerit ea nec debuerit Ecclesia in Canonem recipere.

3. *Seçç.*  
\* Stupidé  
quærit  
quod ante  
oculos in-  
uêrum ia-  
cet.

\* Seipsum  
refutat.

*Stapletonus.*

Ad tuum dilemma breuiter respondeo, huiusmodi scripta sacra & diuina non fuisse, vt hoc eodem capite ex Augustino docui. Adeo non opus fuit istud à me ita solemniter quærere, aut quasi magno à te acumine inuentum proponere. Professor stupidissime non aduertisti Augustini verba in eodem capite à me prolata, vbi huic quæstioni celeberrimus ille doctor sapienter respondit? Sed tua stupiditas iterum docenda, iterum monenda est. Hac igitur ex Augustino tunc protuli, & iterum nunc profero, quia prius prolata, tu obesæ naris homo non aduertisti, aut certe improbus dissimulare voluisti. *Existimo* (ait Augustinus) *Prophetas vete-*

De Ciuit.  
res

De lib. 18. res quibus ea quæ in authoritate religionis esse deberent ;  
 cap. 38. Spiritus S. vtique reuelabat, alia sicuti homines historica  
 diligentia, alia sicuti Prophetas inspiratione diuina scribere  
 potuisse; atque hæc ita fuisse distincta, vt illa tanquam ipsis,  
 ista vero tanquam Deo per ipsos loquenti iudicarentur esse  
 tribuenda: ac sic illa pertinerent ad vbertatem cognitionis,  
 hæc ad religionis authoritatem, in qua authoritate custodi-  
 tur Canon. Hæc ille à me hoc ipso capite quod im-  
 pugnas & in hac ipsa causa olim citatus. Disertè  
 docet alio consilio multa à veteribus Prophetis  
 conscripta fuisse quam vt in Canonem reciperen-  
 tur: & consilium illud designat, quod *historica dili-*  
*gentia ad vbertatem cognitionis* talia scripserint. Hæc  
 quum tu in nostro libro à me prolata cerneres  
 quorsum vir bone, quo studio, quo ingenio, hoc  
 ipsum à me quæris, quod ego ex Augustino claris-  
 simis verbis, ne quisquam quæreret, protuleram?  
 Enimuero hæc tua sapientia est. Aduersarij tui ver-  
 ba dissimulas, vt ab aduersario discas quod proferre  
 queas: moxque non tuis sed ab aduersario acceptis  
 verbis, aduersariũ fortiter premas. Quis hoc tuum  
 non admiretur ingenij acumen? Quis potius hanc  
 tantam in professore Regio aut stupiditatem, si  
 nõ aduertit, aut improbitatem si dissimulauit, non  
 detesteretur?

Sed vt tua stupiditas, professor acute, magis ap-  
 pareat, iam ego abs te quæro doctor indocte, cur  
 hoc loco hoc à me quæreere volueris, aut quid de-  
 mum hæc tua quæstio contra nostram propositio-  
 nem quam impugnas facit. Quæris an propheta-  
 rum & Apostolorum scripta quæ in Canonem non  
 recepta ego affirmo, huiusmodi fuerint vt in Ca-  
 nonem recipi mererentur vel non mererentur.  
 Ecce respondeo ex Augustino & olim respondi ta-  
 lia illa fuisse quæ in Canonem recipi non mereren-

turs

Distin&io  
 corum  
 quæ Pro-  
 pheta  
 scripserunt.

Whita-  
 keri stupi-  
 ditas.

Quæstio  
 aduersarij  
 pro ipso  
 nihil, con-  
 tra ipsam  
 multum  
 facit.

tur: ideoq; vt tute inferas ab Ecclesia in Canonem recipi nec potuisse nec debuisse. Ex hac responsione quid aduersum nos concludis? aut quid demum ab aliquo sanæ mentis homine concludi potest? Imo ista responsio nonne pro nobis fortissimè concludit? Nonne clarissimè docet hæc responsio aliqua prophetas veteres & Apostolos de facto scripsisse, quæ in Canonem non sunt recepta? Si enim ideo non sunt recepta quia recipi non meruerunt, quia *non inspiratione diuina sed historica diligentia nec ad religionis auctoritatem sed ad cognitionis vbertatem scripta fuere* ( vt Augustinus indicauit ) satis constat scripta quædam fuisse, quæ in Canonem non reciperentur. Quod enim à nullo vnquã propheta aut Apostolo scriptum fuit, illud in Canonem recipi nec meretur nec demeretur. Ineptum esset quærere an Whitakeri disputatio contra bellarminum & me, doctorum virorum manibus teri mereretur, aut non mereretur si talem disputationem Whitakerus nunquam scripsisset. Tuæ igitur quæstioni facta responsio, quum aliqua prophetarum scripta in Canonem non recepta necessariò præsupponat, id ipsum quod tu hoc loco impugnas contra te necessariò concludit. Tanto iterum acumine hanc nobis quæstionem, hoc dilemma proposuisti, non quo aduersarium neciteres, sed quo te ipsum implicatum teneret aduersarius. Adeò & in ipsa quæstione stupidus, & in quæstionis exitu absurdus fuisti.

*VWhitakerus.*

Tertium. Nullum eiusmodi publicum scriptum vel Propheticum vel Apostolicum proferri potest, quod nō sit in scripturæ Canonem ab Ecclesia receptum.

4. Sect.  
Ignorantia audax  
& audacia mendax.

*Staple-*

Stapletonus.

Ignoran-  
tia audax.

Hæc tertia tua responsio, aliud nihil est quam temeraria præsumptio & inanis confidentia seu iactantia potius qua ante victoriam canis triumphum. Quum enim ego in sequētibus varia exempla proferam eorum quæ tum Prophetæ tum Apostoli scripserint in Canonem non recepta, tu hoc loco præsumens & confidēs te illa exempla omnia refutare posse, affirmas generaliter nullum tale exemplum proferri posse. Atqui disputator egregie disputandi regulas, hæc tua responsio bis violauit. Primum enim ordo disputandi vult vt quisquis aduersus alterum disputans inferre vult conclusionem vniuersaliter negantem, confutet omnes particulares instantias quæ ab altero sunt allatæ vt sic demum refutatis partibus inferat negationem totius, & remotis particularibus concludat vniuersaliter. Nunc tu ordine retrogrado & heteroclitico contra me disputans audacter asseris conclusionem vniuersaliter negantem, necdum refutatis instantijs quæ in exemplis per me adductis continentur. Denique prius concludis quàm disputas. Sed hoc audaciæ potius quàm imperitiæ imputabit fortasse quispiam, & tu audax malis quam imperitus haberi.

Audacia  
mendax.

Istud verò alterum etiam crassæ disputandi inscitæ meritò imputabitur. Quid enim, si à me prolata exempla defecerint? An propterea nulla alia proferri poterunt? Quid si ego nullum scriptum vel Prophetæ veteris vel Apostoli proferre possim quod in Canonem non sit receptum, an propterea vera erat tua generalis propositio quam pro tertia responsione quasi certum axioma & indubitatum ponis, *Nullum eiusmodi scriptum proferri posse?* An ignoras vnica instantia, vniuersalem tuam assertio-

nem

nem destrui? Aut ita te omnia vetera ac noua peruidisse & perlustrasse confidis, vt compertissimè teneas nullum tale scriptum proferri posse? Nescio an alij confidentiam hic tuam laudent. Ego certè tuam hic impudentiam satis mirari nequeo: nisi quòd recordor, quòd ignorantia audaces facit, & equi luscii solent esse confidentiores.

Sed & illud obiter à te hoc loco quærendum est, cur hic dicas. *Nullum publicum scriptum proferri posse.*

Quid tu hic *publicum* vocas? an quòd priuato op-  
ponitur? vt priuata scripta si proferantur, nihil id  
contra tuam assertionem faciat; & priuata quidem  
Prophetarum vel Apostolorum scripta in Cano-  
nem non redacta, proferri posse non neges; publi-  
cum verò aliquod proferri posse confidenter per-  
neges? Atqui vir bone ego de publicis eorum scri-  
ptis non magis hic disputo quàm de priuatis, nec  
minùs de priuatis quam de publicis: sed aliqua eos  
scripsisse affirmo (seu priuata seu publica perinde  
habeo) quæ in Canonem non sunt recepta. Quum  
igitur mihi & meo argumento respòdes, ad meum  
& argumenti mei sensum respondere debes. Etiam  
si nullum publicum eorum scriptum proferri po-  
terit, sed priuatum tantum quòd in Canonem re-  
ceptum non fuerit, mea tamen firma stat conclu-  
sio, qui affirmo aliqua talia eorum scripta fuisse; seu  
priuata seu publica illa fuerint. Cauillatoris inepti,  
& disputatoris anxie laborantis atque in angustias  
reducti hoc est, quum aduersarij sententiam in for-  
ma & proprietate verborum refutare nequeat, ali-  
quid de suo adijcere, aduersarioque affingere, quòd  
illi refutationem reddat faciliorem. Laudet hic  
rursus fortatè aliquis ingenium tuum. At ego mi-  
seriam & infelicitatem tuam magis deploro, qui  
aliter respondere nequeas, nisi aduersarij tui

Argumenti  
formam  
noua re-  
strictio-  
ne immu-  
tar.

sententiam aliquo modo corrupas.

Sed hæc tua adiectio eò fortasse tendit vt priua-

Necompias  
Prophe-  
tiam in  
publicum  
data in  
Canonem  
Scriptura-  
rum reda-  
ta sunt.

tas literas eos scripsisse nõ neges, in Canonem non redactas quia priuatæ erant; quicquid verò publicè in lucem dare & omnibus legendum proponere voluerunt, illud non nisi diuinum semper fuisse ideoque inter Canonicas scripturas relatum affirmas. Atqui iam ostendimus quasdam D. Pauli epistolas priuatas ad Timotheum, Titum & Philemonem scriptas, vicunque priuatæ essent, in Canonem tamen Ecclesiæ iudicio receptas fuisse. Deinde quum existimet Augustinus veteres Prophetas aliqua scripsisse *historica diligentia ad vbertatem cognitionis*, in Canonem tamen non redacta, nonne illa publica scripta fuerunt, in publicum data, & publicè ab omnibus legenda in lucem emissa sicut cætera *historica* vnde rerum vbertima cognitio hauriatur? Quod ergo hic *publicum* adiecisti, vt contra meam sententiam impertinenter, & fallaciter, ita quoad rem ipsam imperitè & absurde adiecisti.

Whitakerus.

3. Sect.

Sed Stapletonus probat multa huiusmodi fuisse scripta tum Prophetarum tum Apostolorum quæ in Canonem nunquam recepta sunt. A Samuele (inquit) Nathan & Gad scripta sunt gesta Davidis vt patet 1. paralip. cap. vlt. At hi libri iam Canonici, non sunt. Ergo in Ecclesiæ <sup>\*</sup>arbitrio positum est sacrae scripturae libros vel pro Canonicis suscipere, vel vt Apocryphos respuere & rejicere.

\* Conclusio confusa & dupliciter falla.

Stapletonus.

Monendus semper es vt aduersarij tui sententiam, maximè quum conclusionem eius te proferre ais, bona fide repetas. Sed quis à te bonam fidem expectet, in quo nulla fides est? Nunquam apud me legisti, in Ecclesiæ arbitrio positum esse sacrae Scripturae libros

*bras vel pro Canonicis suscipere vel vt apocryphos respu-  
 re & reijcere.* Hoc enim dupliciter factum esse nemo  
 est qui non videat. Nec enim vel in Ecclesia arbitrio  
 positum est quid pro scriptura Canonica suscipia-  
 tur quid non, quasi pro suo beneplacito suæque  
 volūtatis arbitrio rem tantā definiat; sed ab Ecclesie  
 iudicio, authoritate, testimonio res tanta quoad nos  
 nostramque acceptionem pendet: nec in ipso Ec-  
 clesie iudicio atque authoritate hoc positum est,  
 vt S. Scriptura libros vel pro Canonicis suscipiat vel vt Apo-  
 cryphos reijciat. Si enim S. scripturæ libri sunt, non est  
 in eius potestate eos reijcere aut respuere, (hoc  
 enim ab Ecclesia Dei fieri implicat contradictio-  
 nem in adiectio) sed in eius potestate est eos pro hu-  
 iusmodi nobis commendare; eos quod ad S. scri-  
 pturæ libros pertineant, sua grauissima authorita-  
 te attestari. Tu autem homo minimè malus ita rem  
 narras, quasi in libris Canonicis discernendis, Ec-  
 clesia suo solo arbitrio ac beneplacito vteretur, &  
 quidem ita vt ipsos S. scripturæ libros pro eodem  
 suo arbitrio, si ita ei videatur, respuere atque reijce-  
 re: & hoc totum ais me concludere.

Ecclesia  
 non pro  
 suo arbi-  
 trio libros  
 Canoni-  
 cos taxat.

S. Scriptura  
 ra libros  
 Ecclesia  
 reijcere  
 non potest.

Mendaces  
 hæretici.

2 epist. c.

2.

Vt quid ita perpetuè mentiris professor egre-  
 giè? nisi quod omnibus compertissimum esse cu-  
 pis te esse, non doctorem veritatis qualem tua  
 professio loquitur, sed *magistrum mendacem*, quales  
 omnes hæreticos magistros esse D. Petrus pronun-  
 ciat. Nempe memineras antiquius te hæreticum  
 fuisse, quàm doctorem aut professorem Regium.  
 Sic igitur doctorem agere vis, vt tamen hæretici  
 partes nunquam intermittas. Sic opinor. Hoc  
 enim modo & consequenter disputas. Doctri-  
 nam enim ac religionem mendacissimam si stre-  
 nuè mentiando tuearis, doctrinæ tuæ congruen-  
 ter doces: vt sicut Apostolus loquebatur non in doctis

*humana sapientia verbis, sed in doctrina Spiritus spiritualibus spiritualia comparando, sic tu è contra loquaris non in doctrina Spiritus, quæ doctrina veritatis est, sed in doctis humanæ sapientiæ verbis, quæ mendax & fallax philosophorum & oratorum sapientia fuit, tuis videlicet mendacijs mendacem doctrinam comparando. Sic oportuit tenebras luci & lucem tenebris contraria esse. Quod ego hoc loco verbis paulò pluribus vrgeo, vt si iterum rescribere libeat, ab istis crassis mendacijs abstineas, & aduersarij tui sententiam quam impugnare vis, fideliter referas; nec ei falsa & aousata, vt hic fecisti impingas.*

*VWhitakerus.*

6. Sect.

Respondeo eo loco sacram historiam primi & secundi Samuelis intelligi, contextam à tribus illis prophetis, Samuele, Nathano, & Gad, quam Stapletonus imprudens Canonicam esse negat.

\* Probatio ridicula.

\* Certum est enim non fuisse hos ab vno Samuele ambos conscriptos, quia Samuel mortuus est ante finem primi libri. Hos verò libros Ecclesia semper pro Canonicis agnouit. Stapletonus verò putat aliam quandam historiam ab illis eximijs Prophetis elaboratam designari; quod \* nullo argumento probari potest.

\* Ignorantia audax

*Stapletonus.*

Audacem te tuam ignorantia facit. Nullo (inquis) argumento probari potest, aliam quandam historiam præter primum & secundum Samuelis, ab eximijs illis Prophetis, Samuele, Gad, & Nathano elaboratam, in illis scripturæ verbis 1. Paralip. ultimo designari. At vide quam id è proximo probem, quam facilè, quam euidenter ex ipsis scripturæ verbis in loco à me citato. Sic enim in illo cap. ultimo

1. Par. ult. libro 1. Paralip. legimus. *Gesta autem Davidis Regis*

*priora*

*priora & nouissima scripta sunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan Prophete, atque in volumine Gad videntis, vniuersiq; regni eius & fortitudinis, & temporum qua transierunt sub eo, siue in Israel, siue in cunctis regnis terrarum.* Hæc ibi. Iam quæro abste Gad propheta quædam scripsit in Canonem non recepta. Doctor indo-

cte, in primo & secundo Samuelis ostende vel vnâ quampiam rem gestam eorum temporū qua transierunt sub Dauid in cunctis regnis terrarum extra ipsum Israel. Dicit enim scriptura istos eximios Prophetas huiusmodi historiam scripsisse in qua continentur res gestæ non solum ipsius Dauidis in Israel, sed etiam sub Dauidis tempore extra Israel. Tametsi enim verba illa *in cunctis regnis terrarum* non est necesse ita rigidè accipere, vt planè totius orbis regna significant, necessariò tamen aliqua regna significare debent extra Israel, id est, extra eorum populum Israeliticum, omnemque alium populum vni Dauidi subiectum. Dicit enim textus. *Siue in Israel, siue in cunctis regnis terrarum.* Nunc in primo & secundo Samuelis non aliæ res gestæ describuntur, quàm quæ in ipso Israële acciderunt, & ab ipso Dauide gestæ sunt. Aliam igitur quandam historiam, horum prophetarum vel alicuius eorum intelligit hic scripturæ locus.

Rursum idem probo alio argumento, ab Hebræorum doctorum testimonio, quod his verbis in sua Bibliotheca Sixtus Senensis refert. Gad propheta Hebraicè גַּד חֲבִיטָא חֲזָה דַּוִּד, Gad Propheta vidēs Lib. 2. Dauidis, composuit copiosissimam de vita Dauidis regis, ac de rebus ipsius tempore vbique terrarum gestis vniuersalem historiam, quæ in fine prioris libri Paralipomenon recensetur. Hanc vniuersalem historiã non dices opinor in 1. & 2. Samuelis contineri: aut si tam esse velis impudens vt dicas, tuæ impudentiæ socium non habebis.

De ciuit.  
Dei lib.  
18. c. 38.

Tertio idem probo testimonio & authoritate S. Augustini, qui hac de re ita scribit. *Nec mirum videri debet quod suspecta habeantur, quæ sub tanta antiquitatis nomine proferuntur* ( loquitur de quibusdam scriptis Enoch & Noe, quæ à quibusdam hæreticis etiam tunc proferebantur) *quandoquidem in ipsa historia Regum Iudæ, & regum Israel, quæ res gestas continet, de quibus eidem scriptura Canonica credimus, commemorantur plurima quæ ibi non explicantur, & in libris alijs inueniri dicuntur quos Prophetæ scripserunt, & alicubi eorum quoque prophetarum nomina non tacentur; nec tamen inueniuntur in Canone quem populus Dei recepit.* Hæc ibi August. & tum in ipsius libri margine, tum à Ludouico Viue scholiaste, locus iste 1. Paralip. cap. 29. notatur: in biblijs quoque diuersis ex editione Renati Benedicti vestri Crispini, & Vatabli ad illa scripturæ verba in margine annotatur, *Libri Nathan & Gad prophetarum, qui non extant.* Adeò omnium hætenus lectorum iudicio, locus ille à me citatus, nō de primo & secundo Samuelis, sed de distinctis libris horum prophetarum *qui in Canone (vt Augustinus ait) non inueniuntur, loquitur.*

In cotam.  
in 1. Para-  
lip. c. vii.  
quæst. 30.

Sed & hanc esse communem positionem, seu doctorum sententiam notauit in hunc locum Nicolaus Lyranus, & post eum accuratissimus scripturarum interpres, Alfonsus Tostatus Abulensis Episcopus: qui & cur in Canone nō inueniantur, hanc causam adfert. *Quia (inquit) libri Nathan & Gad continebant curiosè omnia gesta David, multa aq; in laudem David dicebant, qui scribendi modus non conuenit sacre scripturæ, vtpote quæ non intendit certos homines laudare historicorum more, sed in Dei laudem & ad instructionem nostram omnia narrat, ideo illorum libri in Canonem non sunt recepti.* Hæc ille. Ad hos quoque accedit rerum Hebraicarum peritissimus scriptor, Hieronymus.

ab Oleastro in præfat. de numero librorum sacrorum, comment. in Genes. præfixa. Atque hæc quidem argumenta mea sunt, quibus satis constare potest, libros illos Nathan & Gad, de quibus hic locus scripturæ meminit, aliam quãdam historiam fuisse, præter primum & secundum Samuelis: temereque & ignoranter à te assertum fuisse, *nullo hoc argumento probari posse.*

Nunc autem tu VWhitakere quo demum argumentò probas, libros istos Samuelis, Nathan & Gad, historiam illam esse, quæ nunc primus & secundus Samuelis dicuntur. Audiamus Professoris Regij præclarum argumentum. *Certum est enim* (inquit) *non fuisse hos ab vno Samuele ambos conscriptos, quia Samuel mortuus est ante finem primi libri.* Hæc tu. Atqui disputator egregie, à quo loco topico hoc tuum ficulneum ducitur argumentum? Quæ te differendi ratio docuit ab vno particulati negato alterum particulare concludere absque sufficiente diuisione? Samuel (inquis) ambos conscribere non potuit: ergo Nathan & Gad reliqua post mortem Samuelis scripserunt. An verò præter illos duos nemo erat qui reliqua post mortem Samuelis scribere posset? An alios prophetas aut scriptores Israel non habuit? Vis tui argumenti absurditatem planè puerilem videre? Docebo in simili. Certum est Guilielmum VWhitakerum omnibus collegijs Academiæ Cantabrigiensi vnum & solum non præesse: ergo reliquis collegijs Guilielmus Fulco & Ioannes VWhitgift præfuerunt. Quis Cantabrigiensis, imo quis ferè rationalis homo hoc stultissimum argumentum non irrideret? quis non videt, multos alios & magnos in Academia Cantabrigiensi viros alijs collegijs præesse potuisse? Tale prorsus tuum est argumentum doctor indocte.

Argumentum aduersarij ridiculū.

Libri duo  
primi Re-  
gum nec  
à Samue-  
le, nec à  
Nathan,  
aut Gad  
scripti.

At nunc vide & expende benè professor hæretice, an ego qualiscunque professor, certè Catholicus, & Regis Catholici, & in Academia constantissimè Catholica, firmiter tibi argumentum proferam, quo probem hos duos libros, primum & secundum Samuelis, vel vt alij loquuntur, primum & secundum Regum, nec à Samuele, nec à Nathan aut Gad conscriptos fuisse. Argumentum sanè tibi proferam ex ipsa scriptura sacra atque aded ex his libris de quibus nunc agitur desumptum. In primo libro cap. 9. sic legimus. *Olim in Israel sic loquebatur vnusquisque vadens consulere Deum. Venite & eamus ad videntem. Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns.* Hæc ibi: ex quibus sic argumentor. Authori horum librorum tempus illud quo Saul ascendebat ad Samuel, erat tempus antiquum. Dicit enim. *Olim sic loquebatur vnusquisque.* Et iterum: *Olim vocabatur videns, qui nunc dicitur propheta.* Olim autem non dicitur, nisi quod à præsentis tempore longè distat; Antiquum quoque tempus esse debuit, post quod vsitatus loquendi mos, idque in re vulgari (quotidianus enim erat de Prophetis sermo) mutari potuit. Atqui Samueli, Nathan & Gad, hoc tempus, quo ad Samuelem ascendit Saul quærens asinas patris, antiquum esse non potuit, qui eodem tempore vixerunt. Non ergo Samuel, Nathan aut Gad horum librorum authores fuerunt, sed aliquis propheta illis posterior: & quidem ita posterior, vt vulgaris loquendi modus in re maximè vulgari mutatus fuerit. Rursum eodem libro cap. 27. sic legimus: *Agebat David pradas de Iessuri & Gezra & de Amalecitis. Hi enim vagi habitabant in terra antiquitus euntibus Syr vsque ad terram AEgypti.* Qui ergo hos libros scripsit, tam diu post Davidis tempora scripsit, vt ea illi antiqua tempora fuerint, & in antiquitatis

testimo-

testimonium loca tunc quum scriberet cultissima & frequentia, ipso Dauidis tempore inculta fuerint & vaga. Quare horum librorum authorem Ieremiam prophetam fuisse docet Alfonsus Tostatus in Prologo lib. 3. Regum. Sanè libros Regum à Ieremia scriptos fuisse censet Rabanus. Samuelis libri vocatur quia ab ipso Samuele eiusque & ortu & rebus gestis orditur historia, sicuti Genesis & Exodus vocantur duo primi Pentateuchos libri, quia eorum librorum initia de rerum omnium generatione, & de populi Israelitici exitu de Ægypto tractant, etsi vtriusque libri progressus aliam longè materiam contineant, sicuti & illi duo libri Samuelis dicti in ipso historiae progressu de rebus gestis Dauidis & Saul, non Samuelis narrant. Quæ quum ita sint, vides quàm tua te ignorantia audacem, quàm tua te contradicendi libido ineptum fecerit. Quod tu *nullo argumento probari posse* dixeras, vides iam pluribus argumentis confirmatum. Quod tu vno argumento probare voluisti, vides & ridiculo tuo argumento probatum non fuisse, & alijs à nobis prolatis argumentis euidenter refutari. Nunc ad alia.

Rab. de  
institur.  
cleric. lib.  
2. c. 54.

*VWhitakerus.*

Secundò dicit Salomonis res gestas à Nathano, Ahia, & Ieddone literis mandatas fuisse, vt patet 2. Paralip. 29. 9. Respòdeo illam historiam hoc loco significari, quæ habetur 1. lib. Reg. aut si alia historia intelligatur, quo modo probat eandem quum extaret, Canonicam authoritatem non habuisse?

7. Sect.

*Stapletonus.*

Egregia verò responsio, quæ in quo subsistat nescit. Aut hoc aut illud respondere te ais; & sic nec hoc nec illud respondere audes. Sed huic tuæ

dubiæ & fluctuanti responsioni oppono certam doctorum virorum assertionem, ac imprimis S. Athanasij qui in fine Synopsæ totius S. Scripturæ quam scripsit hunc postremum titulum ponit.

Salomonis gesta à prophetis scripta quæ non extant.

*De his scriptis quæ in sacrorum bibliorum Scriptura commemorantur quidem, sed nusquam inveniuntur.* Moxque talia scripta his verbis enumerat. *Qui Nathan, Adlo, Achia Silonita, Semai, & Iehu in libro Regum, libri esse scribuntur, non habentur.* Hæc ille de authoribus, de quibus nunc est quæstio. Mox alia enumerat

scripta quæ postea proferemus. Quos ergo libros tu in primo Regum extare affirmas, hos nusquam extare affirmat Athanasius. Vtri magis credendū sit, iudicet Lector. Accedunt ad Athanasij sententiam clarissimi scripturarum interpretes, Alfonso Tostatus, & Hieronymus ab Oleastro, locis citatis, & Nicolaus Lyranus in hunc locum: & Sixtus Senensis in sua bibliotheca his verbis: *Iddo siue Adlo videns conscripsit Chazoth, hoc est, de visionibus siue diuinationibus aduersus Ieroboam, regem Israel, volumen vnum, in quo multa de rebus à Salomone gestis immiscuit: item de his quæ à Roboam rege Hierosolymitano tam bello quam pace facta sunt, volumen alterum. Ad hæc etiam addidit Midrasch, hoc est, commentarios de factis dictisque memorabilibus Abia regis Iuda, accuratissima diligentia digestos. Citantur hæc volumina in 2. Paralip. cap. 9. 12. & 13.* De Achia quoque Silonita idem author ita scribit. *Scripsit vates hic de rebus à Rege Salomone gestis librum vnum, cuius mentionem facit secundus liber sacrorum annalium cap. 9.* De Nathan quoque propheta his verbis ait. *Nathan longo tandem senio confectus decessit, relictis ad posteros duobus historie voluminibus: quorum priore Davidis Regis gesta, posteriore verò Salomonis acta conscripserat. Meminit horum voluminum primus liber Paralip. cap. vltim. & secundus Paralip. cap. 9.* Non ergo

ergo historiam quæ primolibro Regû habetur, vt tu affirmas, sed distincta volumina in sacro scripturarum Canone non comprehensa, ille locus 2. Paralip. 9. à me citatus commemorat.

Deinde quod me interrogas *quomodo probem. si alia historia hic designatur, eandem quum extaret Canonicam auctoritatem non habuisse*, an non perinde mihi facile est te vicissim interrogare, quomodo probes eam historiam, quum extaret Canonicam auctoritatem habuisse? Id enim longè æquius à te interrogari posset, quum ad negatiuam propositionem probandam nemo in iudicijs cogatur, sed in affirmatiuis probandis omnis concertatio versetur. Huic tamen interrogationi tuæ respondere facillimum est: huiusmodi prophetarum scripta Canonicam auctoritatem non habuisse ex eo probabiliter constare, quòd interierint penitus: ideo autem interijisse, quia *non ex inspiratione diuina ad religionis auctoritatem, sed ex historica diligentia ad cognitionis vbertatem*, vt scripsit Augustinus, nec ad Dei laudem & aliorum instructionem stilo simplici, sed ad ipsorum hominum commendationem accuratè & curiosè scripta sunt, vt Tostatus notauit. Multò sanè probabilius est dicere huiusmodi libros in Canonem nunquam receptos fuisse postquam ita penitus iam interierint, quàm in Canonem receptos fuisse antequam interierint. Hoc enim posterius contra illam Dei prouidentiam facit, quæ in rebus ad salutem vel necessarijs vel plurimùm conducentibus nunquã deest: quum res huiusmodi vel potissimùm, sit Canonicarum scripturarum conseruatio: tuo maximè VWhitakere tuorumque iudicio, qui Canonicas scripturas vnicam & iussistentissimam totius veritatis & doctrinæ normam ac regulam esse vultis.

Canonicas alias scripturas interijisse non est probabile.

Hinc

Hinc enim sequeretur, deperditis libris olim in Canonem receptis, aliquam quoque necessariæ veritatis & doctrinæ partem nobis interiisse, mancamque & mutilam hanc esse quam adhuc de Deo rebusque diuinis cognitionem scripturæ Canonice nobis suppeditant: quod seclusa omni Traditione non scripta, quam vos penitus remoueri vultis, à neminepiè Christiano dici aut cogitari potest, vtrumque tu illud postea pro tua consueta temeritate rerumque theologiarum imperitia confidenter sed mendaciter affirmas, vt mox hoc eodem capite videbitur.

*VWhitakerus.*

8. *Sect.* Tertio probat ex 2. Paralip. 13. 22. Abiꝑ historiā ab Iddone Propheta scriptā fuisse quæ quidem iam in scripturarum Canone non extat. Respōdeo eandem planè historiā esse quæ habetur de Abia Rege 1. Reg. 15.

*Stapletonus.*

Tu quidem sic respondes non tam categoricè quàm Pythagoricè: quasi tua simplex assertio, firma & irrefragabilis esset probatio: & quasi auctoritate prætoria quidlibet affirmandi polleres, quod supremo Ecclesiæ tribunali impingere soletis. Sed bone vir, tuæ simplici assertioni Authores grauissimi contradicunt, à me iam citati. Athanasius in Synopsi qui huius Iddonis quem ille Addo vocat scripta non extare affirmat; Alfonsus Tostatus, Hieronymus ab Oleastro & Sixtus Senensis, qui huius Iddonis scriptum de Abiæ rebus gestis volumen distinctam fuisse affirmant & non extare. Deinde si secundum te herum omnium Prophetarum, Samuelis, Nathan, Abiæ, Semei, Addo siue Iddonis scripta non nisi illam historiā significarent in libris Regum comprehensam, quot tu quæso vnus operis

operis authores facies? Omnes enim isti & adhuc plures, quia libri Regum historiam comprehendunt multarum rerum, quæ post horum mortem gesta sunt, ad vnius & eiusdem historiæ atque operis complementum concurrere debebant, & quidem ita ut nec ipsi simul continuam historiam, sed alias quidem partes hic, alias ille, multis quoque interpositis ab alio authore conscriptis, conficeret.

Quanto rectius alij doctissimi viri semper iudicaverunt, ab vno aliquo authore totum illud opus de quatuor libris Regum concinnatum & collectum fuisse, Ieremia videlicet Propheta; hos autem authores quædam singularia quædamque partes huius integræ historiæ fusè & curiosè scripsisse, ex quibus quædam in hoc integrum corpus, dictante spiritu S. redacta fuerint, alia prætermissa, magis ad vberiores historicam cognitionem quam ad religionis auctoritatem & fructum facientia: & ad illa studio prætermissa lectorem vberioris cognitionis avidum remitti?

Regum libri 4 ab vno Authore conscripti.

*VWhitakerus.*

Quarto dicit historiam Iehosaphat à Iehu Propheta scriptam fuisse, idque probat ex 2. paralip. 9. Sect. 20. 34. Respondeo \*eandem historiam intelligi\* quæ extat 1. Reg. 16. \*Certum enim est historias Iudicum & Ruth, & Samuelis, & Regum, à pluribus Prophetis conscriptas fuisse. Vnde Matth. 2. ult. vers. \*ex libro Iudicum testimonium citatur (nusquam enim alibi reperitur) & tamè dicit Matthæus, ut impleretur id quod dictum est per Prophetas\* ex quo facile intelligi potest, librum illum à pluribus Prophetis conscriptum & compositum fuisse.

\* Mendacium.  
\* Probatio maxime infirma.  
\* Falsum.

*Stapletonus.*

In hac demum responsione aliquam sententiæ tuæ probationem adfers: sed ut prius nihil probationis

tionis afferendo audax & inuerecudus, sic in hac quam nunc affers infelix & ineptus appares: adeo sane ut quid magis ex te tua sit, quam responsionem instituis, simplici uti assertionem an aliquas etiam adhibere probationes, vehementer dubitem. Nam ut in illo, argumentis te destitui professor eximie ostendis; ita in hoc, argumentandi imperitum disputatore egregie te commoustras. Tutissimum tibi & consultissimum fuerit veritati orthodoxæ amplius non contradicere, aut certe ad eam impugnamdam maioribus ingenij & doctrinæ præsijs instructum accedere. Disputatorem enim te ineptiorem Angliâ opinor nostra nunquam produxit: certe professorem Regium in cathedra theologia rerum theologiarum magis imperitum Cantabrigia hæc enus non vidit.

Vide enim quæso quam fracta quam futilis planèque ad rem impertinens tua probatio est. Probare vis quod de Iehu Propheta dicitur 2. paral. 20. *Reliqua gestorum Iosaphat priorum & nouissimorum scripta sunt in verbis Iehu filij hanani quæ digessit in libros regum Israel*, id totum de illa historia intelligi quæ extat 1. Reg. 16. cap. Quomodo & quam ineptè hoc in sequentibus probes, mox videbimus. Sed interim quæsi hoc à te absurde & mendaciter dicatur, paucis docebo. In illo cap. 16. Primi Regum quod citas, de rege Iosaphat nulla prorsus fit mentio. Tantummodo Prophetia quædam huius Prophetæ Iehu contra Baasam regem Israel, & quomodo ab hoc rege propterea occisus fuerit, in illo capite continetur. De rebus autem Iosaphat regis Iudæe quibus 2. paralip. 20. (loco à me citato) Iehu filius hanani in libros Regum Israel digessisse affirmatur, eo in capite ne gry quidem. Et tamen tu affirmas eandem historiam hoc loco (2. paral. 20.)

VWhita-  
kerus dis-  
putator  
ineptissi-  
mus.

2. Paral.  
20.

ral. 20) intelligi quæ extat 1. Reg. 16. At 1. Reg. 16. de rebus Iosaphat nihil extat. Ergo authore VVhitakero scriptura 2. paral. 20. falsa & mendax est. Sed væ tibi tuique mendacijs. Sacrosancta scriptura mentiri non potest.

VVhitakerus S. Scripturâ falli arguit.

Deinde affirmat scriptura à me citata Iehu filium hanani digessisse multa de rebus Iosaphat in libros Regum Israel. At libri Regum quos nos pro scriptura Canonica habemus, non sunt libri Regum Israel, sed sunt libri Regum Iuda & Regum Israel. Hic autem Iehu dicitur particularem historiam de regibus Israel composuisse, atque in eam etiam de rebus Iosaphat regis Iuda qui suo tempore regnavit multa contulisse. Hanc historiâ quam accuratissimam vocat Sixtus Senensis, non extare dicimus, vt & Athanasius in verbis modo citatis disertè dixit, eam annumerans Nathano, Adoni, Achizæ Prophetis quorum libri in libris Regum citantur sed non habentur: & Alphonfus Testatus in suis commentarijs ad locum à me citatum confirmat. Vides ergo quam absurdè & mendaciter affirmaveris eandem esse historiam 1. Reg. 16. cuius fit mentio 2. paral. 20. Nunc ad probationem tuam veniamus: quæ etiam generalis quædam videtur probatio non huius tantum responsionis tuæ sed & præcedentium. Id si ita est, tanto illa absurdior quanto generalior, quum sit per se absurdissima.

Certum esse ais libros Iudicum, & Ruth, & Samuelis, & Regum à pluribus Prophetis conscriptos fuisse. Certe hos libros omnes non ab vno & eodem Propheta conscriptos fuisse haud abnuerim; quum libros Iudicum & Ruth à Samuele scriptos fuisse communis hebræorum ac latinorum sententia sit: libros autem Samuelis & Regum ab vno Ieremia descriptos fuisse in superioribus ostendimus.

mus. Sed esto, quod plures quam hi duo omnes illos libros scripserint. Demus tibi tantisper Samuellem, Nathan, & Gad, duos primos libros Regum quos Samuelis tu vocas, conscripsisse: quod tamen verum non esse ex ipsa scriptura in superioribus ostendimus. Quo modo ex eo infers disputator absurde; ergo Iehu 2. paral. 20. citatus de rebus Iosaphat aliqua scripsisse, illa scripsisse censendus est quæ de rebus Iosaphat in libris Regum habentur? Quo modo inquam sequitur; libri Regum à pluribus Prophetis conscripti sunt: ergo Iehu filius hanani partē illorū librorū scripsit. Quamuis enim coniectura esse posset Iehu eius tēporis Prophetā, aliquā illorum librorum partem scripsisse, tamen firma hæc probatio non est, quum absque eo alij Prophetæ hoc præstare potuerint; Sed nec ipsa coniectura probabilis est, quū iste Iehu libros Regū Israel scripsisse perhibeatur 2. paral. 20. non autē libros Regū Iuda & Israel de quibus permixtini libri Regum quos habemus tractant. Cæterum hoc tibi negamus & hoc tibi probandum restat, libros Regum, tertium & quartum vt nos numeramus, à pluribus Prophetis esse conscriptos.

Collectio  
improbabilis.

Librum  
Iudicum  
non esse à  
pleribus  
conscrip-  
tum.

Enimvero in vno libro Iudicum hoc peregre-  
giè probare contendis. Vnde (inquis) Matth. 2. vlt.  
versu ex libro Iudicum testimonium citatur (nusquam enim  
alibi reperitur) & tamen dicit Matthæus, vt adimpleretur  
quod dictum est per Prophetas ex quo facile intelligi potest  
librum illum à pluribus Prophetis conscriptum fuisse. O  
magnum & sublime Professoris Regij Cantabri-  
giensis in disputando acumē. O eruditionem mul-  
tiplicem & reconditam. Quàm aptè & neruosè  
quod vult probat? quàm recondita & exquisita ar-  
gumenta profert? Palpari te sentis vir bone? At tu  
hic non palpandus sed fricandus es, & auricula tibi  
altum

altum stertenti vellicanda, vt maiori vigilantia aduertas, quid & quomodo scribas. Quid enim à te potuit absurdius aut ineptius profertur. Profert **D.** <sup>Argumē-  
tū VVhi-  
takeri ab-  
surdissi-  
mum.</sup> **Matthæus** vnum testimonium cap. 2. *Et Nazareus* vocabitur, quod dicit à Prophetis scriptum fuisse: & illud testimonium reperitur in libris Iudicum. Ergo satis constat librum Iudicum à pluribus Prophetis conscriptum fuisse. O he quàm acutè? Domine doctor & professor Regie, tum assumptionem tibi negamus quia falsa est, id quod postea declarabitur, tum consequentiã quia inepta est: quod hoc modo declaratur. Esto, fuerit hoc testimoniũ à **D. Mattheo** ex Prophetis citatum, in libro Iudicum. An propterea sequitur hũc librum Iudicum à pluribus Prophetis esse conscriptum? An non potius sequitur hoc testimoniũ etiam ab alijs Prophetis, & non in hoc solo libro Iudicum fuisse memoratum? Sanè librum Iudicum nõ nisi ab vno Samuele conscriptum fuisse omnium sententia est; & librum Iudicum à pluribus Prophetis conscriptum fuisse, tu opinor primus es qui vnquam affirmavit. Et cui verisimile esse potest tam paruum volumen plures authores habuisse? vtcunque est, hoc ex tua argumentatione nullo modo sequitur.

At, inquis, nusquam alibi hæc Prophetia reperitur quam in libris Iudicum. Ergo quum hoc testimonium à pluribus Prophetis dictum fuisse **Matthæus** affirmet, ipse liber Iudicum à pluribus Prophetis scribi debuit. Sed nec hæc tua illatio vel hilm valet. Primum quia si hoc testimonium in libro Iudicum tantũ haberetur, tamen nisi pluries & frequenter habeatur, non propter hoc testimonium liber Iudicum plures authores habere conuincitur. Si enim in libro Iudicum semel tantum hoc testimonium, referatur, an quæso hoc vnum testi-

T

monium

Nazareus  
voca-  
tur, quo-  
modo di-  
ctum est  
per Pro-  
phetas.

In cona. in  
March.  
c. 2.

Esaï. 11.

In prolo-  
go in Câr.  
Cant.

monium semel scriptum Nazareus vocabitur, à plu-  
ribus scribi potuit? An sic librum Iudicû à pluribus  
cõscriptû dices, vt etiam quodlibet testimonium &  
quælibet sententia plures authores habeat? Aut si  
non quodlibet testimonium, cur istud magis quàm  
cætera? Quia inquis, à pluribus Prophetis hoc di-  
ctum fuisse Matthæus affirmat. At hoc commodè si-  
simè intelligi potest, vt ante tot secula doctissimus  
Hieronymus intellexit, ideo sic Euangelistam esse  
locutum quia non verba de scripturis sumpsit sed sensum:  
& Nazareum dicens, sanctum intellexit. sanctum autem  
Dominum futurum omnis Scriptura commemorat. Hæc  
Hieronymus; qui tamen etiam ex Esaia iuxta he-  
braicam veritatem testimonium profert. Et Naza-  
reus de radice eius ascendet. Rursum commodè intelli-  
gi potest Matthæum, per Prophetas hoc dictum fu-  
isse quum ait, Prophetarum nomine intellexisse  
non celebres illos & in Canonem receptos, sed ob-  
scuriores aliquos & secretos authores, apud quos  
hoc testimonium habeatur. Quod ne à me temere  
aut ex meo cerebro dictum putes, neue testimonio  
ab Euâgelista prolato, aliquid ex hac interpretatio-  
ne fidei & authoritatis detractum existimes, profe-  
feram hoc loco quod de toto hoc testimoniorum  
genere Origenes accuratissimus scripturarum tra-  
ctator scripsit. Operosum (inquit) est si velimus inquire-  
re quàm multorum librorum commemoratio fiat in scri-  
pturis diuinis quorum lectio nulla nobis omnino est tradita,  
sed neque apud Iudeos haberi quidem vsus huiusmodi re-  
perimus lectionum: quæ siue pro eo quod aliqua supra huma-  
nam intelligentiam continebant, placuit Spiritui sancto  
auferrî de medio. siue quod essent de scripturis his quæ vocâ-  
tur Apocryphæ pro eo quod multa in eis corrupta & contra  
fidem veram inueniuntur à maioribus tradita, non placuit  
eis dari locum, nec admitti ad authoritatem, supra nos est  
pronun-

*pronunciare de talibus. Illud tamen palam est multa vel ab Apostolis vel ab Evangelistis exempla esse prolata, & nouo testamento inserta, quæ in his Scripturis, quas Canonicas habemus, nusquam legimus: in Apocryphis tamen inueniuntur, & euidenter ex ipsis ostenduntur assumpta.* Hæc ille, Non ergo sequitur, etiam si in libro Iudicum hoc testimonium haberetur, idcirco librum Iudicum à pluribus Prophetis esse conscriptum, quia hoc testimonium quod plurimum Prophetarum esse Matthæus dixit, in hoc solo libro inueniatur. Non sequitur inquam, quia apud alios adhuc Prophetas & in eorum libris quibusdam secretis atque Apocryphis inueniri hoc testimonium potuit, sicuti teste Origene (quod & multa scripturarum noui Testamenti exempla manifestum faciunt) ab Evangelistis & Apostolis alia testimonia citantur, quæ in his scripturis quas Canonicas habemus, nusquam legimus. Deinde vt tota tua argumentatio quàm sit stolidam magis adhuc videas; pone librum Iudicum à pluribus Prophetis scriptum esse. Quid hoc ad argumenta mea quibus tu nunc respondes. An ego ex libro Iudicum aliquod testimonium protuli? An non ex solis hætenus libris Regum & Paralipomenon disputauit? An verò sequi arbitraris, Liber Iudicum à pluribus Prophetis conscriptus est, ergo & libri Regum? Si hæc tibi consequentia bona videtur? age proba & quosuis scripturæ libros complures authores habuisse, vel si in alijs hoc sequi non vis, doce quomodo & cur in his solis sequatur. Aded tota tua consequentia, vt dixi, fracta ac mutila est, & minimè cohærens, planeq; ad rē impertinens.

Sed quid te amplius mi VWhitakere moror, aut quid te suspensum diutius teneo, vt minorem tuam propositionem omnino falsam esse, magno tuo cū dedecore ostendam. Dicis in libro Iudicum hoc te-

testimonium (*Nazareus vocabitur*) haberi & nusquam  
 alibi reperi. Primum qui sit ut librum citando  
 nullum libri caput designes, tu qui non capita ran-  
 tum sed & versus designare soles iuxta nouam tua-  
 rum hominum *πολυπραγμοσύνην*? Non occurrebat  
 fortasse, & in re notissima de capitis notatione la-  
 borandum non fuit. Sic opinor. Voluisti & te inani  
 labore liberare, & lectoris diligentiae ac scriptura-  
 rum cognitioni non diffidere. Laudo quod in lon-  
 go opere laboris compendio studes, & de lectoris  
 tui industria candidè iudicas. Sed heus tu. Vide ne  
 lectorem tuum & nos fallas: Mihi certè utcumque  
 in scripturarum lectione versato, vbi istud testimo-  
 nium in libro Iudicum inueniatur non occurrit.  
 Denique video te & optimo iure eum locum non  
 adnotasse quem probè sciebas in libro Iudicum nō  
 inueniri, & lectori tuo apertè imponere voluisse:  
 nisi fortè ut ab hoc execrando fallendi studio te vin-  
 dices, id dicas ab alio quodam authore, tuæ farinae  
 homine, istud te accepisse, qui ante te illud affir-  
 mauerit. Id si ita est, & cæcus cæcum sequendo in  
 foueam incidisti, suadeo tibi amicè ut huiusmodi  
 cæcos duces amplius non sequaris, sed ad illam lu-  
 cem venias de qua Christus dixit. *Vos estis lux mundi.*  
 Quamquam & illud addam, professorem Regium  
 minimè decere, ut ex aliena fide scribat, maximè ut  
 nouas & insolentes assertiones, alienis oculis cre-  
 dendo, idque ex ipsis scripturis, quæ tam facilè in-  
 spici possunt, scripto & typis mandet. Est enim hoc  
 & ignaui professoris & scriptoris indiligentis, & de  
 sua fide ac honore valdè negligentis. Quare id à me  
 discas Doctor indocte hoc testimonium, *Nazareus*  
*vocabitur*, in libro Iudicum non reperiri.

Testimo-  
 nium ex  
 libro Iu-  
 dicum ci-  
 tatū in eo  
 libro non  
 habetur.

Matth. 5.

Jud. 13.

Jud. 16.

An fortè dices illo in loco reperiri, vbi de Sam-  
 psone angelus matri prædixit. *Erit Nazareus Dei ab*  
*infantia*

*infantia sua?* An sic desipies, vt quod de Sampson Angelus dixit, & ipse de se Sampson suæ postea Dalila reuelauit, hoc de Christo prædictum fuisse Matthæum affirmasse dicas? Atqui aduertere debueras à D. Matthæo hoc testimonium proferri, nõ vt probaret Christum Nazaræum vocari, eò quòd consecratus esset Deo, vt hic Sampson, sed vt probaret à ciuitate tua Nazareth Christum Nazaræum esse vocandum. Sic enim est apud Matthæum. *Veniens habitauit in ciuitate qua vocatur Nazareth, vt adimpleretur quod dictum est per prophetas: quoniam Nazareus vocabitur.* Ait Euangelista Prophetas de Christo prædixisse *quoniam Nazareus vocabitur.* Agitur hic de ipsa vocabuli appellatione, idque à loco habitacionis desumpta; quæ sanè ita vulgaris erat vt in ipsa cruce titulus positus hoc habuerit. *Iesus Nazaranus Rex Iudeorum.* Sampson Nazaræus non vocabatur, nec dixit matri angelus, *Nazareus vocabitur*, sed: *Erit Nazareus ab infantia sua*, id est, vt ipse Sampson postea explicauit, *erit consecratus Deo ab utero matris suæ.* Nulla ergo hic prophetia est vel de Christo omnino, vel de futura nuncupatione Nazaræi, sed de Sampson nascituro, & quid ille futurus erat, non quid ille vocaretur.

Nazaræus  
Sampson  
de Christo  
intelligi  
nõ potest  
quòd Na-  
zaræus  
vocabitur

Ioan. 19.

Ind. 16.

Denique hoc quod de Sampson dicitur ad hanc Christi nuncupationem pertinere non posse, nomen in lectione Hebraica diuersitas manifestè docet. Sampson enim נַסְיָן per zain à נָסַד quod separationem significat. Nazareus & separatus ac consecratus Deo vocabatur. Christus autem à D. Matthæo, vt textus Syriacus habet, נַסְיָן cum tsade, quasi Natsoarethus vocatur, idq; à sua ciuitate, quæ etiam vt notauit Eusebius in demõstratione Euangelica olim vocabatur נַסְיָן. Quanquam & à נָסַד quæ Esa. cap. 11. florem significat, de radice Iesse

Christus  
non erat  
Nazareus  
sicut Sam-  
pson.

Lib. 2. c. 5.

ascendentem, Nazareus vocari Christus potuit, ve  
 supra ex D. Hieronymo dictum est. Sanè Christus  
 773 vt Sampson, id est, Nazareus vt primogeniti  
 Hebræorum vel Deo consecrati appellati non po-  
 tuit, quia primogenitorum & huiusmodi Naza-  
 reorum ritus Christus non obseruauit, nec absti-  
 nens à vino nec sacrificia obiens, vt illi Iudæorum  
 Nazarei solebant. A ciuitate igitur vt Matthæus  
 expressè dixit Nazareus vocabatur, & vocandus à  
 Prophetis prædicabatur: quanquam & hæc externa  
 nuncupatio altius quoq; aliquid designabat, hunc  
 esse florem illum *de radice Iesse ascendentem, super què*  
*requiescet Spiritus Domini &c.* vel etiam quia 773 Iu-  
 dæi custodire interpretantur, quod hic est verè cu-  
 stos hominum. Talis igitur tua hoc loco probatio  
 contra nos, est & in se falsa ac mendax, & in sua  
 consequentia inualida & imperrinens.

Esa. II.

VWhitakerus.

10. Sect.

\* Audacia  
mendax.\* Ridicu-  
lum.

Quintò dicit multa Salomonis scripta in Cano-  
 ne scripturarum iam minimè extare. Respondeo id  
 minimè mirum esse, quia iam pridem perierunt  
 nec omnino extant. Nam \* Canonica quædam  
 periisse, credo esse neminem qui dubitet. Quod si  
 iam extarent, \* probandum esset Stapletono in Ec-  
 clesiæ autoritate situm esse, vt essent vel non essent  
 in Canone.

Stapletonus.

Hoc igitur exemplum de multis Salomonis scri-  
 ptis (ad lebam ego & Davidis quod tu hic præter-  
 mittis) agnoscis pro vero, quod multa scripserat  
 quæ non extant. At Propheta ille fuit sicut & David  
 pater eius. Habemus ergo aliqua nunc veterum  
 Prophetarum scripta, etiam ex tua confessione, quæ  
 in Canone scripturarum non extant. At respondes  
 hoc mirum non esse, quod nunc in Canone non  
 sint,

sint, quia iam pridem perierunt : olim tamen fuisse : & addis, aliqua Canonica periisse neminem esse qui dubitet. Ita sanè, quod tibi firmis & solidis argumentis probandum fuit, id quia argumentis te destitutum videbas, tanquam axioma indubitatum ponis. At ego tuum axioma vt valde improbabile nego; & in præcedentibus cur improbabile existimari debeat, ratione satis probabili ostendi. Aio igitur vt in præcedentibus ex doctorum virorum iudicio & testimonio probaui, idcirco hæc tam varia Salomonis & Dauidis scripta periisse, quia non erant huiusmodi vt in Canonem recipi mererentur.

Suprà ad  
7. sect.

Sed hic magnum mihi scilicet & arduum negotiũ imponis, ne negare audeã illa Salomonis scripta, quæ interciderunt fuisse semper Canonica. Nã (inquis) si iam extarèt, probandũ Stapletono esset in Eccle-  
siae autoritate sitũ esse, vt essent vel nõ essent in Canone. Ri-  
diculũ caput: quasi hoc totum lōga satis & accurata  
disputatione à me iam locupletissimè probatum ac  
demonstratũ non fuerit in toto hoc quem impu-  
gnas, de princip. fid. lib. 9. & quidem ita vt meliorẽ  
huius disputationis partem, ipsumque adedõ funda-  
mentum & fontem (vt tute fallus es) contra omnes  
tuas inanissimas cauillationes, solidè defensam in  
præcedentibus dederim. Nempe quamlibet scri-  
pturam diuinitus inspiratam, quod talis vereq; di-  
uina sit, & in Canonem diuinarum scripturarum  
referenda, ex Ecclesiæ iudicio & autoritate nobis  
constare. Hoc iam dudum probatum dedimus; ne-  
strasque probationes contra hanc tuam futilissimã  
disputationem omnes defendimus & bonas ac fir-  
mas fuisse, te frustra contra stimulum calcitrante,  
docuimus : vt planè ridiculè agas, qui huiusmodi  
probationẽ quasi à me hæctenus nunquã tentatã, in  
me desideres; & à me proferendam postules.

Probari  
perit  
quod lo-  
cupletissi-  
me pro-  
batum  
fuit.

VWhitakerus.

II. Sect. Affert deinceps testimonium ex August- lib. 17. de ciuitat. Dei cap. vlt. vbi hæc verba reperiuntur. *Sunt scripta eorum* (intelligit Zachariam, Malachiam Aggæum) *sicut aliorum qui in magna multitudine prophetarunt: perpauci ea scripserunt, quæ authoritatem Canonis haberent.* Respondeo ista quæ ab Augustino dicuntur, nihil ad nostram causam spectant. Non enim ait multa à Prophetis scripta esse, quæ Canonicam authoritatem non haberent, sed inter multos Prophetas paucos admodum fuisse qui scripserunt: quia scilicet multi Prophetæ nihil scripserunt omnino. Ait ergo multos, qui viua voce Ecclesiam docuerunt, Prophetas fuisse; paucos autem qui aliquid omnino scripserint. Hanc Augustini mentem ac sententiam esse \* constat: vnde obiter Stapletoni † fides in Patribus citandis animaduerti potest. Atque hæc de Prophetarum scriptis obiecit Stapletonus. Iam ad Apostolorum scripta quæ ille nõ esse in Canonem recepta dicit, veniamus.

\* Cõfidẽ-  
tius quàm  
verius di-  
ctum.  
\* Rãicu-  
In accusa-  
tio.

Stapletonus.

Hoc in loco id agis vt me non bona fide Augustinum citasse doceas, quia verba eius in alium sensum traxerim quàm ille tibi sensisse videtur. Vt nostrum à mente Augustini aberrauerit iudicet lector. Accipio verba vt à te citantur. Ait horum Prophetarum Zachariæ, Malachiæ, Aggæi scripta superesse; sicuti & aliorum Prophetarum: E saia videlicet & Ieremiæ & aliorum: qui (scilicet alij Prophetæ præter hos tres) *in magna multitudine prophetarunt*, id est, ais tu, viua voce prædicauerunt: sed vt ego censeo, qui varia scripserunt prophetica, tum quia antithesis quæ in Augustino sequitur, *perpauci ea scripserunt, quæ authoritatem Canonis haberent*, ad hunc sensum me ducit (cõparat enim multos scribentes

bentes cum paucis talia scribentibus quæ authoritatem Canonis mereretur (tum quia quæ prophetæ veteres prophetarunt, non solum viua voce dici, sed etiam scripto committi, vt ad perpetuam rei memoriam & in exemplum posteris remanerent, solebant. Quod ne à me fingi putes, auctoritatem grauissimam & antiquissimam profero, qui hoc ipsum disertè commemorat. Dorotheus Tyreus episcopus, qui sub Constantino magno vixit in sua Synopsi de vita & morte Prophetarum & Apostolorum hunc in modum scribit. Omnes quidem prophetae vaticinati sunt ad Iudeos, admonueruntque eos de promissionibus Dei quas patribus fecit. Et hoc commune fuit omnium prophetarum institutum: E quibus nonnulli libros suos conscripserunt, vtpote Dauid qui sibi Psalmorum librum congesit: & Daniel qui iussus est in captiuitate literis mandare, quæ per visiones reuelata accepit: & quidam alij. Reliqui non ipsi prophetias suas, sed scribæ quæ in templo erant, cuiusque propheta sermonem, veluti cum dierum supputatione conscripserunt. Et quando propheta quispiam à Deo mittebatur, vel de Hierusalem quod in captiuitatem esset abducenda, vel de Samaria aut alijs locis, vel de reditu, vel de Antiocho, vel de gentibus finitimis, aut de ipso Domino Christo predicaret, singulis diebus vaticinabatur, & scribebatur id quod propheta singulis sermonibus predicabat. Predicabat autem de re quapiam certa, & cum alio tempore rursus de alia predicabat, iterum scribebatur, atque hoc modo iustus & integer liber ex varijs sermonibus propheta illius componebatur. Hæc Dorotheus. Ad hanc ergo Hebræorum consuetudinem, quam non ignorasse videtur, respiciens Augustinus ait, in magna multitudine prophetantium, per paucos ea scripsisse quæ authoritatem Canonis haberent. Sanè si præter hos paucos, alios illos in tanta multitudine prophetantes nihil scripsisse censuisset, vt tu eum censere

Prophetarum vaticinia semper scribi solita.

Dorotheus Tyrius in Synopsi.

August.  
docet  
quorundam  
propheta-  
rum scripta  
non esse  
in Cano-  
nem re-  
data.

affirmas, non ille adiecisset istos perpaucos ea scripsisse quæ Canonis auctoritatem haberent, sed simpliciter adiecisset, istos perpaucos scripsisse. Sic enim videtur dicere alios illos tam multos nihil scripsisse. Nunc autem hos perpaucos dicit ea scripsisse, quæ auctoritatem Canonis haberent, satis insinuans illos alios multos, prophetando scripsisse, sed non huiusmodi non talia quæ Canonis auctoritatem haberent. Alioqui inter illos multos & hos perpaucos prophetas discrimen ab Augustino positum iustum & æquabile discrimen non esset. Vides me satis bona fide Augustinum citasse, quum nec verba eius immutauerim, nec à sensu (vt minimum probabili) aberrauerim. Iudicet æquus Lector, tuus ne sensus an meus Augustini verbis magis conueniat: Nec enim in hac re adeò magnum momentum pono, quum & falli posse me in sensu Patrum, ingenuè agnoscam; nec ab hoc testimonio nostræ probationes adeò multum pendeant, quæ verbis scripturarum potissimum nituntur, ad quas auctuarij loco hanc Augustini sententiam subieci. Denique malo indoctus quàm infidus haberi. Bona fide me citasse, verba à te & à me eadem citata docent. An sensum tenuerim, aliorum esto iudicium.

Tu tamen quasi certa plaga hostem confecisses & quasi vna hirundo ver faceret, aut ex vno multa inferre liceret, lectorem mones vt aduertat quæ mea fides in citandis patribus sit. Sed te vnum mi VWhitakere rogo, cur hæc Augustini paucissima verba à me prolata tam diligenter examinasti, & aliam prolixam Augustini sententiam eodem in capite paulò post ex libro 18. cap. 38. de Ciuitate Dei prolatam penitus dissimulas, in qua etiam causam reddit, cur omnium prophetarum scripta auctori-

▼Whitakeri mala fides.

authoritatem Canonis non habeant. Hic sane obiter fides tua in citandis aduersarij tui argumentis animaduerti potest: quod facile tamen dissimulari potuisset, nisi frequenter hoc faceres: vt in superioribus sæpe ostensum est & postea sæpius ostendetur.

---

A N Q V I C Q V I D  
A P O S T O L I S C R I P S E R I N T  
I N S C R I P T V R A S C A N O N I C A S S I T  
relatum.

C A P V T. I I.

*VVhitakerus.*

**I**AM ad Apostolorum scripta quæ iste non esse in Canonem recepta dicit, veniamus. Primò *1. Sect.* Epistolam ad laodicenses nominat quàm à Paulo scriptam fuisse probat ex Coloss. 4. 10. Atqui illa Epistola iam (inquit) non est in Canone. Respondeo. Nulla huiusmodi Epistola eo in loco commemoratur, Apostolus enim dicit: *ἐκ λαοδικίας*: non *πρὸς λαοδικίαν*. adeo vt hæc Epistola, cuius hic mentio fit, non ad laodicenses sed ex laodicea scripta sit. Error natus est ex vulgari editione latina, quæ legit, *Epistolam laodicensium*. Olim quidem Epistola quædam eo nomine ferebatur, & multi antiqui eius meminerunt, vt Epiphanius in lib. cōtra Marcionitas: & alij. Faber Stapulensis inter Paulinas Epistolas hanc recenset, sed eo nomine ab Erasmo reprehenditur. Illi æquiores sunt & probabilius sentiunt, qui putant talem Epistolam fuisse, sed iam periisse.

perijſſe. Verum ne id quidem ex hoc loco colligi potest. Id mihi potius hoc loco significari videtur, laodicensēs nempe ad Paulum Epistolam scripsisse, in qua quoniam quædam fuerunt, quæ ad Colossenses pertinerent, quæque scire illorum interesset, Paulus eam quoque à Colossensibus vnà cum hac sua Epistola legi voluit. Hanc esse non incredibile & multo veriores opinionem iudico. Et sic quidē OEcumenius apertè scribit. Ουκ εἶπε τὴν πρὸς λαοδικεῖς, ἀλλὰ τὴν ἐκ λαοδικείας γραφείσαν, ἢ τὴν τῆ Παυλοῦ πρὸς λαοδικίας, ἀλλὰ τὴν ἀπὸ λαοδικείων πρὸς Παυλὸν, ἣν γὰρ τὸ πάντῃ ἐν αὐτῇ ἀφελῆν Κολοσσαίς. Atque hæc ex Chrysostomo sumpsit OEcumenius. Et Catharinus Pappista fatetur, non hic nominari Epistolam à se scriptam ad laodicensēs, sed ex eo loco scriptum : in comment. in hunc locum Hieronymus in Catalogo authorum Ecclesiasticorum, in Paulo, huius Epistolæ mentionem facit, sed passim ait reprobari. Secundum Concilium Nicenum adulterinam statuit, & tanquam suppositiam rejicit. Theophylactus putat hoc loco significari priorem epistolam ad Timotheum, quia illa ex laodicea scripta fuerat. Tertullianus verò lib. 5. contra Marcionitas Epistolam ad Ephesios.

*Stapletonus.*

Hic vt in re dubia ac difficili aliqua diligentia vsus es; ita tamen vt authores citaueris quos te nunquam inspexisse error in citando manifestè coarguit. Neque enim vel Epiphanius librum aut libros contra Marcionitas scripsit, sed in magno suo *παναρεία* contra omnes hæreses in tres tantum libros distincto, quorum quisque variarum hæresum refutationem continet, lib. 1. tom. 3. hæresi 42. contra Marcionitas disputat, neque Tertullianus contra Marcionitas libros 5. vt tu eum citas sed contra

vnum

vnum Marcionem scripsit: & neuter author de hac  
 epistola laodicensium aliquid habet: solum illam  
 quæ est ad Ephesios, ad laodiceos scriptam nun- Lib. 5.  
cap. 11. &  
17. Con-  
fut. 1.  
 cupavit Marcion quod in eo reprehedit Tertullia-  
 nus & Epiphanius. Ad rem quod attinet, tua mihi  
 sententia non videtur probabilis. Etsi enim iuxta  
 contextum græcum (cui certò fidendum non esse Græco  
Pauli ter-  
tu: mo-  
derno nō  
certò fi-  
dendum.  
 ne quidem vt tempore D. Chrysofomi & Theo-  
 doreti se habebat, vel ille illustris locus 1. Cor. 15.  
 ver. 51. *Omnes quidem resurgemus &c.* perspicuè do-  
 cet, vbi lectio græca sic corrupta est vt doctrinam  
 de resurrectione mortuorum, quam eo capite Pau-  
 lus summo studio confirmat, in discrimen vocet)  
 legendum sit, non Epistolam ad laodiceses sed  
 Epistolam ex laodicea; ex eo tamen non conuinci-  
 tur Epistolam ibi intelligi ab ipsis laodicensibus ad  
 Paulum scriptam vt tu censes, sed potius ipsam ali-  
 quam D. Pauli Epistolam ad ipsos olim laodice-  
 ses, scriptam quam hic iubet ex laodicea propter  
 loci vicinitatem peti, & apud Colossenses legi, sicut Probatuz  
Paulum  
ad laodi-  
censes  
epistolam  
scripsisse  
in Cano-  
nem non  
redactam.  
 et eadem ex causa iubet hanc ad Colossenses in lao-  
 dicensium Ecclesia legi. Apostolus enim laodice-  
 am urbem hic intelligit neque illam quæ in Syria  
 neque illam quæ in Media est, sed illam quæ in Col. 4.  
 maiori Phrygia fuit, contra hierapolim iuxta flu-  
 men Mæandrum: quæ vtraque ciuitas haud longe  
 à Colossis aberat. Vnde & colossenses iubet Paulus  
*salutare fratres qui sunt laodicea.* Illa ergo Pauli verba,  
*illa quæ ex laodicea est vobis legatur,* prorsus intelli-  
 genda videtur aliqua ipsius Apostoli Epistola olim  
 ad laodiceses scripta, quam ideo *ex laodicea* nunc  
 vocat, quia inde petenda erat, iamque non tam  
 Pauli quam laodicensium Epistola erat, ad quos &  
 propter quos illam Paulus miserat: & penes quos  
 tanquam eorum propria iam remanserat.

Vt in

1. ratio.

Ut in hanc sententiam adducar, facit imprimis quod nullo modo mihi verisimile fiat aliquam ipsorum laodicensium ad Paulum scriptam hoc loco Colossensibus commendari ut apud eos legatur. An enim probabile est laodiceses tam divinas & eruditas literas ad ipsum quoque Paulum scripsisse (à quo discere debebant, & quem docere non presumerent) ut illas eorum literas in Colossensium Ecclesia legi iuberet? Nullo modo probabile est tantam fuisse ipsorum laodicensium vel sapiētiam vel auctoritatem, ut ipsorum Epistola in vicinis Ecclesijs legi ab Apostolo iubeatur. Hæc soli Paulo alijsque Apostolis auctoritas tribuenda fuit, ut eorum Epistolæ in Ecclesijs publicè legantur. Quare non nisi de sua aliqua Epistola quæ propter ædificationem fidelium digna esset quæ publicè legeretur, Apostolus hic loqui putandus est.

2. ratio.

Coloss. 4.

Alioqui non esset hæc iusta & æqua comparatio, quam Apostolus hic facit dicens. *Cum lecta fuerit apud vos epistola, facite ut in laodicensium Ecclesia legatur; & eam qua laodicensium est (vel ut iuxta græcum legamus, que ex laodicea) vos legatis.* Non est inquam æqua comparatio si ab vna parte suam ad Colossenses datam laodiceæ legi iubeat. Colossis autem non suam ad laoduceses datam sed ipsorum Laodicensium ad se datam intelligeret. Vult autem Apostolus ut inuicem inter se propter locorum vicinitatem scripta Apostolica communicarēt, & Colossenses ad se datas literas laodicensibus, laodiceses vicissim ad se datas Colossensibus impartirent. Hæc est vera & germana Apostolicorum verborum sententia.

3. ratio.

Deinde si laodiceses ad Paulum scripsissent aliquam Epistolam, non iam laodiceæ sed in manibus Pauli illa Epistola verisimiliter foret; ideoque faci-

lius

lius Paulo fuisset illam ipsam ad Colossenses mittere, quàm ut ex laodicea illam peterent, iubere. Sed neque suam Epistolam laodicenses seruasse ut alijs Ecclesijs communicaretur, verisimile fit, vel ipsa prohibente modestia. Nam quod tu hic ais, *in hac laodicensium Epistola quedam fuisse qua ad Colossenses pertinerent, quæque scire illorum interesset, vel hæc eiusmodi fuerunt ut ad fidem ac pietatem informandam facerent, & hoc ut iam diximus verisimile esse non potest, vel talia erant quæ ad priuatas res Colossensium facerent, aut aliquid circa eos temporale concernerent, quale quid tua verba insinuant: & hoc certe à sensu Apostolico longissimè differt; qui ut in lectione Epistolæ ad Colossenses in Ecclesia laodicensium, non nisi spiritualem instructionem tota illa Epistola comprehensam intendit, sic omnino in lectione Epistolæ laodicensium seu ex laodicea in Ecclesia Colossensium non nisi similem instructionem intendebat.*

His accedit, quòd in Ecclesijs & conuentibus fidelium non nisi ea legi par erat, quæ ad fidem ac pietatem facerent: priuatis autem negotijs tractandis priuatæ ædes subseruiebant. Has sanè ego ob causas non nisi epistolam ipsius Pauli ad Laodicenses scriptam saluo sensu Apostoli intelligi posse existimo. Nec vulgata latina in versione quippiam errauit. Interpres enim quod res erat intelligès, illud *ex Laodicea*, aliquã Apostoli epistolam innuere, quæ olim Laodicensibus data fuerat, sed nunc inde petenda erat, iuxta Apostoli sensum rectissimè vertit, *illam qua Laodicensium est.* Cur autem hæc epistola ab Apostolo scripta, & Colossensibus ut legeretur commendata, in Canonem redacta non sit, hanc causam reddit Philastrius in lib. de hæresibus. *Annunt Cap. 90. Epistolam ad laodicenses scriptam, & quia addiderunt in ea qua-*

4. ratio.  
Vulgata  
versio nõ  
errauit.

*ea quaedam non bene sentientes, inde non legitur in Ecclesia, & si legitur à quibusdam, non tamen in Ecclesia populo legitur.* Hanc quoque forte ab eadem causa merito S. Hieronymus suo quoque tempore à quibusdam legit, sed ab omnibus explodi scripsit, loco à te citato. Sed siue ex hac siue ex alia causa, certum est hanc epistolam iustissimas ob causas ab Ecclesia Dei in Canonem S. Scripturarum receptam non fuisse utcumque ab Apostolo huiusmodi aliquam scriptam fuisse, ipse nos Apostolus docuit. Sed age, tu qui tam absurdum putas Apostolos aliqua scripsisse quæ in Canonem redacta non sunt, dic nobis quænam illa Pauli Epistola est ad Corinthios, de qua in prima quam nos habemus, cap. 5. dicit, *Scripsi vobis in Epistola, ne commisceamini fornicarijs, &c.* Clarum est, quod & interpretes norant, Epistolam aliquam illum intelligere ad Corinthios scriptam quæ non extat. Sed & quum 2. Cor. 1. dicat, *volui prius venire ad vos & per vos transire in Macedoniam &c.* Hoc eum scripsisse in 1. quadam epistola quæ non extat, notat D. Thom. in com. & Anselmus: sicut & ad illa verba 2. Cor. 12. *ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos,* per hanc 3. epistolam suam ad eos aduentum Paulum significasse, iidem interpretes textus Apostolici accuratissimi docent.

*Whitakerus.*

2. Scil.

\*Non respondes, sed ipsa aduersarij tui verba repetis.

Quod verò subiungit Stapletonus, fuisse libros quosdam à Petro scriptos, & librum etiam quendam de peregrinatione Pauli & Teclæ qui non sunt in Canone, \*Respondeo hos libros ab Ecclesia semper fictos & adulterinos iudicatos fuisse. Hieronymus in Catalogo, in Petro, tanquam Apocryphos & à Petro minimè scriptos reijcit. Liceat ergo mihi idem de his libris dicere, quod olim Augustinum de nonnullis longè antiquioribus libris dixisse

dixisse legimus 18. lib. de Ciuit. Dei cap. 38. *Hæc scripta castitas Canonis non recepit. non quod eorum hominum qui Deo placuerunt reprobetur auctoritas, sed quod ista non credantur ipsorum esse.* Non ergo in Ecclesiæ iudicio positum est, Prophetarū aut Apostolorum scripta Canonica vel non Canonica facere, aut quæ Canonica sunt reijcere, aut quæ non Canonica suscipere. Atque hæc de secundo Stapletoni argumento.

\* Mendacium quia quædam prætermittit intacta.

*Stapletonus.*

Quod tu hic respondes de libris Petro & Paulo ascriptis, hoc idem ego dixeram, & ex Hieronymo quem citas, inter Apocryphas scripturas reputari docueram. Quare hic tu meis verbis nihil respondes, sed mea verba rursus repetis & tanquam tua proponis. Istud qua nota dignum sit iudicet lector. Tot enim tu & tam multa in disputando vitia committis vt mihi ad ea exprimenda desint verba.

Nam & rursus vide quàm mala fide hunc locum tractaueris. Prætermittis & silentio inuoluis quod de constitutionibus Apostolicis his verbis proximis subiunxeram. *Constitutiones quoque Apostolicæ à Clemente octo libris digestæ sunt, nec tamen in Canonem receptæ.* Hæc tu verba altissimè dissimulas: hoc tu exemplū illustre & irrefragabile attingere non es ausus. Hos tu libros nec Apostolicos esse negare præsumis (tota quippe antiquitas tibi hoc neganti reclamaret osque impudens obstrueret) nec in Canonem receptos esse affirmare potes. Optimum ergo duxisti de eo exemplo ne gry quidem. Cautè sanè sed infidè atque improbè. Religionis causa non astutia humana sed fide & simplicitate Christiana tractanda est. Cæterum docere nos voluisti de numero eorum te esse, qui *in astutia ad circumuentionem erroris fidelibus imponunt, & fidem corrumpunt.*

Exemplū illustre penitus prætermittit.

Ephes. 4.

Hæc enim est *astutia ad circummentionem erroris*, id est ad circumveniendum & fallendum composita, ut in errorem homines ducantur vel in errore teneantur, hæc inquam, veritatis argumenta quibus error certissimè refutatur, astute dissimulare: & ut leues oratores non graues theologi facere solent, quod refutare nequeas præterire, quod aliquo fuce impugnari potest, ceteris lateribus confodere.

De ciuit.  
De lib.  
18. c. 38.

Eadem etiam fide totam Augustini sententiam proximè subsequenter, qua & causam reddit cur non omnia Prophetarum veterum scripta in Canonem recepta fuerint, penitus dissimulas & intactâ relinquis. Moxque quasi re bene gesta & hoste profligato cōcludis. *Atque hæc de secundo Stapletoni argumento*: quasi totum argumentum omnesque eius partes accuratissimè excussas tu validissimè refutas. A quo sanè tam longè abes, ut postremas eius partes nec attingere sis ausus: quæ autem attingisti, non nisi vanissimis cauillationibus, inanibus paralogismis, apertis etiam interdum mendacijs refutare conatus; fortius confirmasti, & firmiora esse quàm ut iustè refutari queant, demonstrasti.

Ad Augustini verba hic à te citata quod attinet, hæc eius prima responsio est de quibusdam veru-

Augustini  
citata sen-  
tentia ex-  
plicatur.

stissimis scriptis, *quorum (ait) nimia fecit antiquitas ut apud nos in authoritate non essent*: eò sanè magis quod in scripturis quoque nostris eorum scriptorum mentio non fiat. Atqui idem Augustinus eodem in loco de illis veterum Prophetarum scriptis quorum in nostra scriptura fit mentio, nec tamen in Canone habentur, aliter respondet: non sanè negans illorum esse Prophetarum quæ illis ascribuntur, sed affirmans ipsos veteres ac sanctos Prophetas *alia sicut homines historica diligentia, alia sicut Prophetas inspiratione diuina scribere potuisse*: atque hæc ita distincta fuisse,

August.  
ibidem.

isse, ut illa tanquam ipsis, ista vero tanquam Deo per ipsos loquenti iudicaretur esse tribuenda: ac sic illa pertinerent ad vbertatem cognitionis, hæc ad religionis authoritatem: in qua authoritate custoditur Canon. Augustini igitur sententia ut in superioribus etiam ostensum est disertè pro nobis facit. Quibus ita positis, manet argumentum nostrum firmum & validum, tum Prophetas veteres multa scripsisse in Canonem non redacta, ut varijs è scriptura petitis exemplis comprobatum est, tum Apostolos aliqua, ut de Epistola ad Laodicenses & vna ad Corinthios & de Constitutionibus Apostolicis per Clementem digestis iam clarum fecimus. Quæ autem in Canonem redacta sunt, illa Ecclesiæ authoritate & iudicio recepta fu-  
Similiter.

Q V O D L I B R I  
 S C R I P T V R A R V M O L I M  
 D V B I I A T Q V E A P O C R Y P H I P E R E C -  
 clesiæ authoritatem in Canonem recepti sunt.

C A P V T. III.

*Whitakerus.*

TERTIVM Stapletoni argumentum habetur in cap. 6. lib. 9. atque huiusmodi est. Ec-  
1. Sect.

clesiæ authoritate ac iudicio factum est, vt apocryphi primi generis, olim non certò Canonici sed dubij paulatim in Canonem reciperentur. Ergo &c. Libros Apocryphos primi generis vocat, de quibus primò in Ecclesia dubitatum est, qui tamen postea paulatim sunt recepti. Hi sunt, quos & idem & alij Papistæ δευτεροκανονικῆς vocant. Qui enim sunt secundi ordinis Canonici, sunt primi ordinis Apocryphi, cuiusmodi sunt in veteri Testamento, Tobias, Iudith, Ecclesiasticus, & alij illi libri, de quibus in prima quæstione disputa uimus; in nouo verò epistola ad Hebræos, Apocalypsis, secunda ac tertia epistola Ioannis, secunda Petri, historia adulteræ, epistola Iudæ, & epistola Iacobi. Cum istis Stapletonus 5. cap. huius libri librum pastoris, epistolam Barnabæ, & acta Pauli, Euangelium secundum Hebræos & peregrinationem Pauli enumerat, dicitque hos etiam primi generis apocryphos esse, cum hi libri nondum sint, nec vnquam fuerint in Canonem admissi, reliqui verò libri noui Testamenti iam dudum in Canonem recepti sunt. Et tamen ille dicit hos omnes eiusdem esse \* ordinis, generis, & \* naturæ, & quicquid discriminis inter illos sit, id ex eo esse quòd Ecclesia illos iudicauerit Canonicos, hos non Canonicos; illos receperit, hos verò repudiauerit. Sed multum præterea inter illos libros interest: alioqui Ecclesia non posset hoc discrimen facere, si quoad rem ipsam eadem omnium ratio esset. Si enim omnes hi libri sunt eiusdem generis, ordinis, & naturæ, quod Stapletonus ait, cur hos magis Ecclesia, quàm illos recepit?

\*Mendacium luculentum.

*Stapletonus.*

Mendaces magistri doctrinam mendacem absque frequentibus mendacijs sustinere nõ possunt,  
iuxta

juxta illud prophetæ: *Posuerunt mendacium spem suam, & mendacio protecti sunt.* Sed illud tamen mendacij genus turpe & crassum est, quod in authoris quem ex professo impugnas verbis falso & mendaciter citandis exercetur. Turpe est, aduersario affingere quod nunquam dixit, vt ita non aduersarij sententiam, sed tuam confictam calumniam impugnare cogaris. Crassum est ita propalana mentiri, vt statim à quouis inspecto quem citas libro, mendacium deprehendatur. Et tamen hæc sunt tua VWhitakere frequentia mendacia in hac tua contra me disputatione, vt iam sæpius ostendi, & hoc potissimum in loco ostendendum necessarium est. Vide enim quantum hoc loco & quoties apertè mentitus fueris, idque in illis meis verbis proferendis, in quibus tota consistit conclusio: *Ais & constanter repetis, me dicere, apocryphos primi generis citatos; quorum alij iam in Canonem recepti sunt, alij non recepti, eiusdem esse ordinis, generis, & naturæ. Addis me dicere, quicquid discriminis inter illos sit, id ex eo esse, quod Ecclesia illos iudicauerit Canonicos, hos non Canonicos.* Moxque subsumis, non posset hoc discrimen Ecclesia facere, si quoad rem ipsam eadem omnium ratio esset. In his enim omnibus propositionibus quas vel me dicere affirmas, vt duas propositiones primas, vel contra me subsumis, vt est postremo loco posita, aio te splendidè mentiri, & illa verba à me nusquam prolata, vel etiam verbis æquiualentibus asserta fuisse. Totum quod de his primi generis apocryphis dixi capit. 5. quod citas, istud est. Describo *varietatem & multitudinem librorum; quam in triplici differentia pono, his verbis; qui vel sub Apostolorum & Discipulorum eorum nominibus editi, pro sacris à quibusdam aliquo tempore habiti sunt; hoc est primum*

Mendacia  
magistri  
mendacis  
explicantur.

genus: *vel ab hereticis confecti, &c.* hoc est secundum genus: *vel denique à varijs hereticis vel negati, vel mutilati, vt exemplis in singulis doceo.* Ad libros primi generis reuoco illos omnes superius à te citatos, & apocryphos fuisse primi generis dico. Sed hic eleganter infarcis de tuo, vt quos ego primi generis tantum esse dixi, tu me dicere affirmas eiusdem esse generis, *ordinis, ac naturæ.* Non erat tibi aliquis refutandi locus, nec quod vel apparen- ter reprehendere posses, si mea tantum verba posuisses, & tantum eiusdem esse illa generis ex me dixisses. Vt igitur refutandi materiam haberes, addis & mentiris dicere me, eiusdem illos fuisse non generis tantum, sed & *ordinis ac naturæ:* quasi sanè dixissem omnes illos libros, æquè sacros, æquè diuinos, æquè fide & authoritate dignos, denique *quoad rem ipsam eandem fuisse omnium rationem,* quod vt à me dictum impugnas. Atqui ego libros illos antedictos, nec eiusdem ordinis, nec eiusdem naturæ esse, nec quoad rem ipsam eandem fuisse omnium rationem, vel dixi aliquando, vel per somnium cogitavi. At dices, id me saltem dixisse, *eiusdem generis illos omnes esse.* Dixi sanè; sed tuum erat Doctor indocte diligenter ex meis verbis colligere, quare & quo sensu id dixerim. Nec id tibi tam arduum aut difficile esse potuit. In principio quinti capituli à te citati, dixi vnam causam Ecclesiasticæ potestatis in consignandis Canonicis scripturis necessariæ, *ipsam esse varietatem & multitudinem librorum, qui vel sub Apostolorum & discipulorum eorum nominibus editi pro sacris à quibusdam aliquo tempore habiti sunt, &c.* & hoc est primum genus huius varietatis, de quibus postea (interiectis aliorum generum libris) dico: *Primi generis libri erant, Pastor, &c.* quos tu enumerasti, & cū alijs  
 primi

primi seu eiusdem generis Apocryphis ab Ecclesia postea in Canonem relatis à me commemoratos dixisti. Sed primi generis apocryphos & eiusdem generis apocryphos hos omnes esse dixi, quia *hi omnes sub Apostolorum & discipulorum eorum nominibus editi pro sacris à quibusdam aliquo tempore habiti sunt.* Hoc enim posui pro primo genere apocryphorum. Et in hoc omnes illi conueniunt, quòd Apostolorum vel discipulorum eorum nomina ferunt, & quod pro sacris libris à quibusdam aliquo tempore habiti sunt, quod posterius de illis apocryphis in Canonem non receptis statim probo, vt illo 5. capit. videre licet, quia de alijs iam in Canonem receptis illud probare opus non fuit. Sic ergo eiusdem generis esse dixi, non eiusdem naturæ, nec quòd eadem illorum omnium quoad seipsam ratio esset: sicuti tu me dicere constringis, vt aliquid refutatione dignum miser disputator haberes.

Apocryphorum  
primum  
genus vnde  
de distin-  
guatur à  
reliquis.

Deinde aliud illud mendacium tuum, ex quibus quæso meis verbis potuisti colligere? Ais dicere me, quicquid discriminis inter hos primi generis apocryphos est, id ex eo esse, quòd Ecclesia illos iudicauerit Canonicos, hos non Canonicos: illos receperit, hos verò repudiauerit. Hæc ego nusquã dico aut doceo. Neq; enim Ecclesia ex istis eiusdem generis apocryphis, alios fecit esse Canonicos, alios fecit esse nō Canonicos. Sed Ecclesia ex istis eiusdem generis apocryphis alios declarauit esse Canonicos, fecitque vt à nobis haberentur pro Canonicis: alios nō declarauit fecitq; nō declarando, vt nō habeantur pro Canonicis. Et hæc ego loquē impugnas disertè docui. Sic enim habet huius 6. capit. titulus. *Ecclesia sua authoritate effecit, vt qui pro dubijs aliquando habiti sunt, postea pro authenticis & certò Canonicis haberentur.* Vt haberentur dixi, non vt essent. De qua distinctione in præcedentibus satis

multa. Vides quam multis verbis opus fuit vt tua mendacia lectori aperirem. Sed quàm hoc necessarid faciendum fuit, subsequens disputatio demonstrabit.

*Whitakerus.*

2. Sect.

Sed iam argumento Stapletoni appositè & distinctè respondeamus. Respondeo autem quatuor. Primum dico Ecclesiam nunquam iudicio & calculo suo in Canonem scripturæ recepisse libros illos veteris Testamenti, quos illi *deuterogononixës* & primi generis apocryphos vocant, quod antea in prima huius controuersie quæstione satis confirmauimus. Si recepisse dicant, doceant quando & in quo concilio. Quæcunque verò concilia proferre possunt, \* recentia omnino sunt. Quæ verò ratio fuit, cur tam diu sine authoritate Canonica libri Canonici iacerent?

\* Mend.  
giun.

*Stapletonus.*

More tuo responsiones multiplicas; sed in quibus multiplicem tuam vanitatem ostendis. Quò enim plura respondes, eò pluribus vijs & modis, futilissimum te disputatorem demonstras: quod ego nunc singulas tuas responsiones appositè & distinctè refutando planum faciam. Dicis Ecclesiam nunquam iudicio & calculo suo in Canonem scripturæ recepisse libros illos veteris Testamenti, quos nos *deuterogononixës* & primi generis apocryphos vocamus. Hi autem sunt Tobias, Iudith, Ecclesiasticus, Hester, Machabæorum primus & secundus, Baruch, epistola Ieremiæ, Sapientia Salomonis, historia Susannæ, & quædam alia. Et addis hoc te in prima huius controuersie quæstione satis confirmasse. Rectius fecisses, postquam meum hic argumentum, mei que argumenti probationes refutandas tibi suscepisti, vt ad ea responderes, quæ ego  
hoc

hoc eodem capite ac loco ad huius rei confirmationem protuli. Sic enim (quod te facturum pollicebaris) *(meo argumento appositè & distinctè respondisses. Nunc autem meis probationibus quas ex tota antiquitate copiosè produxi, prætermittis (nisi quòd ex quàm plurimis testimonijs tua tibi tantùm vellicanda delegisti, de quibus mox satisfaciemus:) ad priorem quandam disputationem tuam nos remittis. Ego verò quæ contra me disputas defendenda suscepi, & ad illa respondebo, maximè quum hoc ipso loco ac capite quod impugnas, hos libros antedictos Ecclesiæ calculo & iudicio in Canonem receptos fuisse varijs & optimis testimonijs probauerim: quæ & mox denuò proferemus, vt tua impietas magis appareat, quæ S. scripturæ libros quos approbavit Ecclesia, respuere & reijcere audet. Si recepisse (inquis) dicant, doceant quando, & in quo Concilio. Iam in hoc ipso capite quod impugnas illa docui. Cur illis non respondes? Cur doceri postulas, quum ante oculos habes qui te doceat, multisque id argumentis docuerit? An non Thrasonem hic aliquem egregiè agis, qui aduersarium ad pugnam euocans, eoque iam in conspectu posito & ad pugnam paratissimo, hostem præsentem videre non vult, sed fortiter clamat: hostis cur non venit? cur non apparet? quare pugnam detrectat? Sic enim tu hoc loco. Stapletonum impugnas, eiusque argumento polliceris te *appositè & distinctè responsurum*. Nunc quum ad responsionis punctum venitur, postulas doceri ad quod respondeas, & quæ ille copiosè docuit, iactator vanissimus dissimulas. Doceant (inquis) quando & in quo Concilio. Atqui statim in prima acie protuli tibi Nicenum Concilium pro libro Iudith. Protuli concilium Laodicenum pro alijs omnibus, paucis exceptis. Protuli Gelasim cum concilio 70.*

Thrasonem  
agit ad-  
uersarius.

Concilio-  
rum testi-  
monia  
pro libris  
ver. Test.  
ab hæreti-  
cis repa-  
diatis.

episcoporum, pro istis omnibus etiam illis quos Laodicensis synodus prætermiserat. Protuli denique Concil. Carth. 3. cap. 47. pro eisdem omnibus. Ecce docuimus quando & in quo concilio. Quid tu ad hæc? *Quæcumq;* (inquis) *concilia proferre possunt, recentia omnino sunt.* Itane verò conciliū Nicenū primum ante annos mille trecentos, conciliū Laodicen. & Carthaginense 3. ante annos mille ducentos, conciliū Roman. sub Gelasio ante annos plus quam mille, recentia tibi sunt? Sed quæ ego protuleram agnoscere noluit, ut sic haberes quod aliquo colore reprehenderes.

Deinde infer, *quæ ratio fuit cur tam diu sine autoritate Canonica libri Canonici iaceret?* At hæc tua quæstio iam nulla est, cum non recentia sed antiquissima concilia fuerint quæ protulimus. Sed & nihil absurdi est libros Canonicos sine autoritate Canonica diu iacere, sicuti & alia multa fidei dogmata sine autoritate & obligatione credendi diu manserunt, Deo videlicet fidei veritates per Ecclesiæ suæ ministerium non simul omnes, sed alias post alias clarius explicando, & distinctius reuelando, quod in præcedentibus contra te explicatum dedimus.

*VWhitakerus.*

3. *Scit.* Secundum. Dico Ecclesiam nec potuisse nec debuisse eos in Canonem recipere. Qui enim non sunt in se verè Canonici, sacri, ac diuini, eos Ecclesia non potest Canonicos ac diuinos facere. Nam ne ipsi quidem Papistæ tantum Ecclesiæ tribuunt, cum illud solummodo Ecclesiæ officium sit, ut eos libros Canonicos esse declaret, & populo tantum Canonicos commendet, qui sunt reuera & in se Canonici. At hos libros non esse huiusmodi antea probauimus. Conciliū Laodicense eos nominatim reijcit, tanquam libros non

Canonicos.

*Suprà lib.  
1. c. 2.*

*P'enda-  
cium.*

Canonicos. *βιβλία ἀκανόνικα*. Hieronymus statuit. nullum dogma religionis ex illis probari posse. Quòd si Canonici essent, ex illis perinde ac reliquis quævis religionis dogmata cõfirmari possent.

*Stapletonus.*

Respondes hic Ecclesiam nec potuisse nec debuisse hos libros in Canonem recipere. Magna & audax assertio. Maior & firmior debet esse probatio. Ais te hoc antea probasse. Sed mox probationum tuarum summam repetis, saltem quæ firmiora tibi videbantur in medium adfers ex concilio Laodicensi & D. Hieronymo. Sed concilio falsum impingis, & D. Hieronymi verbis abuteris. Dicis. *Concilium Laodicenum eos nominatim rejicit, tanquam libros non Canonicos*. Falsum hoc est. Concilium Laodicenum eos omnino non nominat. Quomodo ergo nominatim rejicit? Adeo nihil sine mendacio efferre potes. Cõcilium Laodicenũ aliquos quidem ex illis prætermittit, non enumerat; nõ tamen eos nominatim rejicit. Aliud est tacere, prætermittere, necdum approbare, deniq; sententiam suspendere, & in medio relinquere: Aliud verò & longè aliud nominatim rejicere, nominatim reprobare, & pro non Canonicis pronunciare. Illud enim dubitantis adhuc est: istud verò certò definitis & reprobantis. Illud prius facit concilium istud: hoc posterius nõ facit, quod tu id facere falsò affirmas. Deinde illud cõciliũ, Baruch & epistolã Jeremiæ, in Canone ponit quæ tu VWhitakere in Canonem non admittis. Rursum Apocalypsin in Canone non ponit, quam tu cum tuis omnino ponendam asseris. Adeò huius concilij autoritas nos astringere non debet qua vos ipsi devinciri non vultis.

Hieronymi verbis, vti dixi, abuteris; qui quod

In prologo  
librorũ  
Salomonis  
de hu-

In prolo-  
go libro  
vni Salo-  
monis.

de huiusmodi libris dixit, eos quidem Ecclesiam legere sed inter *Canonicas scripturas non recipere, ideoq; ad edificationem plebis illa legi sed non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam*, id de Ecclesia sui temporis dixit: quæ necdum eos libros in Canonem receperat ad dogmatum probationem; sed paulò post à Spiritu sancto edocta in Concilio 3. Cath. alijsque postea Concilijs eos recepit. Ecclesiam proficere in melius, & temporis progressu multa videre ac decernere, quæ ab initio non fecit, ad illam Spiritus Sancti perpetuam suggestionem pertinet, quam Christus Ecclesiæ promisit, dicens. *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quaecunque dixerò vobis.* An simul & semel omnia docuit, omnia suggestit? An non orta dubitatione in Ecclesia circa obseruationem legalium, *conuenerunt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc?* Conuenerunt videre & discutere hanc veritatem: & quidem ita, vt magna *conquisitio fieret*, donec tandem surgens Petrus difficultatem solueret, edoctus à Spiritu Sancto. Vnde & postea sic concludunt Apostoli. *Visum est Spiritui S. & nobis.* Sic alia dogmata, sic ipse scripturarum Canon, non simul & semel totus, sed (vt de Epistola D. Iacobi scripsit S. Hieronymus) *paulatim tempore procedente obtinuit auctoritatem:* & vt de epistola Iudæ scribit, *auctoritatem vetustate & vsu meruit.* Hoc quippe maximè modo *Canonicæ scripturæ certò innotescere potuerunt.*

Ecclesia  
nò omnia  
simul de-  
termina-  
uit.

Joan. 16.

Act. 15.

In Cata-  
logo.

VWhitakerus.

4. Sect.

\*Propetu-  
um etu-  
gium.

Tertium. Fatemur de libris quibusdam noui Testamenti, vt de epist. ad Hebr. & alijs olim dubitatum fuisse, qui tamen libri postea recepti sunt in Canonem. Sed negamus hos libros propter Ecclesiæ tantum auctoritatem aut esse, aut haberi Canonicos. Quæro enim quæ ratio Ecclesiam induxerit, ac im-

ac impulerit, vt eos tandem reciperet? Nulla certe alia causa fuit nisi quod doctrinam in illis sacram & *Subtrahens* ac plane diuinam perspiceret atque cognosceret. Et vero \*quidni & nobis eadem ratio *+Vox hæretica.* persuaserit vt illos recipiamus? Quicquid aliud responderit, erit incertum.

*Stapletonus.*

Quod vris accidere solet, vt dum deformes suos catulos nimium ablingunt, contrectant, lambunt, hac eos præpostera sedulitate interimant, & quibus deformitatem tollere volebant eis vitam adimant, id omnino tibi VWhitakere contigit vt dum deformes istos & fædissimos conceptus tuos, quibus aliquos S. Scripturæ libros ab annis iam amplius mille in Canonem receptos tu è Canone eradere moliris, magis ac magis confirmare & perpolire studes, hac præpostera sedulitate & responsionum varietate eos penitus occidas, & quos ab omni absurditate liberare volebas, eos absurdissimos esse tute ipse demonstres. Hoc quippe *Responsio 3. aduersarij euer- tit I. & 2.* titium quod nunc respondes dementiam tuam in repudiandis illis S. Scripturæ libris quos à tot seculis Ecclesia Christi pro Canonicis recepit, apertissimè conuincit; & in hac tertia respõsione tuo te telo iungulas. *Fatemur (inquis) de libris quibusdam noui Testamenti, vt de epist. ad hebræos & alijs, olim dubitatum fuisse, qui tamen libri postea recepti sunt in Canonem.* Ex hac tua tertia respõsione totam tuam & primam & secundam responsionem subuertisti: In prima dixisti, *Quæcunque Concilia proferre possunt, recentia omnino sunt.* At eadem Concilia pro epistola ad hebræos, pro *Concilia eadē vet. test. libros hodie ab hæret. cis reiectos approba- runt, quæ* Apocalypsi, pro Epistola Iacobi, secunda Petri, secunda & 3. Ioannis, ac denique Iudæ proferuntur, quæ pro libris Machabæorum, Tobia, Iudith, Sapientia, Ecclesiastico. Nempe Concil. Carthag. 3. Cõcil.

noui test.  
libros ab  
eis rece-  
ptos.

cil. Rom. 70. Episcoporum sub Gelasio, Lateranen-  
se, florentinum, Tridentinum. Si ergo veteris illos  
Testamenti libros ideo reijcis, quia in Concilijs re-  
centioribus approbati fuerunt, eodem argumento  
epist. ad hebræos & alios noui Testamenti libros  
quos pro Canonicis recipitis, reijcere te oportebit:  
vel certè fateri te conuenit ( quod res est ) putidum  
illud tuum & absurdum fuisse argumentum. Rur-  
sum dicis in prima tua responsione. *Quæ ratio fuit,  
cur tam diu sine authoritate Canonica libri Canonici iace-  
rent?* An non vides ex hac tua præsentis confessione  
idem tibi rectissimè obijci posse? Nunc enim à te  
quærimus. *Quæ ratio fuit cur Epistola ad hebræos  
& alij libri noui Testamenti de quibus ( vt hic fateris )  
olim dubitatum fuit, postea tamè in Canonem recepti sunt,  
tam diu sine authoritate Canonica iacerent?* Si  
enim isti, etsi nunc vestra confessione Canonici, diu  
tamen sine authoritate Canonica iacuerunt, quid  
impedit quo minus & alij veteris Testamenti de  
quibus olim dubitatum fuit, posteaque in Cano-  
nem recepti sunt, sine authoritate quoque Cano-  
nica iacere potuerint.

Sed & hoc loco vide quomodo tibi ipsi vanissi-  
mè contra nos alio in loco obijcienti responderis.  
In quæstione prima huius tuæ disputationis hanc  
ponis Catholicorum obiectionem. *Obijciunt Papiste  
Canonem Scriptura vsque ad tempus Concilij Carth. 3.  
nondum fuisse constitutum. in quo videlicet Concilio illi li-  
bri veteris testamenti primi generis apocryphi pro Canonicis  
enumerantur. Illis ergo s. laodicenis patribus, licuisse hos li-  
bros extra Canonem relinquere, nobis perinde non licere  
post definitum hunc ab Ecclesia Canonem Scriptura. Ad  
hanc obiectionem respondes. Sed hoc minus absur-  
dum est. Quis enim nisi admodum impudenter defendet  
nullum fuisse certum Canonem ne veteris quidem Testa-  
menti,*

Cont. 1.  
q. 3. cap. 6.  
Pg. 22.

menti, annis 400. post Christum, nimirum vsque ad tempus Concilij Carthaginensis? Tam diu Ecclesia nesciuit qui nam libri ad Canonem Scripturæ pertinerent? falsum & impium. Hæc tu illo loco. Vide nunc quomodo hoc totum in tuum caput retorquetur, & vt ante dixi, tuo te telo iugulas. Fateris hic Epistolam ad hebræos & alios libros noui testamenti de quibus olim dubitatum fuit, postea in Canonem receptos fuisse. Hic si ego tibi respondeo, quid ais? Tam diu Ecclesia nesciuit qui nam libri ad Canonem Scripturæ pertinerent? falsum & impium; Rursum, Quis nisi admodum impudenter defendet nullum fuisse certum Canonem ne noui quidem testamēti, annis 400. post Christum &c. an habes quod de hac responsione queraris? Si inquam, te impudenter defendere falsam & impiam sententiam sustinere dixerō, an tibi iniuriam facio? Sed verius est illam Catholicorum obiectionem omni impudentia, falsitate, & impietate carere; verius est plenū & integrum S. Scripturæ Canonem non nisi aliquot post Christum seculis promulgatum & in plenīs Concilijs definitum fuisse. Et hanc veritatem tu nunc nobiscum fateris. Nunc enim agnoscis Epistolam ad hebræos aliosque libros noui testamenti, de quibus olim dubitatum fuit, in Canonē tamen postea receptos esse. Nunc agnoscis non esse impudentem sententiam falsam, aut impiam, sed contrā modestam, veram, & piam; quod certus Scripturatum Canon (loquendo de plenitudine eius, ac publica promulgatione, quo sensu Catholici hæc loquuntur) aliquot post Christum seculis non fuerit; Nunc agnoscis nec falsò nec impiè dici, Ecclesiam aliquamdiu nesciuisse vel potius non declarasse qui libri ad scripturæ Canonem pertinerent. Tu enim in hac responsione tua tertia in Canonem receptos

Hæretici  
moderni  
in recipi-  
endis S.  
Scripturis  
sibi con-  
trarij.

ceptos libros agnoscis, de quibus olim dubitatum fuit. Sic ergo hæc tua tertia responsio primam tuam hoc loco responsionem & aliam præcedentem, à me iam prolata, penitus subuertit.

Responsio  
3. aduer-  
sarij euer-  
git secun-  
dam.

Præterea quod in secunda tua hoc loco respon-  
sione dixisti, Ecclesiam nec potuisse nec debuisse  
eos in Canonem recipere qui non sunt verè Cano-  
nici, moxque quosdam non esse verè Canonicos  
probare voluisti quia Concilium laodicenum tales  
nominatim reiecit, hoc est (vt nos ostendimus) præ-  
termisit, & inter Canonicos non numeravit; hoc  
iam totum hæc tertia tua responsio refutat & de-  
struit. Iam enim Apocalipsim à Concilio laodicensi  
prætermissam, vtcunque de illa olim etiam ab ipso  
Hieronimo dubitatum fuit, in Canonem recipi fa-  
teris. Est enim hic liber ex alijs illis noui testamen-  
ti libris, vnus quos cum epist. ad hebræos à te citata  
in Canonem receptos esse fateris. Egregius videli-  
cet Magister & architectus es, qui quod in prima &  
secunda tua responsione ædificasti, hoc in tertia de-  
struxisti. Mendacem oportet esse memorem. Sed  
hoc ipsum forte non memineras.

Hæretici  
sine Eccle-  
siae autho-  
ritate ni-  
hil certum  
de Scri-  
pturis ha-  
bent.

Deinde quod ad causam principalem magis at-  
tinet, tu tibi ipsi Whitakere documento esse potes,  
nihil te in religione Christiana certum ac firmum  
tenere posse, nisi ad Ecclesiae magisterium & au-  
thoritatem confugias. Vide enim. Illos primi gene-  
ris apocryphos veteris testamenti in Canonem ab  
Ecclesia dudum receptos pro Canonicis agnosce-  
re non vis. Alios primi generis apocryphos noui te-  
stamenti libros ab Ecclesia postea in Canonem re-  
ceptos pro Canonicis agnoscere vis. In illis Ecclesiae  
authoritatem impugnās, videre & agnoscere nullo  
modo vis. In his Ecclesiae authoritatem agnoscere  
& fateri cogis. Argumenta quibus in illis appro-  
bandis

bandis Ecclesiæ auctoritatem conuellere studes, si quid valerent, in istis quoque approbandis eandem auctoritatē nō minus conuellūt. Aut ergo omnes primi generis apocryphos, omnes illos libros de quibus olim dubitatum fuit pro non Canonicis respuere & abijcere; aut omnes quos Ecclesia recepit cum Ecclesia recipere cogaris. Hac tu ipse necessitate te constrictum videns, subiungis hoc loco. *Sed negamus hos libros propter Ecclesiæ tantum auctoritatem aut esse aut haberi Canonicos.* Vides & proclamas in istis recipiendis libris, propter Ecclesiæ auctoritatem id fieri. Sed negas propter illius tantum auctoritatem eos recipi. Ridiculum caput Quis vnquam hoc dixit? Quis vnquam fidei dogmata, propter Ecclesiæ tantum auctoritatem, à credentibus recipi affirmavit? Quis vnquam Spiritus Sancti internum testimonium, internam gratiam, internum donum ad omnia quæ sunt fidei recipienda negavit? Sed Deum per Ecclesiæ ministeriū externum, hoc fidei donum nobis impartiri, & ordinario modo ac via per Ecclesiæ organum suum nobis spiritum infundere, in præcedentibus ex diuinis Scripturis copiosè probatum est, tuique Caluini manifestis verbis agnitum.

Sed tu fortasse Ecclesiæ tantum testimonium hic negas non solūm vt diuini spiritus internum testimonium necessarium ad iungas (sicuti in superioribus negasti) sed aliam etiam aliquam ob causam. Sic enim subiungis. *Quæro enim quæ ratio Ecclesiam induxerit vt eos tandem reciperet? Nulla certè alia causa fuit, nisi quod doctrinam in illis sacram ac planè diuinam perspiceret atque agnosceret.* Rectissimè iudicasti, Ecclesia enim à diuino spiritu infallibiliter regi, ut ac docetur omnia, vt certissimè iudicare possit quæ sit doctrina sacra planeque diuina, qui libri doctrinam

sacram planeque diuinam contineant qui non.

Age ergo, vis nunc Withakere propter Ecclesie  
 auctoritatem et iudiciũ eos libros pro Canonicis  
 recipere, quos illa Canonicos esse, et doctrinã sa-  
 cram planeq; diuinam continere affirmat? Mini-  
 me, inquis, propter illam tantum. Cur hoc obsecro?  
 Quidni enim ais, et nobis eadem ratio persuaserit vt  
 illos recipimus? Quid ais? Ecclesie iudicio & au-  
 thoritate contentus non es? Tibi quoq; hoc tribuere  
 audes, vt quæ sit librorum doctrina sacra planeq;  
 diuina, tu non secus perspicere ac iudicare queas,  
 quam Ecclesia? ideoque huiusmodi libros pro di-  
 uinis & Canonicis æque propter iudicium tuum  
 quam propter Ecclesie iudicium recipias? æquẽ il-  
 los admittas quia tibi persuasum est doctrinam in  
 illis sacram esse atque diuinam quàm quia hoc Ec-  
 clesie persuasum fuit? An te non minus sapere  
 quàm sapit Ecclesia homo audax, imo superbe &  
 vanissime hæretice, præsumis? Istud ne est sapere  
 ad sobrietatem, sicut unicuique Deus diuisit mensuram fi-  
 dei? An tibi eandem mensuram donatam præsumis  
 quæ data est Ecclesie præpositis ac magistris? Nun-  
 quid omnes Apostoli? nunquid omnes Propheta? nunquid  
 omnes doctores? An si caput pedibus dicere non potest, Non  
 estis mihi necessary? tu adhuc ex pedibus Ecclesiastici  
 corporis vnus, (atque vtinam vnus, & non per ne-  
 farium schisma à toto corpore diuisus esses) potes  
 capiti dicere, non es mihi necessary? Potes Ec-  
 clesie præpositis dicere, quæ vobis ratio persuasit  
 hos esse libros Canonicos, eadem & mihi persua-  
 dere potest? Non ergo propter vos tantum vestrum-  
 que iudicium sed et propter me quoque meumque  
 iudicium illos libros pro Canonicis recipiam? Er-  
 go homo absurdissime quia Ecclesia est columna &  
 firmamentum veritatis tu quoque eadem columna  
 idem

Hæreticus  
 quisque  
 non minus  
 sapere  
 quam Ec-  
 clesia vult.

-Rom. 12.

1. Cor. 12.

1. Tim. 3.

idem firmamentum esse vis? Quæro enim quid illud est propter quod Ecclesiam columnam & firmamentum veritatis Apostolus vocauit? Sanè quia omnem fidei ac religionis veritatem certissimè tenet, aliosque firmissimè docet.

An tu hanc tibi certitudinis lucem & firmitatem vindicare audes? Proxus tibi hoc audacissimè vindicas. Et verò quidni, inquis, quasi templanè competentissimam & indubitataam affirmares. Et verò quidni te insanire dicamus qui sic loqueris? Nullus ergo in Ecclesia ordo, nullum donorum discrimen est? *Divisiones gratiarum diuisiones ministratorum. diuisiones operationum non sunt?* An voluit Deus in sua Ecclesia regnum ranarum constituere? An voluit omnes æquè sapere, æquè iudicare, æquè clamare? An non voluit alios oues esse qui discerent ab alijs, alios pastores esse qui docerent alios? Sed tu vis omnino de numero doctorum esse, imò omnes & singulos vis in hac causa doctores esse, vt quod Ecclesia videt & iudicat, omnes quoque videre & iudicare queant. Sanè ad te quod attinet, verum est Pauli verbum. *Conuersi in vani loquium. Volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ affirmant neque de quibus loquuntur.* Tu qui vis non minus sapere quam Ecclesiarum omnes præpositi vel tot Conciliorum vel tot ætatum qui summo consensu hos libros veteris ac noui Testamenti de quibus olim dubitatũ fuit pro Canonicis agnouerũt, vt ex illis quos tibi ratio eadem persuasit recipias, quos non persuasit repudies, tu inquam tam alta sapiens, tam in hac tua disputatione absurdus, tam tibi contrarius, tam in colligendo ineptus, in proponendo ignarus, in affirmando temerarius hactenus inuentus es, & in tam multa vaniloquia conuersus es, vt quasi iusta cæcitate percussus, verè non

Hæreticæ  
presumptionis  
impietas.

1. Cor. 12.

Ephes. 4.

1. Tim. 1.

*intellegeris, neque quæ affirmasti, neque de quibus loqueris: id est, neque ipsa quæ ad probandum argumenta proposuisti, neque ea quæ contra nos probare ac defendere voluisti. Sic nimirum fit ut qui nolunt esse discipuli veritatis, fiant magistri erroris: qui nolunt esse Ecclesiæ filij, fiant in Babylonia spurij & adulteri. Verè enim Babylonicam confusionem, spiritios, adulteros, ac rebelles Ecclesiæ filios hæc tua arrogantissima sententia generat, nutrit ac fouet.*

Veterum hæreticorum fundamentum in repudiandis S. scripturis,

Hæc tua sententia omnibus hæreticis illis, quos nostri operis quod impugnas cap. 5. recitavi, & tu in hac tua disputatione q. 1. c. 3. repetis, qui varias scripturæ partes vel penitus negarunt, vel mutare ac mutilare ausi fuerunt, fundamentum dementiæ ipsorum fuit: Hoc inquam quod tu hic dicis, ut ipsi met videant ac iudicent, an liber qui scriptura sacra dicitur doctrinam sacram planeque diuinam contineat. Non hoc ab Ecclesia discere voluerunt, sicut nec tu vis; sed ipsi met hoc videre & iudicare, quod quia non viderunt nec iudicarunt, idè quæcunque libuit repudiarunt. Sic Faustus Manichæus apud Augustinum. *Me (inquit) Manichæa fides reddidit tutum, quæ principio mihi non cunctis quæ ex Saluatoris nomine scripta leguntur, passim credere persuasit, sed probare si sint vera, si sana, si incorrupta.* Hæc ille. Hoc idem te docuit Calviniana fides. Hoc vnumquemque hæreticum sua fides docet, ut quæ in scripturis suis dogmatib. aduersa videt, ea improbet quæ cõsentanea probet; ut olim Tertullianus ac D. Hieronymus obseruarunt. Illa enim vnicuique hæretico vera, sana, incorrupta videntur, quæ ipsius fauent dogmatibus: illa falsa, ægra, corrupta, quæ ipsius aduersantur dogmatibus. Sic tu VWhitakere Machabæorum libros non recipis, quia orationes pro defunctis

Lib. 18. cap. 3.

Tertul. in præscript. Heron. in præem. comm. in Titum. Manichæa fides

sanctis fratribus quas tu negas, in illis libris aper-  
tissime asseruntur. Hoc est vt dixi omnium hære-  
sum fundamentum, vt quid verum, quid falsum  
sit, non Ecclesiæ magisterium, sed suus cuique ani-  
mus iudex sit.

VWhita-  
keri fides  
est.

Vnde quod olim Manichæis certas scripturas  
reprobantibus, quia iuxta Manichæam fidem pro-  
bare voluerunt, quæ scripturarum partes sanæ, ve-  
ræ, & incorruptæ essent, quæ nõ, respondit S. Augu-  
stinus; idem hoc loco tibi VWhitakere certas scri-  
pturas reprobanti, & alias recipienti, quia iuxta  
Caluinianam fidem probare vis, qui scripturarum  
libri doctrinam sacram ac planè diuinam conti-  
neant, probare inquam vis: quia omnino vis vt que  
ratio Ecclesiæ persuasit, vt tales libros reciperet, eadem tibi  
ratio idem persuadeat, vt tu quoque eosdem recipias, Opti-  
mo iure respondeo. Videtis id vos agere vt omnis de me-  
dio scripturarum auferatur authoritas; vt suus cuique ani-  
mus author sit, quid in quaque scriptura probet quid impro-  
bet, id est. vt non authoritati scripturarum subijciatur ad fi-  
dem, sed tibi scripturas ipse subijciat: non vt ideo illi placeat  
aliquid quia hoc in sublimi authoritate scriptum legitur;  
sed ideo recte scriptum videatur, quia hoc illi placuit. Quo-  
te committis anima misera, infirma, carnalibus nebulis in-  
uoluta, quo te committis? Hæc ille Nempe ne suus cui-  
que animus author esset, quid in quaque scriptura  
credendum, quid non, quid pro diuina scriptura  
habendum quid non, ne anima carnalibus nebulis  
inuoluta huic se periculo & præcipitio committe-  
ret, posuit Christus in Ecclesia sua lucem, quam at-  
tenderemus, Præpositos Ecclesiarum quibus dixit,  
vos estis lux mundi, iussit nos illos audire tanquam se-  
ipsum: Qui vos audit, me audit. Dedit Apostolos, Prophe-  
tas, Pastores, Doctores. vt per illorum magisterium  
confirmarentur fideles, ne quolibet doctrinæ vento

Contra  
Fauftum  
lib. 32.  
cap. 19.

Matt. 5.  
Luc. 10.  
Ephes. 4.

circumferrentur. Hac de re in præcedentibus multa, vbi & hanc eandem dementiam tuam compressimus: Sed & nunc à te repetita denuò comprimenda fuit.

*Whitakerus.*

*s. Sect.*

**Quartum.** Etsi in quibusdam Ecclesijs de his libris noui Testamenti dubitatum est, aliæ tamen eos receperunt. Sic enim Eusebius scribit de his epistolis; & de epistola Iacobi lib. 2. cap. 23. nominatim. Etenim illam <sup>νοθευσα</sup> affirmat, tamen fuisse in multis Ecclesijs <sup>δεδοσσοσευθεντι</sup> confiterur: quod illi non possunt de epistola Barnabæ, aut Euangelio secundum Hebræos, aut de huiusmodi alijs commentitijs & adulterinis libris dicere. Verùm si fuerint isti libri æquales inter se, & eiusdem ordinis, ut

*Mendacium.* \* Stapletonus ait (intelligo hos Canonicos libros & illos supposititios, quos ipse commemorat) & Ecclesia fecerit, ut non essent æqualis authoritatis, quoad nos, tum Ecclesia grauitè errauit. Neque enim Ecclesia debuit facere, ut qui libri sint in se paris authoritatis, non esse nobis videantur. At

*Mendacium.* hos libros Stapletonus ait esse \* eiusdem ordinis quoad se, sed quoad nos Ecclesiæ iudicio tribuit, quòd hi Canonici habeantur, non itidem illi. At verò Ecclesia non potest librorum qualitatem mutare, sed quales in se libri sint, tales esse nobis pronuntiare. Ergo si æquales omnes erant, æquale de omnibus iudicium ferri debuit. Hoc esse positum in arbitrio Ecclesiæ nunquam efficiet: sed tamen quemadmodum conetur videamus.

*Stapletonus.*

In hac quarta responsione duo dicis. Primum inter apocryphos primi generis quoad libros noui Testamenti hoc discrimen ponis, quòd qui ex illis in Canonem postea recepti sunt, etsi à quibusdam

de illis

de illis dubitatum fuit, tamen aliæ Ecclesiæ eos receperant: qui verò ex illis in Canonem non sunt recepti, ab alijs Ecclesijs non fuerunt recepti, sed quali in vniuersum ab omnibus reiecti. Tametsi hoc quod ponis discrimen in eo verum sit, quòd isti non recepti libri, haud dubiè ab alijs Ecclesijs cum tanto consensu recepti nunquam fuerunt, sicut illi qui postea approbati erant, tamen à quibusdam pro sacris illis receptos fuisse illustrium Patrũ quos de singulis produximus testimonia euincunt. Cæterum libros istos postea in Canonem receptos Lib. 9. c. 5. multò magis, multoq; frequentius à varijs Ecclesijs receptos; & à patribus citatos fuisse per libet concedimus, nosque varijs testimonijs hoc eodem loco quem impugnas probauimus. Hoc verò ad eò Veteris Test. libri ab hæreticis hodie reiecti eodem arg. recipiendi quo recipiuntur noui Test. libri. contra nos non facit, vt tuas exceptiones contra libros veteris testamenti ex primi generis apocryphis, manifestè conuellat & euertat. Quemadmodum enim hæc vna causa erat, quæ Ecclesiã mouebat, vt illos noui Testamenti libros de quibus aliquando dubitatum fuit postea in Canonem receperat, hæc, inquam, quòd etsi in quibusdam Ecclesijs de illis dubitaretur, aliæ tamen Ecclesiæ eos receperant; eodem planè modo, eadem causa vna erat, quæ mouebat Ecclesiam, vt libros illos veteris Testamenti, de quibus aliquando dubitatum fuit, Sapientiam, Ecclesiasticum, Tobiam, Iudith, Machabæorum primũ & secundum, in Canonem postea reciperet, quia etsi in quibusdam Ecclesijs de illis dubitatum fuit, tamen aliæ Ecclesiæ eos receperant. Hanc enim causam affert Concil. Carth. 3. quod illos omnes libros in Canonem recipit: quia (inquit) à patribus ista Concill. Carth. 9. Cap. 47. accepimus in Ecclesia legenda. Patres dicunt Ecclesiarum magistros, qui in suis Ecclesijs ea legerunt. Eandem causam pro historia Susannæ in collatio-

ne cum Iulio Africano profert Origines : *quia* (inquit) *hanc historiam ad Ecclesie edificationem susceperunt Patres nostri, quorum terminos nobis constitutos minime transgredi debemus.* Sic pro libro Sapientie Salomonis veterum Patrum testimonia, & vsum profert Eusebius, & D. Augustinus. Vide nunc quid hæc tua quarta responsio te iuvat. Ais noui Testamenti libros olim apocryphos & dubios postea in Canonem receptos ideo fuisse, quia etsi quidam de illis dubitarent, aliæ tamen Ecclesie illos receperant. Atqui idem verum quoque est de libris veteris Testamenti olim dubijs atque apocryphis, quod etsi à quibusdam de illis dubitaretur, aliæ tamen Ecclesie eos receperunt. Ergo vel isti quoque veteris Testamenti libri, quos tu omnes tam fastidiosè reijcis, eandem ob causam à te recipiendi sunt; vel agnoscere debes hanc causam quam protulisti & hanc quartam responsionem tuam nullam esse, vanam & friuolam fuisse. Vtrum malis elige.

Secundum quod in hac quarta responsione dicis, ab illis tuis verbis, *Verùm si fuerunt isti libri æquales, &c.* vsque ad finem, merum esse vagantis tui cerebri somnium & delirium, nec quicquam aliud quàm repetita mendacia, ex his quæ in prima sectione huius capituli aduersum te dixi, satis luculenter & perspicuè demonstraui. Non te arbitror ea rursus audire velle. Sed & ideo plenius turpe & crassum mendacium tuum, quod hic repetis, eo in loco explicui, quia hoc te rursus loco illud repetiturum præuideram.

S. S. PATRVM TESTIMONIA, QVIBVS EX ECCLESIAE AVTHORITATE libros apocryphos à Canonicis distinctos fuisse, probatum erat, examinantur; & contra aduersarij cauillationes defenduntur.

## CAPVT. IIII.

*Whitakerus.*

CITAT deinceps Stapletonus multa patrum testimonia, è quibus ego tria tantum, quæ sunt præcipua examinabo, \* aliena prætermittam.

*Stapletonus.*

Quia tria tantum tu ex illis multis examinas, cætera tanquam *aliena* prætermittis, ego hic illa cætera repetam, tum vt in ipsa causa Lector melius instruat, tum vt iudicet ipse an hæc sint, vt tu illa vocas, *aliena*, quasque ad ipsam causam quæ hic tractatur nihil pertinentia. Propositum mihi fuit hoc cap. 6. lib. 9. ostendere quod ex apocryphis primi generis tam veteris quàm noui Testamenti, varij libri in Canonem postea recepti fuerint, & hoc ex Ecclesiæ authoritate factum fuisse. Ad hoc probandum profero primùm Concilium Nicenum primum pro libro Iudith, ex testimonio Hieronymi his verbis: *Liber Iudith inter hagiographa ab hebræis legitur. Sed quia hunc librum Synodus Nicena in numero Sanctarum Scripturarum legitur computasse, acquieui postulationi vestræ vt eum ex hebræo in latinum transferrem.* Agnoscit D. Hieronymus à Synodo Nicena hunc librum in Canone computatum: & propter huius Synodi authoritatem eum ex Hebræo vertit. An hoc tibi alienum testimonium videtur? Proximo loco Athanasium profero, qui Apocalypsin inter Canonicos libros numerat, quia (inquit) à priscis Sanctis & Spi-

I. Sect.  
\* Mendaciū, quia nulla sunt aliena.

Apocryphi primū libri postea Ecclesiæ authoritate in Canonē redacti.

In præfat. in librum Iudith.

In Sy-  
nopsi.

Lib. 4. ad  
Marcio-  
nem.  
Can. ult.  
Epist. 3.  
cap. 7.  
Cap. 47.

Lib. 4. c.  
18. de or-  
thod. sic.  
De doctr.  
Christ.  
lib. 2. c. 8.

In Sy-  
nopsi.

In Cata-  
logo.

In epist.  
ad Dar-  
danam.

*ritu Dei imbutis Patribus. veluti quæ illius sit, accepta & approbata est. Audis eum priscorum Sanctorum Patrum auctoritatem & acceptationem allegare. Hoccinè à meo proposito alienum est? Mox Tertullianum cito, cuius hæc sunt verba. Ordo episcoporum ab Apostolis succedentium Apocalypsim Ioanni Evangelistæ tribuit. Quid magis proprium adferri potuit? Deinde cum Concilio Laodiceno pro quibusdam, Innocentium primum Augustino contemporaneum, Gelasium in Concilio 70. episcoporum ac demum Concil. Carthag. 3. pro ceteris omnibus in medium profero. Rationem hanc patres Carthaginenses subiiciunt. Quia à patribus ista accepimus in Ecclesia legenda. Audis Patrum auctoritatem ab ipso Concilio proferri. Dein Damascenum & Augustinum cito qui dubios olim libros in Canone nuncrecenset, quia (inquit) in auctoritatem recipi meruerunt. Tu doce à quibus, nisi ab Ecclesiæ Præpositis, Patribus, & magistris. Similiter Athanasius, qui ait. Ex his dubijs, &c. veriora quedam & Spiritus Dei instinctum respicientia transumpta. & vt legantur selecta sunt. Iterum rogo à quibus hæc transumptio & selectio facta fuit, nisi ab Ecclesiæ Præpositis; Nec igitur aliena sunt hæc testimonia. Sequuntur Hieronymi apertissima testimonia: primum de epistola Iacobi. Paulatim tempore procedente obtinuit auctoritatem. Deinde de epistola Iudæ. Auctoritatem vetustate & vsu meruit. Vbi & à quibus vtrumque hoc nisi in Ecclesia & ab Ecclesia? quod locus subsequens clarissimè docet. De epist. ad Hebræos & de Apocalypsi ait. Nos vtrumque recipimus veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerunque vtriusque vtuntur testimonijs, non vt interdum de apocryphis facere solent, sed quasi Canonicis & Ecclesiasticis. Eodem argumento pro-*

ximè

rimè citatus, utitur pro libro Sapientiæ. Proxi-  
 mi (inquit) Apostolorum egregij tractatores eum testem  
 adhibuerunt, nihil se adhibere nisi diuinum testimonium  
 credentes. An non vides hos doctissimos ac cele-  
 berrimos viros, Hieronymum & Augustinum ma-  
 iorum suorum autoritate niti in dubijs scripturis  
 recipiendis? An hæc testimonia aliena, cuiquam  
 videri possunt?

De prez-  
 destin.  
 sanct. cap.  
 14.

Eusebii hic vnicum locum à me citatum velli-  
 cas, de quo mox. Sed interim cur illa omnia præ-  
 termittis, quæ ex eo his verbis profero? Euse-  
 biius quoties alicui libro siue certo Canonico, siue  
 primi generis apocrypho autoritatem allerere  
 vult, non aliunde hoc facit, quàm ex Catholico-  
 rum Patrum testimonijs, quod vnum est Ecclesia-  
 stica probationis medium. Hinc enim libro 3.  
 cap. 32. epist. ad Hebræos ex Clementis testimo-  
 nio confirmat. Cap. seq. Papiæ testimonium ad-  
 fert pro priore epist. Ioannis ac item Petri, libro 4.  
 cap. 13. Polycarpi testimonium adfert pro priore  
 epist. Petri, & eodem lib. capit. 23. testimonium  
 Theophili Antiocheni pro Apocalypsi, libro 5.  
 capit. 17. Apollonium scriptorem in testem ad-  
 fert pro Apocalypsi. Denique eodem libro capite  
 octauo ex Irenæo notat testimonia pro Apoca-  
 lypsi & libro Sapientiæ. Postremo libro sexto.  
 cap. vndecimo Clementis Alexandrini testimo-  
 nium adfert pro epistola Iudæ & epistola ad He-  
 bræos. Hæc ibi. Quid? Hæc tibi omnia aliena  
 videntur? Nonne ostendunt illustrium in Ec-  
 clesia virorum, Episcoporum & Doctorum testi-  
 monia, ad sacras scripturas cognoscendas, atque  
 dignoscendas diligenter inquiri solere? Hoc  
 ad Ecclesiæ autoritatem demonstrandam nihil  
 facit?

Eusebii  
 varia te-  
 stimonia.

Sequun-

Sequuntur duo ex Augustino testimonia quæ sola examinanda cum vno Eusebij loco suscepisti. Sed quid? Quæ adhuc à me prolata testimonia sequuntur, aliena quoque sunt & nihil ad rem faciunt? locus ex Origine alienus est? Ait ille apud Eusebium, *Epistolam ad hebræos propter Patrum traditionem sine dubio legendam ipsaque Euangelia, quia sic ex traditione didicerat, pro diuinis habenda.* Hæc ille. An aliquid clarius aut magis proprium dici potuit pro authoritate Ecclesiæ in scripturis dubijs approbandis? Nec minùs clarum est, quod statim ex collatione inter ipsum & Iulium Africanum produxi pro historia Susannæ. *Hanc (inquit) historiam ad Ecclesiæ ædificationem susceperunt Patres nostri, quorum terminos nobis constitutos minime transgredi debemus.* Iam illud Dionysij Corinthiorum Episcopi vetustissimi & doctissimi testimonium, alienum quoque est? De Apocalypsi dicit. *Librum illum nullo modo abrogare audeo, præsertim cum adeo multi fratres mei (coepiscopos suos intelligit) eum tam magni existiment.* Vides episcopum ipsum vtcunque doctissimum aliorum tamen episcoporum authoritate hiti. Sic Epiphanius de eodem libro; *Apud plerisque (inquit) receptus est etiam apud pios, Maiorum suorum testimonium profert.* Postremo illud Eusebij ipsius testimonium de epist. Iacobi & Iudæ, alienum tibi videtur? *Non, inquit, istas epistolas cum reliquis in quam plurimis Ecclesiis publice receptas approbatasque cognouimus.* An non Ecclesiarum testimonia aperte his epistolis suffragari docet, hocque argumento vtitur, vt eas pro Canonis habendas probet? Tu ergo videris cur hæc omnia testimonia tanquam aliena prætermiseris. Facile iudicabit æquus lector, non quia aliena sed quia maximè propria & perspicua & multa fuerunt, idcirco à te ignauo aduersario prætermissa fuisse.

Sed

Lib. II.  
cap. 5.Apud Euseb.  
lib. 7.  
cap. 20.

Hæc. 77.

Lib. 2.  
cap. 20.

Sed nunc quid ad illa quæ propria censes, respondeas videamus.

*Whitakerus.*

Primo igitur in loco Eusebium obiicit, qui 3. lib. histor. Eccles. cap. 19. in græco verò Eusebio cap. 25. affirmat perspicuam notam librorum certò Canonicoꝝ esse Ecclesiæ traditionem. Respondeo; Enumerat illic Eusebius omnes libros novi testamenti, tum qui semper & ab omnibus recepti sint, tum qui à quibusdam reiecti fuerint, & de quibus tunc à nonnullis Ecclesiis dubitaretur. Eusebii hæc verba sunt. ἀναγκάτως καὶ τέτων τὸ κατάλογον περιλαμβανόμενοι διακρίνοντες τὰς τε κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν παράδοσιν ἀληθεῖς, καὶ ἀπληροῦς, καὶ ἀνωμολογημέναις γραφαῖς, καὶ τὰς ἄλλας ἐκ ἀνομιᾶς. Ad quod Eusebii testimonium tria breviter respondeo.

2. Sect.

*Stapletonus.*

Verba Eusebii non satis integrè & planè protulisti, unde tota eius illo in loco intentio perspicui potuisset. Ego illa subijcio vt à nostro Christophoro eleganter translata sunt omisâ tua græcula vanitate quam vt alibi sæpe ita hic absque vlla vel rei necessitate vel lectoris vtilitate, ideoque vanè usurpasti. Postquam libros S. Scripturæ novi testamenti enumerasset, primum certò Canonicos & de quibus nunquam dubitatum fuit, deinde duobus quidem à multis tamen pro sacris habitos, quos nos apocryphos primi generis dicimus; facti sui rationem his verbis docet. *Atque certè istorum librorum enumerationem necessario fecimus, vt cum Scripturas quæ secundum Ecclesiæ traditionem veræ, germanæ, & omnium sententijs manifestò confirmatæ sunt, perspicua quadam nota ab alijs quæ non sunt eiusdem authoritatis, sed sunt posita quidē in cōtroversiis, à plerisque tamē Ecclesiasticis viris euoluta & pertractata, distinxerimus; facile quidem*

Lib. 3.

cap. 19.

iuxta græcos codices vetustiores.

quidem non istas ipsas modo , sed eas etiam que Apostolorum nomine ab hæreticis circumferuntur , possimus discernere. Hæc est tota illius periodus & sententia quam tu maneam protulisti, idque græcam, ne omnes sententiæ vim qualis & quanta esset intelligerent. Nunc quomodo eam conuellas, videamus.

VVhitakerus.

Primum nulla nobis videri debet hac in re Eusebij autoritas, quia nullam vim habet ad id probandum quod Stapletonus suscepit. Quando enim ait se sequi Ecclesiasticam traditionem, distinguit à libris Canonicis etiam eos quos ipsi Papistæ Canonicos esse volunt, vt librum Tobix, Iudith, &c. Epistolam ad hæbræos, Epistolam Iacobi, Apocalypsim &c. Ergo si illa traditio quam Eusebius sequitur sit vera, non minus contra ipsos Papistas valebit quàm contra nos. Etsi illa traditio sit tam certa nota librorum, tum erit planè actum de autoritate Canonicorum aliquot librorum, vt Epistolæ Iacobi & aliarum Epistolarum: quos libros Eusebij hæc traditio Ecclesiastica, cui tantum Stapletonus tribuit, iam olim e Canone sacro \*explosit. Quare in hoc testimonio quantum pondus insit, ipse viderit.

Stapletonus.

Si quæ hic ex Eusebio narras vera essent, hæc tua responsio satis probabilis videri posset. Nunc autem hæc tua narratio multa mentitur. Primum enim Eusebius de libro Tobix, Iudith, &c. Veteris testamenti ne verbum quidem hic loquitur. Imò in exordio capitis (ne quis hoc de illo fingeret) difertè dicit se *Scripturarum seriem qua noui Testamenti esse dicuntur summam comprehendere*. Hoc igitur primum eum mendacium est, quod Eusebius sequendo ecclesiasticam traditionem distinguit à libris Canonicis

\* Mendacium quia magnam vim habet.

\* Mendacium quia de eis non loquitur.

\* Conclusio absurda.

\* Mendacium luculentum.

VVhitakeri mendacia explicantur.

cis libros Tobiae, Iudith, &c. Aliud mendacium tuum est quod Epistolam ad hebraeos illis libris adiungis quos Eusebius, à certò Canonicis distinguit. Eusebius enim illam Epistolam toto hoc capite non nominat; sed cum Pauli Epistolas sine vlla exceptione inter libros certò Canonicos hoc loco numeret, hanc quoque ad hebraeos inter certo Canonicos numerare censendus est. Tertium tuum hic mendacium est & maximum, totiusque tuæ responsionis fundamentum fallum quod ais; Epistolam Iacobi, aliasque Epistolas, videl. secundam Petri, secundam & tertiam Ioannis, & Epistolam Iudæ *hæc Eusebij traditio Ecclesiastica iam olim è Canone sacro explosit*. Hoc est inquam luculentum mendacium ideoque totum quod ex eo inferis luculenter fallum & vanum est. Hæc Eusebij Ecclesiastica traditio non quidem numerat hos libros inter certò Canonicos, hoc est inter huiusmodi qui ut ipsis Eusebij verbis utar, *omnium asseueratione constanter approbantur*. Neque tamen è Canone sacro explosit, sed ut adhuc à quibusdam quidem in dubium vocatos, verum à plerisque pro sacris agnitos enumerat. Sic enim scribit. *Ex illis quæ in dubitationem vocantur, sunt tamen à plerisque recepta, est Epistola Iacobi &c.* Non negat prorsus esse sacros & Canonicos, sed ait non esse *omnium asseueratione & consensu* tales. Non explodit ut profanos, sed distinguit ut apud quosdam dubios. Denique disertè refert à plerisque esse receptos.

Libri autem quos Eusebij Ecclesiastica traditio è sacro Canone explosit, ex ipso Eusebio audies. Sic enim statim subiungit. *Inter Scripturas autem quæ falsò inscriptæ, minimeq; germana dicuntur Pauli acta numerantur, & Pastor, & Apocalypsis Petri, & Epistola Barnabæ, & liber qui vocatur doctrina Apostolorum & alia*

Libri nullo mō. Canonici ab Eusebio commemorati.

quæ-

quædam. Hos refert *inter illas Scripturas quibus à plærisque contradicitur*. Deinde quarto loco adfert libros ab hæreticis confictos, de quibus dicit. *Ne in eorundem, Scripturarum genere qua falsò inscripta, minimeque germana dicuntur, habenda sunt; sed tanquam absurda omnino & impia penitus explodenda*. Hæc ille. Duo igitur sunt librorum genera quæ è sacro Canone explodit Eusebius, vt tu loqueris; falsò inscripti libri minimeque germani, & alij ab hæreticis conficti. Duo item generâ sunt librorum quos pro sacris & Canonicis ex traditione Ecclesiastica agnoscit: vnum eorum de quibus nunquam dubitatum fuit & qui omnium asseueratione constanter approbantur; alterum illorum de quibus aliqui dubitant sed à plærisque recipiuntur: inter quos illi sunt quos tu mendaciter scribis eum è sacro Canone explodere.

At, inquires, saltem non pro certò Canonicis hos libros habet Eusebius quos nunc pro certo Canonicis nos habemus. Ergo Eusebij Ecclesiastica traditio non minus contra nos valet quàm contra vos. Istud est totum quod probabiliter ex Eusebio inferre poteris. Sed neque hæc illatio valet. Totum enim quod de Ecclesiastica traditione sui temporis scribit Eusebius, posteriorum seculorum & nostri temporis traditio Ecclesiastica affirmat & tradit. Nempe de illis Libris noui testamèti aliquamdiu & à quibusdam dubitatum fuisse; nec semper pro certo Canonicis eos libros habitos fuisse. Non ergo valet contra nos illa traditio, quia eadem & nos dicimus. Næc præterea illa prior traditio Ecclesiastica huic posteriori contraria est, sed quod illa necdum definiuit, ista definitum dedit: quod illa necdum publico decreto sancinit, (neque enim ante Eusebium qui sub Còstantino primo Imperatore Christiano

Duo genera reiectorum.

Duo genera approbatorum.

Traditio Ecclesiastica eadem & sibi cõformis.

Riano vixit, ea tempora fuerunt, ut facile in Synodis coire, aut generale aliquod Concilium celebrare episcopi Christiani propter assiduas ferè persecutiones potuerint) hæc postea in plenis Conciliis determinauit. Ecclesiasticam enim traditionem in eorum quæ sunt fidei explicatione & certiore determinatione proficere absurdum non est, ut in præcedentibus diximus. Non quidem ut contraria statuatur, sed ut ab aliis prætermissa clarius determinet. Quare hic Eusebii locus ad id quod ego probandum suscepi magnam vim habet. Docet enim ex Ecclesiastica traditione argumentum accipi qui libri pro certò Canonicis habeantur, qui non, quod quidem est nostræ nunc disputationis τὸ κενώμενον.

*VWhitakerus.*

Secundum. Non nego traditionem Ecclesiasticam esse argumentum quo argui & conuinci possit, qui libri Canonici sint, qui Canonici non sint: sed tamen dico hoc externum tantum argumentum & testimonium esse. Ut verò de librorum Canonice autoritate nobis penitus persuasum sit, opus est præterea interno Spiritus S. testimonio. Sic enim de ipso quidem Deo & de Trinitate Ecclesia docet, & de reliquis articulis fidei nostræ, & magni argumenti vim hæc traditio apud omnes habere debet. Qui verò hos articulos negarent, eos Ecclesiæ autoritate premere tanquam externo argumento deberemus, in quo ad conuincendos eos ac refellendos satis virium esset. Sed nisi tamen internum spiritus testimonium accedat, amplissima scripturarum autoritate munitum, humanus animus his articulis solidè nunquam assentietur & acquiescet.

\* Perpetuū  
effugium.

Ve. itaem  
quam  
impu-  
gnat, con-  
fictur.

\* Absur-  
dum &  
impium.

*Stapletonus.*

Hæc tota tua responsio, nihil est aliud quam  
Y nostræ

nostræ sententiæ quam tu te impugnare ais, manifesta confessio. Iam in præcedentibus demonstraui vbi tu Ecclesiæ amplissimam authoritatem ipsa veritate compulsus, agnoscere coactus, ad hoc frequenter confugisti, vt Ecclesiæ testimonium externum esse diceres, nec illud tantum ad fidem faciendam sufficere; opus præterea esse interno Spiritus S. testimonio; demonstraui inquam nostram sententiam in hoc opere nostro de principijs fidei doctrinalibus eandem prorsus esse, vt qui eius operis lib. 8. per varia capita accurata disputatione idem demonstraui. Quare totum quod hic dicis, non est nostræ sententiæ refutatio, sed eiusdem ampla & aperta confessio quo certè nomine tibi gratulor, videre te tandem & agnoscere, *traditionem Ecclesiasticam esse argumentum quo argui & conuinci possit qui libri Canonici sint qui non. Item Ecclesiæ auctoritate premendos esse qui aliquos articulos fidei negarent, tanquam externo argumento, in quo ad conuincendos eos ac refellendos satis virum esset.* Hæc tua sunt verba sanè verissima. Hanc veritatem ex hoc Eusebij loco alii que toto hoc cap. 6. citatis, quoad Scripturarum cognitionem, ego probare volui. Tua igitur responsio nostræ est assertionis confirmatio. Quid? an repente in alium virum mutatus es? An Ecclesiæ iam filius, esse vis? An Ecclesiasticæ traditionis vim nobiscum agnosces? An Ecclesiæ auctoritatē & testimonium eam vim habere vt ad conuincendos articuloꝝ fidei aduersarios sufficiat, seridè & ex animo dicis? O quàm id tibi salutare foret, eam si tibi mentem Deus daret. Sed dices te nihil à tuorum placitis alienum, nihil nostræ sententiæ conforme dicere, quia adiecisti *internum Spiritus testimonium sine quo humanus animus solidè non acquiescet veritati.* Istud sane & nobiscum loqueris, qui absque Spiritus

Suprà lib.  
1. cap. 1.

Ecclesiæ  
auctoritas  
& traditio  
fatis con-  
uincit.

ius Sancti interna gratia, non solum solidè acquiescere sed nec omnino ex vera fide veritati alicui supernaturali assentiri quæquam posse constanter docemus.

Illud vnum assertioni huic tuæ verissimè deest, vt fatearis & agnoscas hoc externum Ecclesiæ testimonium absque interno diuini spiritus testimonio, ex parte Dei, non esse. Deum cum hoc externo Ecclesiæ testimonio perperuo quantum in se est cooperari: denique internum hoc Spiritus Sancti testimonium in hominũ cordibus ordinariè & iuxta viam ac media credendi ordinaria non operari absque externo Ecclesiæ testimonio, sed per illud & cum illo ordinariè operari ac propterea quando externum Ecclesiæ testimonium loquitur, non abesse internum diuinum spiritus adiutorium. Quæ omnia in præcedentibus ex diuinis scripturis perspicuè comprobata dedimus. Cæterum vtcunque hoc in tua hic assertionè deest, vera tamen nihilominus illa est & orthodoxa, licet imperfecta.

An non ergo egregius tu disputator es, qui aduersarij sententiam refutare professus, eandem verbis disertissimis confirmas & probas? An non hoc est quod modo dixi, *te volentem esse legis doctorem non intelligere neque quæ affirmas neque de quibus loqueris.*

1. Tim. 1.

At enim dices te in fine tandem responsionis tuæ, aliquid cautè & signanter adiecisse, ex quo facile appareat hanc tuam responsionem nihil trinus esse quàm nostræ sententiæ confirmationem. Ais enim in postremis verbis. *Nisi internum Spiritus testimonium accedat, amplissima Scripturarum authoritate munitum, humanus animus solide non acquiescet &c.* Ecce inquires, Non solum cum externo Ecclesiæ testimonio internum spiritus testimonium adiunxi, quod & vos facitis, sed studio adieci, *Scripturarum*

*authoritate munitum* quia videlicet nec internum ipsum spiritus testimonium sufficit ut animus veritati fidei solidè assentiatur & acquiescat, nisi scripturarum amplissima autoritate idem muniatur. Quid ais? Internum divini spiritus testimonium scripturarum autoritate muniri vis? An divini spiritus testimonium absque scripturarum autoritate debile & infirmum, parùm sufficiens & invalidum est? An Deo intus in corde loquenti non credetur, nisi scripturarum autoritate amplissima, internam suam locutionem & inspirationem confirmet? Quid enim aliud illa verba sonant, *internum Spiritus Sancti testimonium amplissima Scripturarum autoritate munitum*? Nos quidem cum externo Ecclesiæ testimonio internum divini spiritus testimonium coniungimus, non ut hoc internum externo muniat, sed contra ut externum interno muniat, roboretur, perficiatur; quia *neque qui plātat neque qui rigat est aliquid sed qui incrementum dat Deus*. Rursum statuimus per externum Ecclesiæ ministerium hoc internum spiritus testimonium ordinariè operari. *Quomodo enim credent quem non audierunt? quomodo credent sine predicante?* Non tamen dicimus internam illam Dei operationem hac amplissima externæ prædicationis autoritate muniri, sed contra hoc internum donum cum ministerio illo externo coniunctum esse; non ex rei natura aut divini spiritus aliqua necessitate vel infirmitate, sed ex suavissima Dei ordinatione, qui nos homines humano ministerio docere dignatus est, tum ad humanæ dignitatis commendationem, tum ad fraternæ dilectionis incrementum ut alicubi notavit Augustinus; qui denique hanc in sua Ecclesia credendi viam ordinavit.

An dices ut te ab extrema absurditate liberet,  
Dei

Vchitakeri blasphemia.

1. Cor. 3.

Rom. 10.

In prologo in lib. de doctr. Christi.

Dei spiritum per scripturas nos docere, ideoque te dixisse, eius testimonium amplissima Scripturarum auctoritate munitum esse? Atqui nec vllō modo hoc verum est Deū per scripturas nos ordinariē docere, nec si verū esset, dici tamen verē potest scripturarum auctoritate diuini spiritus testimoniū muniri. Deum per Ecclesiam quasi per medium ordinarium nos docere, creberrimæ scripturæ docent in præcedentibus prolatae. At Deum per scripturas quasi per medium ordinarium nos docere, ex nulla scriptura doceri potest. Per scripturas inquam aut per verbum Dei scriptum quatenus scriptum. Vides ergo dū aliqua quasi apposita cautione veritatis orthodoxæ (quam professus fueras) puritatem maculare & inquinare studuisti, in impietatis barathrum precipitem te cadere, vt ipsam diuini spiritus internum testimonium Scripturarum auctoritate muniri pronuncies. Sed hoc illis accidit qui via regia deserta, per devia & saltus oberrant. In loca aspera incidunt, frequenter impingunt, interdum quò se vertant nesciunt. Idem hoc loco tibi contigit. Ecclesiasticam traditionem dum impugnas, eandem fateris quasi in viam regiam redire volens; sed mox incertus quid agas, cautionem absurdam adiungis, vt in tuis deuijs vsque & vsque pergās: quod ex sequenti tua responsione magis patebit.

VWhitakerus.

Tertium. Eusebius scribit se recensere hos libros in Canone non propter Ecclesiasticam traditionem: sed \* secundum Ecclesiasticam traditionem; quod longè aliud est. Verba enim eius non sunt δια τὴν παραδοσιν, sed κατὰ τὴν παραδοσιν ἐκκλησιαστικὴν. \*Distinctio ridicula. Quinihil interesse putant, admodum falluntur. Nam per Ecclesiæ ministerium credimus quæcunque credimus, \* non tamen propter Ec- \* Falsum.

clesiæ auctoritatem : quum fides nostra multo augustiore, certiore, enucleatiore auctoritate quam Ecclesiæ nitatur atque confirmetur. Atque hæc de Eusebij testimonio dixisse sufficiat.

*Stapletonus.*

Suprà lib.  
1. c. 7. sect.  
9. cap. 13.  
sect. 12.

Sup. lib. 1.  
cap. 14.  
sect. 7.

Secundū  
quid, au-  
thoritātē  
notat.

Hic nodum in scirpo quærens, Ecclesiastica traditioni quam profert Eusebius multum detrahit. Et um putas, quod non dixerit scripturas illas Canonicas haberi *propter Ecclesiæ traditionem*, sed tantummodo *secundum Ecclesiæ traditionem*: quia videlicet ut postea infers *per Ecclesiæ ministerium* credimus, sed *non propter illud*. Atqui hoc tuum nugamentum iam in superiori disputatione hac nostra aduersum te refutatum dedimus, & ex scripturis docuimus nos ea, quæ sunt fidei, credere non solum per Ecclesiæ ministerium, sed & propter Ecclesiæ magisterium; quia Ecclesia sancta, Dei quidem ministra est, sed nobis magistra est: & in genere causæ exterioris, quam Deus ipse instituit & ordinauit, & cum qua ipse perpetuo cooperatur, Ecclesiæ testimonium causam esse propter quam credimus, non solum medium per quod credimus: imo quatenus medium est credendi, eadem ratione causam esse credendi in suo genere; sicut sanè in omni demonstratione, quod medium est, idem causa ac principium est. Hæc inquam omnia contra inscitiam tuam in superioribus explicata dedimus, ut ea hic repetere non sit necesse.

Næque verò minus valet Eusebij testimonium aut sermo, quia secundum traditionem Ecclesiasticam dixit, non autē propter illam. Dicēs enim libros istos pro certò Canonicis, veris, germanis & indubitatis, *secundum Ecclesiæ traditionem discerni* ab alijs non ita certò germanis, prorsus docet discretionis huius causam & certitudinem ab Ecclesiæ

clesiæ

clēsæ traditione pendere ac deriuari. Quando  
 Apostolus ad Corinthios scribit. *Tradidi vobis quod*  
*Christus pro peccatis nostris mortuus est secundum scriptu-*  
*ras, & resurrexit tertia die secundum scripturas:* Dic no-  
 bis bone vir, an huic traditioni Apostolicæ ali-  
 quid detractum putes, quia se tradidisse hoc dicit  
*secundum scripturas*, non autem propter scripturas?  
 An non disertè suam traditionem ex scripturis  
 confirmat? An non certitudinem maximam huius  
 suæ traditionis esse docet, quia diuinis scripturis  
 illa conformis est? Diuinarum quoque scriptura-  
 rum authoritatem nonne manifestè commendat,  
 quando traditionem suam de Christi morte & re-  
 surrectione diuinis scripturis conformem esse af-  
 firmat? Eodem sanè modo discretionem scriptu-  
 rarum, quando secundum Ecclesiasticam tradi-  
 tionem fieri Eusebius affirmat, ipsius traditionis  
 magnam authoritatem esse ostendit. Hanc con-  
 formem quippe discretionem librorum Canoni-  
 corum ex ipsa traditione confirmat. Huius discre-  
 tionis maximam esse certitudinem docet, quia  
 traditioni Ecclesiasticæ conformis est. Denique  
 traditionis ecclesiasticæ authoritatem manifestè  
 commendat, quando hanc scripturarum discre-  
 tionem illi conformem esse affirmat.

I. Cor. 15.

Traditio-  
nis Ecele-  
siasticæ  
authori-  
tas.

Deinde quoties in scriptura Apostolica illud  
*secundum* causam notat etiã propter, quæ duo hic  
 tanquam semper diuersissima distinguis? *Secundum*  
*duritiam tuam thesaurizas tibi iram in die ira*, id est,  
 propter duritiam cordis tui. *Reddet unicuique secun-*  
*dum opera*, id est, propter opera: quod vt in malis  
 operibus non negatis, sic nec in bonis negare de-  
 betis, quum vtrobique sit veri nominis iustitia.  
 Rursum illud vt *secundum gratiam firma sit promissio*,  
 quoties vestri homines, propter gratiam illud ex-

Secundum  
quid, cau-  
sam de-  
notat.

Rom. 2.

Rom. 4.

- Rom. 9. ponunt, vt causa firmæ promissionis sit gratia & beneplacitum Dei promittentis. Tum illud, vt secundum electionem propositum Dei maneret, quis vestrū Caluini vestigijs inherens affirmare dubitabit, electionem Dei gratuitam, ipsum propositum & decretum Dei suos electos saluandi, tanquam causam effectum præcedere? Ista verò etiam omnium confessione causam propriè denotant. *Tristitia qua secundum Deum est salutem operatur*, id est, propter Deum offensum suscepta. *Ascendi Hierosolymam secundum reuelationem*, id est, propter reuelationem
- Gal. 1. mihi factam. *Factus sum minister secundum dispensationem Dei qua data est mihi*, id est, propter potestatem à Deo mihi datam. Cui simile illud est. *Paulus Apostolus*
- Coloss. 1. *stolus Iesu Christi secundum imperium Dei*. Neque enim negari potest imperium & mandatum Dei causam fuisse Apostolatus Pauli. Quale & illud est.
1. Tim. 1. *Milites autem secundum præceptum sibi assumentes Paulum, duxerunt per noctem &c.* vbi certum est propter præceptum hæc verba significare. Adèò illud *κατὰ* non modum tantum, sed & causam frequenter significat non secus quàm *διὰ*, idque ex eo quia modus ipse rei, non rarò causa quoq; rei est. Non erat igitur opus hac *λεπτολογία* vti, & ex vocula græca, cuius vsus latissimè patet, cauillandi causas vereque nodum in scirpo querere.

Whitakerus.

6. Sect.

Secundum testimonium quod citat Stapletonus desumitur ex Augustino 2. lib. de doct. Christ. cap. 8. vbi hæc verba habentur. *Tenebit hunc modum fidelis in scripturis Canonicis, vt eas qua ab omnibus accipiuntur Ecclesijs Catholicis, præponat eis quas quaedam non accipiunt. In ijs verò que non accipiuntur ab omnibus præponat eas quas plures grauioresq; Ecclesia accipiunt, eis quas pauciores, minorisq; auctoritatis Ecclesia tenent.* Si

autem

*antem alias inuenerit à pluribus, alias à grauioribus haberi, quanquam hoc inuenire non possit, aequalis tamen auctoritatis eas habendas puto.* Hæc Augustinus. Vbi ostendit (inquit \* Stapletonus) hanc totam veritatem & hoc discrimen librorum ex vario Ecclesie iudicio pendere.

\*Mendacium non sic inquit Stapletonus.

*Stapletonus.*

Verba mea mendaciter citas, & ais me dicere quæ non dixi. Ego post verba Augustini citata, sic scripsi. *Vides ut omnino ab Ecclesie auctoritate petere si-  
delem velit, librorum certe ad minus certo Canonorum  
discrimen.* Hæc mea verba fuerunt. Nunc cur tu illis aliam formam & vestem imposueris, ex tua responsione liquebit.

*VWhitakerus.*

Respondeo. Stapletonum\* parum attendere quid scribat. Quid enim? † Totane veritas hæc, & discrimen librorum, ex vario Ecclesie iudicio pendet? Siccine Canonice scripturæ veritas & auctoritas ex Ecclesie iudicio, eoq; vario suspendetur? Quid dici absurdius aut indignius potuit?

7. Sect.  
\* Suâ sciam alij affricat.  
† Mendaciorū cumulus.

*Stapletonus.*

Replico VWhitakerum nihil prorsus attendere vel quid ipse scribat, vel quid ego scripsi. Aio eum nihil nisi mentiri, & ex suis quæ confingit mendacis respondendi materiam aucupari. Exclamat primò: *Totane veritas hæc ab Ecclesie iudicio pendet.* At ego totam veritatem in meis verbis non posui. Exclamat secundò: *Siccine Canonice scripturæ veritas & auctoritas ex Ecclesie iudicio, eoq; vario suspendetur.* At ego horum verborum nihil prorsus dixi. Nec veritatem nec auctoritatem scripturæ nominavi: *varium Ecclesie iudicium* in meis verbis non habetur; verbū *suspendere* non adhibui. Dixi solū quod Augustini verba me dicere permiserunt: *Ab Ecclesie auctori-*

tate petere fidelem vult omnino Augustinus librorum Canoniconum discrimen. Exclamat tertio: *Quid dicit absurdius aut indignius potuit?* Cui ego respondeo. *Quid nisi ab infano aliquo fingi absurdius aut indignius potuit?* Quam est hæc crassa impudentia & hominis quid aut quomodo scribat summa incuria, confingere, comminisci, fabricare verba, quæ aduersarius nunquam dixit; moxque aduersus illa verba quasi absurdissima & indignissima vociferari? Solent impotentes mulierculæ quum post longas rixas, multasque illatas contumelias, accurrentibus vicinis deprehendi se vident & conuincunt, fortiter exclamare iniurias sese & contumelias grauissimas accepisse, nullas intulisse, moxq; maledicta confingere, & perferre ab innocente illata, ac deinde exclamare. *Quid in me dici absurdius aut indignius potuit.* Talis est hic tua impudentia & muliebris prorsus impotentia: Rixari mecum te libuit. Labores meos pro Evangelica veritate susceptos conuellere, traducere, & omni infamia aspergere voluisti. Id quum alia via non succedat, fingis me dicere quæ nunquam dixi, vt sic totum sodalitiū in me concites, vt sic contra me exclamandi ac vociferandi materiam habeas. Sed nihil fecisti. Vitam mihi Deus & gratiam concessit suam, quò hanc tuam criminandi libidinem, mea hac defensione euulgata, omnibus propalarem; meorumque pro Ecclesia Dei laborum innocentiam & orthodoxiam contra omnia tua mendacia astruerem. Futiliter sæpè & ineptè, sed nusquam impudentius quàm hoc loco respondi. Videamus tamen quæ adhuc sequuntur, quia nihil tuorum contra me præterire stat sententia, & præterea rixarum tuarum finis & conclusio audienda est.

Harerici  
quum re-  
spondere  
nequeāt,  
rixantur.

*Whitakerus.*

Ecclesiæ quidem variè atque \* inconstanter iudicare possunt, quemadmodum de prisca Ecclesijs constat. Sed scripturæ diuinæ semper eadem sunt, sibiq; similes. & nullam in se varietatem habent.

*Stapletonus.*

Scripturæ sanè diuinæ semper sunt diuinæ, sibi que similes: sed quæ sunt diuinæ, nobis non constat, nisi per Ecclesiæ magisterium, ut cætera quæ sunt fidei. Nec Ecclesiæ iudicium hac in re aut varium aut inconstans est: quia quod semel definiuit, nunquam retractat. Id enim demum varij & inconstantis est.

*Whitakerus.*

Sed Augustinus eò in loco tyrones & nouitios instituit, eosque admonet, ut Ecclesiam primò tantquam magistram & monitricem audiant, eiusque iudicium sequantur. Quod quidem piùm rectumque consilium esse nullus negabit. Nos enim non statim omnia ipsi intelligimus. Audienda igitur Ecclesia est, quæ iubet ut hos libros legamus. Postea tamen, cum sacros libros aut ipsi legimus, aut lectos ab alijs recolimus, & quid doceant perpendimus, tum Canonicos eos esse credimus, \* non solum propter Ecclesiæ testimonium vel auctoritatem, (sed alijs certioribus inducti argumentis, nempe Spiritus sancti testimonio, & cœlestis illius doctrinæ Maiestate, quæ in ipsis libris & toto genere doctrinæ manifesta est. Multum ergo Ecclesiæ in hac re, sed non totum tribuendum esse vult Augustinus.

9. Sect.  
Luculèta  
veritatis  
quæ impugnat  
confessio.

\* Ergo & propter illud quod hætenus semper negatis.

*Stapletonus.*

Augustini verba clarissima ad aliquam te veritatis confessionem compulerunt. Quam veritatis partem

Vet. Test.  
libri ab  
hæreticis  
reieci  
adversarij  
confessio-  
ne reci-  
piendi.

partem sita tuique sequi ac tenere vellent, nec tu nostras assertiones de Ecclesiæ autoritate in scripturarum libris vnquam improbasses, nec illi tecum libros Canonicos quos fastidiosè nunc & impiè repudiant, omnino repudiarent. Si enim Ecclesia *primo audienda est tanquam magistra & monitrix*, si *eius iudicium sequendum est*, si *quia non ipsi omnia intelligimus illius vocem audienda*, (quæ omnia tu affirmas) quamobrem tu & conuenæ tui tot veteris Testamenti libros in Canonem à tot seculis ab Ecclesia receptos, & ab ipso Augustino hoc ipso in loco iuxta Ecclesiæ traditionem agnitos reijcitis impiè? quare hic Ecclesiam vt magistram & monitricem non audiistis? Cureius iudicium sequuti non estis? Qui factum est, vt quasi ipsi statim omnia intelligerent, non Ecclesiæ vocem auditis, sed ex ipsis scripturis (vt in præcedentibus maxima ingenij contentione astruxisti) quæ sint Canonice scripturæ quæ non, deprehendere vos posse affirmatis?

An fortè dices, tyronem te iam amplius & novitium non esse, sed Doctorem ac Professore Regium, ideoque iam certioribus te inductum argumentis non propter Ecclesiæ vocem amplius has esse scripturas credere? Sed quid? Tyro aut novitius in doctrina fidei nunquam fuisti? Doctor ac professor, vel natus es, vel à teneris annis extitisti. Aut alij tyrones quidem ac novitij sunt, tu verò minime? Age ergo aut tyro aut novitius aliquando fuisti, & sic olim Ecclesiam tanquam magistram audire debuisti, aut tu solus ab ineunte ætate *se didicisti*, nullo vnquam Ecclesiæ magisterio opus habuisti. Hoc posterius si dicas, tibi respondebo, quod vni ex maioribus tuis Petro Abailharo con-

Epist. 19. *Epist. 19. dus: An non iustius os loquens talia sustibus tundere iur,*

*quam*

quàm rationibus refelleretur? Si prius dicas, quod tibi necessariò dicendum est, age: Cur Ecclesiam magistram quam primò audiisti, postea deseruisti? Cur Ecclesie iudicium quod primò sequutus es, postea abiecisti? Vide igitur quid ex tuis verbis necessariò sequatur. *Ecclesia primò audienda est vt magistra, & eius iudicium sequendum.* Ergo ab Ecclesie magisterio & iudicio nunquam recedendum: Aut enim illa verum à principio suos tyrones docet, & veritas nunquam deferenda est: aut verum suos tyrones non docet, & nunquam audienda erat, iudiciumq; eius nunquam sequendum fuit.

*Ecclesie iudicium nunquam deferendum.*

Deinde & hoc ex tua confessione sequitur, quòd siue Augustinus hic tyrones ac novitios instituat, siue maiorum quoque in Ecclesia officium describat, Ecclesie vocem ac iudicium circa sacrarum scripturarum certitudinem perpetuò tenendum ac sequendum esse docet. Eodem enim te dilemmate premam. Ecclesia quam à tyronibus vt magistram audiri Augustinus docet aut vera docuit, & eius doctrina nunquam deserenda est, aut à veritate aberravit, & eius vox nunquam audienda erat. Vides ergo vt illa veritatis parte, ad quam hæc Augustini verba te compulerunt, constrictus teneris. Si enim ex illis verbis conuincitur Ecclesie magisterium nunquam esse deferendum, circa scripturarum cognitionem & certam discretionem, habeo quod volo: At, inquis, postea certioribus inducti argumentis credimus non solum propter Ecclesie authoritatem. Satis nobis est quòd etiam propter Ecclesie authoritatem semper credimus, etsi non propter illam solam.

Deinde aduerte hoc loco te id nunc confiteri, quod hæctenus semper penitus negasti. Nempe, propter Ecclesie testimonium nos credere. Ais enim

enim non solum propter Ecclesie testimonium, sed & alijs inducti argumentis libros Canonicos credimus. Si non solum propter, ergo & propter. Atqui hactenus semper distinxisti, nos per Ecclesie vocem credere, non propter illam, & contra te ostendere debuimus etiam propter Ecclesie testimonium nos credere, vt paulò antè hoc eodem cap. ad lect. tuam s. annotauimus. Adèd semper monendus es, quum sis Magister mendax, mendacem memorem esse oportere.

Cæterum quæ tandem sunt hæc certiora argumenta? Duo ponis. Spiritus sancti testimonium, & cœlestis doctrinæ maiestatem in scripturarum libris manifestam. Atqui horum prius Ecclesie auctoritate posterius non est, sed prorsus cum ea coniunctissimum. Nemo enim per aut propter Ecclesie auctoritatem ad aliquid credendum inducitur, nisi diuino spiritu intus cooperante, & suo quoque testimonio id quod fidei est, (illuminato per fidei donum & purificato intellectu) attestante; tum quia absque hoc interno Spiritus S. testimonio & dono nulla est fides, nec Ecclesie docenti ex fide aliquis assentitur, sed alia aliqua ex causa assensum præbet, tum quia per Ecclesie testimonium seu potius cum eo vt causa prima cum secunda, causa interna cum externa, causa principalis cum ministeriali, sed ab ipso Deo instituta & ordinata, Dei spiritus in cordibus hominum operatur, vt in præcedentibus ex scripturis ostensum est. Quare quod tu ponis nouitios ac tyrones fidei Magistræ Ecclesiam primò audire eiusque iudicium sequi, ac postea internum Spiritus S. testimonium accedere quo tanquam certiori inducti argumento credant, ex veræ theologie ignorantia ponis.

Alterum argumentum certius quod ponis de cœlestis

cœlestis doctrinæ Maiestate in scripturis manifesta, auget id quidem & confirmat fidem, sed non generat fidem. Iam enim de numero credentium eum esse oportet, cui illa maiestas manifesta est. Nec enim vel Turcæ vel Iudæo vel cuius infideli manifesta illa cœlestis doctrinæ Maiestas est, donec auferatur incredulitatis velamen; (vt etiam de Eunuchō, qui Esaiam legens nec intelligens à Philippo doceri debuit, manifestum est) sed millies legens millies contemnet. Quid? quod vobis hodie cœlestis doctrinæ maiestas in libris Sapientiæ, Ecclesiastici, Tobia, Iudith, Baruch, Machabeorum primi & secundi manifesta adhuc non est, quia increduli estis, & Ecclesiam vt Magistram audire non vultis, nec eius iudicium sequi, quæ (vt tu hic loqueris) iubet vt hos libros legatis.

Scripturæ  
rum testi-  
monium  
auget fidē  
non gene-  
rat fidem.

Postremò & illud meminisse debes Ecclesiæ magisterium ac iudicium non à tyronibus tantum ac nouitijs, sed ab ipsis Maioribus & quantacunque Scripturarum cognitione præditi sequendum. Cūper ac tenendum esse vt fideles maneant, quod & in præcedētibus ostēdimus. Sufficiat tibi hoc loco Caluini tui clara & diserta confessio. *Non est alius in vitam ingressus nisi nos mater Ecclesia concipiat in utero, nisi pariat, nisi nos alat suis vberibus, denique sub custodia & gubernatione sua nos tueatur, donec exuti carne mortali similes erimus Angelis. Neque enim patitur nostra infirmitas à schola nos amitti, donec toto vitæ cursu discipuli fuerimus.* Hæc ille.

Ecclesiæ  
iudicium  
etiam à  
perfectis  
sequen-  
dum.

Instit. lib.  
4. cap. 1. n.  
4.

VWhitakerus.

Contra papistas verò ex hoc loco duo colligi possunt. Primum Augustinus nunquam intellexit aut agnouit tale publicum aut certum Ecclesiæ iudicium, quale Papistæ fingunt, externum \*scilicet idque Ecclesiæ \*Romanæ, cui Christianos omnes stare

10. Sect.

\*Manda-  
cium cras-  
sum.

\*Ineptè.

stare ac parere oporteret. Tum enim iussisset tyro-  
nem hoc iudicium sequi, & Ecclesiam tantummo-  
do Romanam consulere.

*Stapletonus.*

Videris tibi ex hoc Augustini loco contra Ca-  
tholicos duo posse colligere. Sed certè ex his tuis  
verbis, vbi primum eorum collocasti, ego aduer-  
sum te duo facilè ineptiæ tuæ argumenta annota-  
bo. Ais Augustinum hoc loco non intellexisse tale  
Ecclesiæ iudicium quale nos fingimus, externum  
scilicet. Omne igitur tibi cerebrum & omnem sa-  
nam mentem hæresis eripuit? Quid quum Augu-  
stinus in sententia præallegata tenere iubet scri-  
pturas quas Ecclesiæ primum omnes, deinde plu-  
res & grauiores accipiunt easque opponit paucio-  
ribus & minoris authoritatis Ecclesijs, nonne di-  
fertissimè & manifestissimè de externis Ecclesijs lo-  
quitur & de eorum iudicio externo? Quid est di-  
cere, hanc scripturam vel omnes vel plures & cele-  
briores Ecclesiæ accipiunt, ideoq; & ego eas recipio  
& agnosco, quàm quod ego in scripturis accipio,  
dis talium Ecclesiarum publicum & certum & exte-  
num iudicium sequor?

*Ecclesiæ  
iudicium  
quale in-  
telligitur.*

At non loquitur (inquis) de Ecclesia Romana,  
neque iubet Ecclesiam tantummodo Romanam cõ-  
sulere. Ineptè, neque nos in hac vel omni semper  
controuersia de Ecclesia Romana loquimur, vt  
Ecclesiam particularem significet, neque externum  
Ecclesiæ iudicium in solius Romanæ Ecclesiæ iu-  
dicio ponimus, vt Romana Ecclesia vnius vrbis  
vel diocesis Ecclesiam significat. Sed Ecclesiam &  
Ecclesiæ iudicium quum dicimus, Ecclesiarum  
omnium patres, doctores, magistros, Episcopos,  
Concilia, intelligimus, vt testimonia à nobis allata  
tam in hoc capite quam alibi totoque nostro lib. 5.  
huius

huius operis quod impugnas docere te potuit si doceri aut velles. aut posses. Quæ etiam quum dicimus, ab ista vnitare & obedientia Romanæ Ecclesiæ non recedimus, quia hæc omnia membra sunt illius capitis, nec qui membrorum iudicia quærit quæ capiti coniuncta manent, vel capiti præiudicat, vel à capitis supremo iudicio exorbitat, vel denique aliud iudicium quam ipsius capitis sequitur. Si vos Angli schismatici sub vno capite vestro Regina Elisabeta omnes vnum & idem saperetis, nec essent in vobis schismata, (vt est illa magna puritanorum secta toti politix vestræ Ecclesiasticæ inimica & à conuenticulis vestris penitus aliena, vt minores sectas, familiæ amoris, illuminatorum, & huiusmodi taceam:) si quicquid Caput vestrum in religione sentit, docet, iudicat, idem omnes Anglicanæ Ecclesiæ sentirent, docerent, iudicarent, profectò qui omnium aut plurium ac celebriorum Ecclesiarum illarum iudicium in aliqua religionis controuersia sequendum esse diceret, nec quicquam de Capite aut de Metropolitana Ecclesia loqueretur, an cuiquam rectè sapienti illius Metropolitanæ Ecclesiæ aut Capitis supremum iudicium non agnoscere diceretur? Quamquam Augustinus hoc loco quum non solum plurium Ecclesiarum iudicium pauciorū iudicio, sed etiam grauiores Ecclesias minoris authoritatis Ecclesijs præponendas docet, nonne disertè quarundam Ecclesiarum grauiorem & maiorem authoritatem esse intellexit, agnouit, docuit? At inter illas grauiores & maioris authoritatis Ecclesias, Romanam forte non intellexit, hoc loco. Intellexit sanè adeoque expressit. Sic enim in proximè præcedentibus verbis dixerat. *In Canonicis Scripturis Catholicarum quàm plurium Ecclesiarum authoritatem sequatur.*

Romanæ  
Ecclesiæ  
iudicium  
ab Augu-  
stino satis  
insinua-  
tur.

Lib. 2. c.  
8. de do-  
ctr. Christi

tur. Inter quas sane illa sunt quae Apostolicas sedes & epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur &c. Ut in verbis à te citatis. At quae tandè toto orbe Ecclesia Apostolicam sedem magis accepit quàm Romana, in qua Petrus & Paulus Apostolorum principes docuerunt, & sanguinem pro Christo fuderunt. Quae etiam Ecclesia Apostolicam epistolam nobiliorem accepit quàm Romana. Sanè D. Paulus in sua ad Roma. epistola quasi totum suum effudit spiritum siue dogmatica siue moralia spectes. Romanam igitur Ecclesiam vel maximè hoc loco spectandam docuit, eiusque auctoritatem in scripturis Canonicis sequendam monuit.

Lib. 6.  
cap. ult.

Sed finge eum nihil monuisse. An omnia omni loco omnique occasione dicenda sunt? Quid Augustinus de Romanæ Ecclesiæ suprema auctoritate senserit, ex varijs eius verbis ac sententijs in hoc opere quod impugnas, annotauimus. Iudicet nunc æquus lector an hic Augustini locus nobis Catholicis aliquo modo incommodet.

*Whitakerus.*

Secundum. Colligi potest ex hoc loco, posse veras esse Ecclesias Christi, & interim tamen variè de libris quibusdam Canonicis iudicare. Ynde constat non omnes qui Spiritum S. habent de libris omnibus scripturarum similiter sentire.

*Stapletonus.*

De fidei dogmatibus quatenus licet dubitare, & quatenus non licet.

Colligi potest ex hac tua responsione te facere Deum dissensionis & non pacis, te in vno & eodem corpore schismata agnoscere & approbare, te denique de eo quod semel dubitatum est, nullum dubitandi finem in Ecclesia ponere: potuerunt variè Ecclesiæ de libris quibusdam Canonicis variè iudicare, antequam in plenis Concilijs ea res definita esset, & tamen Spiritum S. habere quia quid Spiritui S. &

S. & Ecclesiæ visum esset, nondam erat liquidò definitum. Potuit Ciprianus cum suis Africanis Ecclesijs & quibusdam etiam græcis de hæreticis rebaptisandis variè & ab alijs Ecclesijs diuersum iudicare ac nihilominus Spiritū S. habere, quia nemini in sua sententia præiudicauit, sed cum omnibus aliter sentientibus pacem fraternam tenuit, donec plenarium Concilium aliter definiereat. Sed post plenarium hac de re Concilium vide quid Augustinus dicat contrariam Cipriano sententiam fortissimè defendens. *Nec nos ipsi tale aliquid auderemus asserere, nisi vniuersa Ecclesiæ concordissima auctoritate firmati, cui & ipse sine dubio crederet Ciprianus si iam illo tempore questionis huius veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium solidaretur.* Hæc ille. Sed qui post plenarium illud Concilium quæ iam cum Cipriano sentire vellent Ecclesiæ, Augustini certè iudicio Spiritum S. non haberent. Imò huiusmodi disputatores non ferendos disertis verbis docet. *ferendus (inquit) est disputator errans in alijs questionibus non diligenter digestis, nondum plena Ecclesiæ auctoritate firmatis. Ibi ferendus est error: Non tantum progredi debet vt etiam fundamentum ipsum Ecclesiæ quatere moliatur.* Hæc ille. Tamen si ergo doceat Augustinus de scripturarum libris suo adhuc tempore varias Ecclesias variè iudicasse, quia videlicet nullo plenario Concilio illa res adhuc definita erat, est tamen ex diametro contra mentem & iudicium Augustini, quod tu ex eo impiè & peruersè colligis, idem hodie licere, & posse hodie varias Ecclesias de scripturarum libris variè iudicare, postquã certus eorum Canon in plenarijs Concilijs definitus est, non solum Tridentino hodie, sed & Florentino ac lateranensi olim. Hæc sunt illa duo quæ magna scilicet solertia ex hoc Augustini loco contra nos colligere

De bapt.  
con. Do-  
nat. lib. 2.  
cap. 4.

De verb.  
Apost.  
1 Tim. 14.

te posse existimasti Nostram causam meliorem reddidisti. Tuam ineptiam & impietatem magis prodidisti.

*Whitakerus.*

12. Sect.

Nihil ad rhombū.

Ut verò breviter & vno verbo respondeam, dico huius fidei, qua hos libros *διακρίτους* ac diuinos esse credimus, occasionem quandam & quasi rudimentum esse ipsum magisterium & vocem, & commendationem Ecclesię, formam autem & *πληροφορίαν* ex interno Spiritus sancti testimonio pendere, quod accedat necesse est, priusquam certò sciamus & sine dubitatione teneamus hos libros Canonicos ac diuinos esse.

*Stapletonus.*

Istud scilicet Augustinus nesciebat, quando Ecclesiarum plurium & grauiorum authoritatem commendabat in scripturis Canonicis recipiendis. Whitakero Magistro opus habuit, qui eum in hunc modum doceret. Quod tu Augustine nobis de Ecclesiarum authoritate narras, id totum adhuc informe & infirmum est, nisi internum accedat Spiritus S. testimonium. Enimvero multum tibi Whitakero Augustinus debet, qui sic eum exactius & perfectius loqui doceas. Sed tu disputator ineptus, quomodo nescis, quomodo ignoras, quomodo dubitas, hoc Spiritus S. testimonium internum, non in hac tantū causa de discretionem & certitudine S. Scripturarū, sed & in omni obiecto fidei necessariò semper subintelligi, ideoq; nisi rarissimè exprimitur Tot sunt & in Euāgelio, & in Epistolis Apostolicis, præcepta morū præcepta amandi Deū & proximū, præcepta quoque audiendi Ecclesiam & obediendi præpositis eius, denique & præcepta credēdi; quæ omnia præcepta absque Spiritus S. interno adiutorio ad implēdum, & interno testimonio ad credendum

dum non nisi litera occidens sunt (nisi enim præcipienti credas, & præcepta ipsa bona & vtilia esse persuasum habeas, ea implere vel illis obedire nec volet quisquam nec possit) & tamen internum hoc Spiritus S. vel adiutorium vel testimonium non nisi rarissime exprimitur, in omnibus tamen necessario supponitur & intelligitur. Vera nihilominus est huiusmodi præceptorum & sufficiens doctrina. Eodem tamen modo vera est & sufficiens S. Augustini doctrina hoc loco, & nostra quam cum eo hic defendimus, ex Ecclesiæ iudicio & autoritate tanquam certo & firmo argumento adeoque *πληροφορία* discendum nobis esse qui sint S. Scripturarum libri Canonici qui non; etsi attestanti ac docenti Ecclesiæ credere non possimus, nisi internum diuini spiritus testimonium intus quoque loquatur. Paulus scribit *Euangelium suum non fuisse ad Thessalonicenses in sermone tantum, sed & in virtute. & in Spiritu S. & in plenitudine multa* *εν πληροφορία πολλη.* in multa certitudine & persuadendi facultate. 1. Thess. 1. Non veretur suæ externæ prædicationi *πληροφοριαν* tribuere, quia non erat tantum externa aut in sermone tantum, sed & in virtute ac Spiritu S. *Domino* *cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.* Mar. ult. Quid ergo hætenus disputator verbose magis quam neruose, cõra vel Eusebij vel hunc primum Augustini locum disputasti, ad nostram ex illis sententiam infirmandam? Certè ad eam infirmandam nihil, ad confirmandam multa dixisti.

*VWhitakerus.*

Tertium Stapletoni testimonium, cui statui respondere, desumitur ex Augustino 11. libro contra faustum Manichæum cap. 5. vbi in hunc modum scribit Augustinus. *Distincta est à posteriorum libris excellentia Canonica autoritatis veteris & noui Testamenti,*

stamenti, quæ Apostolorum confirmata temporibus, per successiones episcoporum, & propagationes Ecclesiarum tanquam in sede quadam sublimiter constituta est, cui seruat omnis fidelis & pius intellectus. Hinc apparet, inquit Stapletonus, scripturam in sublimi sede constitutam esse per Ecclesiæ approbationem atque auctoritatem. Respondeo. Scribit Augustinus scripturarum Canonem fuisse ab Apostolis confirmatum & esse iam in sublimi loco constitutum per successiones episcoporum & Ecclesiarum propagationes. Quid hoc contra nos? Quis verò tam insanus est, ut non intel'igat Apostolos confirmasse scripturam Canonicam, & episcopos pios atque Ecclesias \*summam eis reuerentiam tribuisse. Sed num hinc sequitur, nos \*non alio testimonio nosse qui libri Canonici sint præterquam Ecclesiæ? aut \*nullam habere scripturam apud nos auctoritatem nisi quam Ecclesia ei tribuit? Nequaquam verò certe.

\*August  
plus dicit.  
\* Perpetuum.  
Effugiū.

*Stapletonus.*

Nugator vanissime. Num ego vsquam dixi ex his Augustini verbis aut ex hac Ecclesiarum & episcoporum approbatione sequi, nos non alio testimonio nosse qui libri Canonici sint præterquam Ecclesiæ? aut nullam habere scripturam apud nos auctoritatem nisi quam Ecclesia ei tribuit? Nequaquam verò certe? Num his Augustini verbis tu propterea aliquid respondisti? aut auctoritatem Ecclesiasticam in scripturis approbandis quam ex illis probare volui, tu propterea infirmasti? Nequaquam verò certe. Num quia præter Ecclesiæ testimonium externum aliud accedat oportet spiritus testimonium internum ipsius propterea Ecclesiæ testimonium excluditur? Nequaquam verò certè. Num qui scripturarum auctoritatem, notitiam ac certitudinem,

titudinem, per Ecclesiæ testimonium nobis innoscere ait, idem affirmat nullam aliam esse scripturarum authoritatem nisi quam Ecclesia ei tribuit, quasi quam ab authore Deo authoritatem habet, Ecclesiæ attestatio quicquā imminueret. Nequaquam verò certè. An tibi hæc replicandi forma VWhitakere displicet? Insuper fuit, tu me coegisti.

*VWhitakerus.*

Ex isto verò testimonio contra Papistas, hæc 14. Sect. observamus. Primò Canonem scripturæ Apostolorum tempore constitutum & consignatum fuisse in suo \* certo librorum numero, ac proinde nihil contra nos valere recentiora illa concilia, quibus Papistæ probant quosdam libros apocryphos \* veteris Testamenti esse in Canone, cum ipsi Apostoli, qui libri in Canonem veteris Testamenti recipiendi essent, suis temporibus statuisent.

*Mendacium.*

\* Idè valet in noui Test. apocryphis quos recipitis.

*Stapletonus.*

Quod Augustinus dicit, excellentiam Canonice authoritatis veteris & noui Testamenti Apostolorum temporibus confirmatam fuisse, de illis scripturis necessariò intelligendum est, quæ certò Canonice vocantur, & de quibus nunquam dubitatum fuit; qui videlicet libri ab Apostolorum temporibus in Canonem recepti fuerunt, vt Augustinus dicit. Non igitur ex eo sequitur libros olim dubios & apocryphos, sed à posterioribus concilijs in Canonem receptos propterea reijciendos esse, ne eodem quoque argumento, quia tota fides orthodoxa Apostolorum temporibus propagata & confirmata fuit, idcirco quicquid postea in dubium reuocatum concilia posteriora contra suorum temporum dubitantes definierunt, pari quoque superbia & impietate reijciatur.

*Protocanonici Apostolorum temporibus confirmati.*

ijciatur. Tua VVhitakere argumenta, quia è pectore fluunt terris hæresibus occupato, hæreticorum semper causam iuuant, & hæresibus patrocinantur.

Deinde dic obsecro, quia Apostolorum temporibus Canonici scripturarum libri confirmati sunt, qui sit vt libros noui Testamenti quos recentiora illa (vt vocas concilia) in Canonem receperunt, vos nihilominus pro Canonicis recipiatis? Cur, inquam, Sapientiam, Ecclesiasticum, Tobiam, Iudith & alios veteris Testamenti libros Apostolorum temporibus non confirmatos, sed à posterioribus concilijs in Canonem receptos tu eo nomine hoc loco reiiciendos affirmas; epistolam verò Iacobi, Petri secundam, Ioannis 2. & 3. Iudæ, ad Hebræos & Apocalypsin Apostolorum temporibus similiter non confirmatos, sed à posterioribus concilijs in Canonem receptos, tu eodem quoq; nomine non reiicis, sed pro Canonicis nobiscum agnoscis? An hos noui Testamenti apocryphos Apostolorum temporibus confirmatos esse dices? Atqui eadem antiquitatis testimonia, quæ illos veteris Testamenti libros inter apocryphos & diu dubios, ideoque ab Apostolis non confirmatos, recensent, hos quoque noui Testamenti libros recitatos, inter apocryphos & diu dubios ideoque ab Apostolis non confirmatos similiter recensent. Aut igitur vtrisque fidem adhibe, aut vtrisque deroga. Aut tam noui quàm veteris Testamenti apocryphos, vt ab Apostolis non confirmatos, sed posterius in Canonem receptos reiiciendos affirma; aut tam veteris quàm noui Testamenti apocryphos, vtcunque Apostolorum temporibus, necdum confirmatos, à posterioribus tamen concilijs receptos, pari fide & obedientia recipiendos agnosce. Tu verò vt non Ecclesiæ authori-

tas, sed tuus tibi animus author sit, quid credas, quid non credas, veteris quidem Testamenti apocryphos pro tua libertate hæretica respicis, & aspernaris, noui verò testamenti apocryphos pro tuo beneplacito admittis & probas.

*Hæretici credendis principiū suus animus est.*

*Whitakerus.*

Secundo, libros quidem noui Testamenti ab Apostolis ipsis scriptos & confirmatos esse, certumq; numerum librorum designatum.

*85. Sect.*

*Stapletonus.*

Sed in hoc certo numero designato, ponis ne apocryphos illos primi generis, de quibus postea diu dubitatum fuit, an non ponis? Si ponis, eodem modo & veteris Testamenti libros etiam apocryphos ab Apostolis confirmatos esse, eorumque certum numerum designatum ponere debes, eosque omnes nobiscum recipere. Si non ponis, eos quoque non secus reicere debes, quàm veteris Testamenti apocryphos vt in superiore sectione reiecisti. Augustini enim verba de *Canonica authoritate vtriusque Testamenti ab Apostolis confirmata* disertè loquuntur.

*Whitakerus.*

Tertiò, Si Canon scripturæ ab Apostolis ipsis constitutus sit, non est iam in Ecclesiæ potestate liberum aliquem ad hunc Canonem addere, atque ita librorum Canonicorū numerum augere, quod tamen Stapletonus affirmat cap. 14. huius libri.

*16. Sect. Collectio vana.*

*Stapletonus.*

Si Canon certus & definitus omnium scripturarum cum aperta derogatione & reiectione aliorum quorumuis è facto Canone librorum ab Apostolis constitutus fuisset, profectò ad hunc Canonem aliquid addere, nefas esset; neque hoc Stapletonus loco citato dixit vnquam. Sed certas vtriusque Testamenti scripturas Apostolorum temporibus confir-

Z s matas

matas esse, vt Augustinus dixit, talem certum ac definitum Canonem non ponit. Id solum docet quasdam esse certò Canonicas, & nunquam in dubium vocatas scripturas, ipsorum Apostolorum temporibus confirmatas, id est, communi omnium consensu receptas & approbatas. Non dicit Augustinus ab ipsis Apostolis in certam Canonem redactas aliquas scripturas fuisse. Non dicit ab illis plenum & integrum Canonem constitutum, cui nihil postea addi queat, quod tu eum dicere fingis. Neque hoc sentire Augustinus potuit, ne & sibi ipsi contrarius sit, qui librum Sapientiae etiam suo tempore pro nò Canonico habitum agnoscit, etsi propter Ecclesiae auctoritatem quam citat eum Canonicum esse ipse non dubitet; & praeterea omnem illam antiquitatem vel ignorasse vel mendacij arguisse videatur, quae varios vtriusque Testamenti libros suo etiam tempore in concil. Corth. 3. pro Canonicis agnitos à maioribus tamen suis in dubium vocatos & pro apocryphis habitos fuisse attestatur, ideoque Apostolorum temporibus necdum confirmatos fuisse iudicauit.

Denique quàm tu obliuiosus & negligens scriptor es, qui nunc Augustini verba sic detorques, vt ex eo colligi velis, certum & plenum omnium scripturarum Canonem ab ipsis Apostolis constitutum ac definitum (eo authore & teste) fuisse, quum in priori illa Augustini sententia iam iam à te exagitata, disertissimis verbis Augustinus expresserit, suo adhuc tempore varias scripturas à varijs Ecclesijs agnitas ac receptas fuisse (tantum abest vt certum Canonem ab Apostolis constitutum agnouerit) ideoque propter illam varietatem tyrones (vt tu dicis) monuerit, illas scripturas pro Canonicis agnosce-re, quas à pluribus & grauioribus Ecclesijs agnosci ac recipi

De prae-  
destin.  
Sanct.  
cap. 14.

Sup. sect.  
6. & 9. hu-  
ius capi-  
tis.

ac recipi videt? Non potest nec debet ex cuiuspiam authoris verbis ille sensus colligi (colligis enim tu hunc sensum tuum ex Augustini verbis quæ nihil tale sonant) quem eiusdem authoris apertissima verba non ferunt; & qui sine manifesta contradictione ab eodem authore tradi non potuit: maximè in tam celebri tantoque Doctore qualis Augustinus est.

*VWhitakerus.*

Scribunt authores, Hieronymus nempe in Catalogo, & alij, Ioannem omnium longissimè vixisse *17. Sect.* vt videre libros omnes & confirmare posset, & si <sup>Disputator absur-</sup> qui fictitij libri ederentur, eos à sacris libris & <sup>du-</sup> re Canonicis distinguere.

*Stapletonus.*

Disputator acute: à posse ad esse non valet argumentum, ne quidem in Deo ipso, cuius voluntas non potentia causa rerum omnium est. *Fecit enim quacunque voluit, non quæcunque potuit.* Atqui Ioannem hoc non fecisse quod facere poterat, omnes illi antiqui & grauisissimi authores attestantur, qui de libris scripturarum dubijs & apocryphis, tot post D. Ioannem annis, tam multa scripserunt: Athanasius, Eusebius, & alij à me in hoc opere citati.

*VWhitakerus.*

Hieronymus in Catalogo, in Luca, narrat *18. Sect.* quendam librum de gestis Pauli Ioanni oblatum <sup>Bliteum argumen-</sup> fuisse, sed authorem deprehensum esse, & librum <sup>tum.</sup> Apostoli authoritate damnatum.

*Stapletonus.*

Fecit hoc in vno libro Ioannes, & potuit fecisse in alijs: ergo fecit. Hoc est bliteum tuum argumentum; cuius vel puerum puderet.

*VWhita-*

*VWhitakerus.*

19. Sect.  
Nihil ad  
thōbum.

Tertullian. dicit de præscriptionibus, ipsa Apostolorum <sup>avtoyevopa</sup> suo tempore in Ecclesijs integra servari. Et idem in eodem. *Constituimus Evangelicum instrumentum Apostolos authores habere.* Augustinus epistol. 19. affirmat has scripturas fuisse receptas in Canonicum authoritatis culmen ab ipsis Apostolis.

*Stapletonus.*

Nunc probas Apostolos ea quæ sunt Apostolica & Evangelica ex Tertulliano scripsisse, ex Augustino in Canonem recepisse. Num ex eo sequitur, certum & definitum Canonem omnium librorum tam veteris quàm novi Testamenti ab Apostolis constitutum fuisse? Nequaquam vero certè. Vtor tuo respondendi genere. Hoc enim tibi iucundius fore arbitror.

*VWhitakerus.*

20 Sect.  
Cōiectura  
falsa.

Quod verò postea de nonnullis partibus aliqui dubitarunt, id non scripturis, sed infirmitati nostræ tribuendum est.

*Stapletonus.*

Non debet tam frigidis coniecturis tanta res agi. De scripturis certò Canonicis Apostolorum tempore confirmatis, ab alijs postea Catholicis Ecclesijs dubitatum fuisse, in tota antiquitate nunquam ego hæctenus legi, & tu hoc legi posse probare debes, si tibi credi vis.

*VWhitakerus.*

21. Sect.

Sed obijciet fortasse aliquis. Si Apostoli qui pastores Ecclesiæ fuerunt, habuerunt potestatem Canonem consignandi, & scripturas Canonicas confirmandi, tum idem quoque licebit alijs Ecclesiæ pastoribus, qui ijs succedunt, in vnum locū congregatis. Respondeo. Apostoli dupliciter considerari

fiderari possunt. Primò vt præcipui doctores Ec-  
 clesie: secundò vt certa quædam & <sup>alia</sup> organa à <sup>comētia</sup> <sup>& falsa.</sup>  
 Deo selecta, & ad hoc munus designata, vt libros  
 sacros scriberent ac diuulgarent. Hoc illis sic pro-  
 prium fuit, vt hoc nomine extra omnem aliorum  
 hominum conditionem positi essent.

*Stapletonus.*

At hanc tu distinctionem bone vir, quo argu-  
 mento, qua authoritate probas? Hoc vtroque cum  
 careas, qua facilitate à te dicitur, eadem à nobis  
 contemnitur. Nulla scriptura docet, nulla ratio <sup>Non solum</sup>  
 suadet, solis Apostolis hoc proprium fuisse vt sa- <sup>Apostoli</sup>  
 cros libros vel scriberent vel diuulgarent. Quis <sup>S. Scriptu-</sup>  
 nescit, Marcum & Lucam Apostolos non fuisse, <sup>ras vel</sup>  
 qui tamen duo Euangelia scripserunt? Quis nescit <sup>scripserunt</sup>  
 in varijs post Apostolos concilijs scripturarum li- <sup>vel diuul-</sup>  
 bros diuulgatos & populis commendatos fuisse?  
 An tu homo audax horum conciliorum Patres  
 omnes, quasi Apostolicæ functionis vsurpatores  
 damnabis, ex hac vna è tuo malè sano cerebro e-  
 nata distinctione? Sed reliqua videamus.

*Whitakerus.*

Quòd verò Canonem scripturæ Apostoli con-  
 signarunt, id non Ecclesie sed Dei authoritati tri- <sup>22. Sect.</sup>  
 buendum est. Non enim vt Ministri Ecclesie Ca-  
 nonem hunc consignarunt, sed vt certissima orga-  
 na Spiritus S. diuina authoritate muniti, atq; om-  
 nibus commendati.

*Stapletonus.*

Egregiè verò Ministros Ecclesie ab organis  
 Spiritus sancti diuina authoritate munitis distin-  
 guis, ac si Ministri Ecclesie organa Spiritus sancti  
 non essent &c. Hanc distinctionem si tu nobis <sup>Ecclesie</sup>  
 probare posses, virum te præstares. Virum dico? <sup>ministri</sup>  
 dæmonem potius, qui hac ratione totum Eccle- <sup>sunt orga-</sup>  
 siasticum <sup>na Spiri-</sup>  
 tus S.

siasticum ministerium merè humanum probares,  
& Spiritus S. tum alsistentia, tum potestate ac  
manere destitutum ostenderes : quod nec ipse  
Caluinus tuus ferè potuit. Nam de perpetuo Ec-  
clesiæ ministerio loquens, hæc inter cætera ait. *Vt*

Instit. lib.

4. c. 1. n. 5.

2. Corint.

4. 7.

*sciamus ex vasis testaceis nobis proferri thesaurum inesti-  
mabilè, Deus ipse in medium prodit, & quatenus huius or-  
dinis auctor est, vult se presentem in institutione agnosci.*

1. Cor. 3.

Deinde, dixit Apostolus. *Sic nos existimet homo vt  
ministros Christi. An hoc ministerium à Spiritu San-  
cto seiunctum fuisse arbitraris, aut sic ministrum  
Christi fuisse, vt quatenus Minister Spiritus sancti  
organum non fuerit? Audi igitur quid ad eosdem*

2. Cor. 5.

*in proxima epistola scribat. Pro Christo (inquit) le-  
gatione fungimur : hoc est, Ministrum Christi esse.*

*Sed sequitur: tanquam Deo exhortate per nos. Ministri  
igitur Ecclesiæ quatenus tales, organa Dei sunt,  
Deo per illos loquente. An verò solis Apostolis  
hoc proprium putas? Audi igitur quid idem Pau-  
lus de suo Timotheo dicat. Videte vt sine timore sit*

1. Cor. 16.

*apud vos. Opus enim Domini operatur sicut & ego. Ne quis  
ergo illum spernat. Hoc opus Domini quid aliud erat  
quàm Euangelica prædicatio? Et ne operis qui-  
dem socium, non autem honoris & potestatis con-  
fortem Timotheum fuisse putes, adiunxit Paulus.*

*Ne quis ergo illum spernat. Certè nisi in eodem opere  
Domini eandem quoque potestatem & authori-  
tatem Apostolus intellexisset, illud ergo Apostoli-  
cum consequentiam parum firmam fecisset. Rur-  
sum ad Coloss. 1. quum dixisset, cuius factus sum ego*

*minister secundum dispensationem Dei, &c. Addit paulò  
post, huius ministerij dignitatem tam in se quàm  
in alijs explicans. Quem nos annunciamus corripientes*

*omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni  
sapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in  
Christo*

*Christo Iesu &c.* Ineptè igitur imò impiè & contra scripturas. Ministros Ecclesiæ ab organis Spiritus sancti distinguis. Illa promissio Christi: *Spiritus S. docebit vos omnem veritatem & manebit vobiscum in æternum.* Item illa: *ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*, an ad solos Apostolos pertinet? an ad perpetuum Ecclesiæ ministerium disertissimè non spectat? Quis nisi prorsus infidelis & impudens hoc negauerit?

Ioan. 14.  
& 16.  
Matt. 28.

Deinde scripturas consignare, an ita diuini spiritus officium est, an ita ad Dei authoritatem pertinet, vt reliqua fidei dogmata tradere, diuini quoque spiritus officium non sit, aut absque Dei authoritate fieri id debeat? Quibus ergo Deus in sua Ecclesia dogmatum fidei definitiones, explicationes, & certam approbationem perpetuis temporibus commisit, quidni & librorum factorum approbationem commiserit? Vtrumque à Deo est: Vtrumque diuina authoritate opus habet. Vanè igitur & futilem ista distinxisti: quod adhuc pluribus argumentis in hoc opere atque ideo libro quem impugnas demonstratum dedimus: quæ tu omnia, prudenter scilicet, dissimulas. Facilius quippe tibi fuit distinctionem absurdam simpliciter asserere, quàm argumentis contra eam propositis respondere. Addis tamen quasi distinctionem hanc aliquo argumento probaturus.

Scripturas consignare, non magis diuini Spiritus officium quam alia fidei dogmata tradere.

Cap. 14.

*Whitakerus.*

Nam si hoc fecissent vt ordinarij ministri, tum omnes Pastores qui succederent Apostolis, similem potestatem haberent. Vnde hanc illorum fuisse extraordinariam authoritatem manifestum est.

23. Sect.  
Petitio principij.

*Stapletonus.*

Garrule sophista, quam impudenter sophisticaris, & principium petis? Probare vis Apostolos non

non

non vt ministros Ecclesiæ scripturas consignasse, quia sic sequeretur omnes illorum successores similem potestatem habere. At hoc ipsum est quod in hac obiectione à te proposita contra te asseritur, & à te refutari oportet. Tu nunc vt id refutes, distinguis de ministris Ecclesiæ & propria quadam Apostolorum autoritate: Sed vt distinctionem probes, peris tibi id dari & concedi quod refutandum fuit, nempe Apostolorum successores eadem in hac causa potestate nõ frui. Nam alioqui, *inquis si Apostoli vt ordinarij ministri Scripturas approbassent, tum eorum quoque successores similem potestatem haberent.* Hoc est dicere. Si mea distinctio non est bona, tum ista obiectio est vera. Sed hæc obiectio est falsa: ergo mea distinctio est vera. Nempe si tibi minor propositio concedatur, quam tu si legitimè disputare velles, non tibi concedi postulares, quum id ipsum sit quod refutandum proponitur, sed aliquo legitimo argumento refutare debebas. Nunc ex hac ineptissima argumentatione concludis.

*VWhitakerus.*

*24. Sect.* Ergo Apostoli non vt homines aut ministri, sed vt Dei persona & lingua Spiritus sancti, & quoddam oraculum diuinum, scripturæ Canonem consignabant. Quare nihil hoc ad stabiliendam Ecclesiæ perpetuam autoritatem valere potest. Atque hæc de tertio Stapletoni argumento.

*Stapletonus.*

Si tam acutè & solidè argumentari, quam copiosè concludere scites, formidabilis tu esses aduersarius, & disputator fortis. Nunc verò sagittæ paruulorum argumenta tua sunt. Quid nisi telæ araneæ conclusiones tuæ erūt? Paulus vt minister Christi, organum fuit Spiritus sancti: ait enim de suo ministerio *In quo & laboro, certando secundū operationem*

*Coloss. 1.*

tionem eius qui operatur in me in virtute: & idem ministerium in Timotheo agnoscit: (opus, inquit, Domini 1. Col. 16. operatur sicut & ego.) Manifestum est igitur ministros Christi, quatenus tales organa esse Spiritus sancti, & Deum per illos loqui.

QVOD CERTI LIBRI  
IDEO NON SVNT PRO DI-  
VINIS SCRIPTVRIS HABITI, QVIA  
Ecclesia eos in Canonem non recepit.

CAPVT. V.

*Whitakerus.*

SEQUITVR iam quartum eius argumentum, 1. Sect. quod lib. 9. cap. 7. tractatur, & est huiusmodi. Libri secundi generis apocryphi ideo non sunt pro diuinis habiti, quia Ecclesia eos nunquam approbare voluit. Ergo <sup>\*</sup>totum hoc negotium, de recipiendis nimirum & reiiciendis libris pendet ex autho- \*Mendacium. ritate & iudicio Ecclesiæ.

*Stapletonus.*

Si in tota hac disputatione tua, disputator futilissime, propositum tibi fuisset, causam religionis bona fide tractare, & sacram veritatem in argumento hoc sacro de sacrarum scripturarum certa cognitione & approbatione, solius veritatis studio inquirere; profecto argumenta mea & sententias quæ tibi impugnanda sumpstisti, bona fide proposuisses, & in veritatis indagine toties mentitus non fuisses. Sed quia non studium veritatis, at contradicendi nosque insectandi libido huc te impulit,

Aduerfa-  
rij lyco-  
phantia  
& igna-  
uia.

inde fit, vt meam sententiam sincerè nunquam aut  
rarò proferas; sed veluti qui digitis inquinatis  
omnia contrectant, eadem inquinant & commacu-  
lant, sic tu animo inquinato & fædo, liuore & in-  
uidia pleno ad hanc causam accedens, mea fere  
omnia quæ contrectasti polluisti, & inquinasti.  
Meas sententias tuis adiectionibus contaminasti:  
quum illa prima legitimè disputandi lex sit, argu-  
mentum quod impugnas bona fide recitare: atque  
adeo vires potius illi addere, quod fortis & generosi  
disputatoris est, & de causæ suæ bonitate optimè  
confidentis, quam aliquid ei vitium detrahere, &  
recitatio corrumpere ac debilius facere, quod igna-  
ui & timidi disputatoris, suæque pessimæ causæ  
miserè diffidentis est. Hic perpetuus tibi haectenus  
mos fuit, eundem & nunc tenes, vt quæ ego nun-  
quam dixi me dicere affirmes, & sensum à me nū-  
quam cogitatum nedum prolatum tibi affingas.  
Ais me dicere quosdam libros pro diuinis non esse  
habitos, quia Ecclesia eos nunquã approbare voluit: qua-  
si ego hoc in voluntate sola & arbitrio Ecclesiæ po-  
suerim: contra quam ineptam cauillationem tuam  
iam in præcedētibus, vbi simili meorum verborum  
corruptela vsus es, satis multa dixi. Addis me dice-  
re: *Ergo totum hoc negotium pendet ex autoritate & iu-  
dicio Ecclesiæ* quasi ego solius Ecclesiæ iudicium in  
hoc negotio ponam, & cætera omnia scripturas  
cognoscendi media excludam. Hoc enim toto  
hoc capite, imò fere tota hac disputatione tua refel-  
lere ac refutare contendis. At quoties iam ab initio  
ipso disputationis huius tibi dictum est, me non so-  
lius Ecclesiæ autoritatem in hoc negotio asserere,  
sed eam pro maxima & certissima, & infallibili au-  
thoritate ponere, in qua etiam Spiritus S. Authori-  
tas, & testimonium non excluduntur sed necessa-  
riò

hæc includuntur, eo quod vnum ab altero in hac causa nunquam diuellitur, vt est in superioribus abundè ostensum. Hac de re ante omnia etiam hoc in loco monendus fuit lector vt quum in tua tota responsione te extra chorum saltare & id impugnare quod à me assertum non fuit animaduertent, huius disputationis tuæ vanitatem planè puerilem esse intelligat, tuoque exemplo quales sunt hæreticorum contra Catholicos scriptores disputationes, melius exploratum habeat.

*VWhitakerus.*

Secundi generis apocryphos vocat, qui vel ab hæreticis, vel à philosophis, vel ab alijs sub Apostolorum nomine editi sunt: cuiusmodi fuerunt Apocalipsis Pauli, Euangelium Iudæ Iscariotæ, Euangelium Thomæ, Euangelium Mathiæ, Euangelium Andreæ & Euangelium Petri, quæ à philosophis edita fuisse restatur Innocentius 1. epist. 3. Hos libros (inquit Stapletonus) Ecclesia reiecit ac repudiavit. Ergo pertinet ad Ecclesiam de libris Canonicis statuere, & certum scripturarum Canonem consignare &c. Respondeo hoc argumentum nihil confirmare, idque tribus de causis. Primum quia nos suprâ \*concessimus ad officium atque adeo 2. Sect. \* Ridentium. lum. auctoritatem Ecclesiæ pertinere, vt libros veros & genuinos ab adulterinis distinguat. Habet enim spiritum Dei, quo edocta vocem sponsi sui audit, & eius doctrinam agnoscit. Idem enim spiritus quo illi libri scripti sunt, adhuc in Ecclesia residet, licet non eadem semper mensura. Hoc ergo totum concedimus.

*Stapletonus.*

Dicis meum argumentum nihil confirmare, tribus ex causis. Primam causam hanc statuis. Quia hoc totum nos ipsi concedimus. Quid ais? Meum

argumentum nihil confirmat, quia quicquid affirmat, tu totum concedis? Opinabar te potius dicturum, meum argumentum optimè quod intendit confirmare, quia quicquid affirmat, id totum tu concedis. Quis vnquam tam ridiculum respondentem vidit? Tota tua probatio nihil confirmat, quia ego totum concedo. Si dixisses, contra me nihil tuum argumentum confirmavit, quia ego totum concedo, satis id accommodatè respondisses. Nunc autem dicis me nihil pro auctoritate Ecclesiæ confirmasse, & tamen tu eadem auctoritatem concedis, & verbis disertissimis explicas atque confirmas. An quæ tu concedis falsa esse solent? Sic enim sanè sequeretur, me nihil confirmasse, quia tu hoc totum concessisti. Nunc quanta sit tuæ responsionis dementia, ego verbis explicare nequeo. Sed causam fortasse subiunges, cur etsi tu totum quod dixerim concedas, totum illud tamen nihil confirmauerit. Audiamus.

*VWhitakerus.*

3. Sect.  
\* Perpetuum effugium.

Sed quærimus. Num ergo sequitur nos \*nullo alio *negotio* iudicare posse, hos libros improbandos & respuendos esse nisi quòd Ecclesia eos non esse Canonicos iudicauerit? Quis tam dissolutè atque ineptè concluderet, qui se legitimis argumentis causam obtinere posse confideret?

*Stapletonus.*

Ergo à te quæro. Vbi in tota mea disputatione legisti me hoc affirmare, nullo alio *negotio* iudicare posse hos libros improbandos & respuendos esse. Vbi vnquam in meo libro quem impugnas legisti, me omnia alia media excludere quibus libri tam infames & corrupti dijudicari possent? Quis vnquam tam impudenter mentiri vellet nisi qui se omni alio legitimè respondendi medio destitutum

vide.

videret? Hoc est quod in hoc capite præfatus fui. Fingis, comminisceris, corrumpis, & contaminas sententiam meam, vt aliquid quod arrodas, habeas. Hæc est tota huius capitis quod impugnas sententia mea ad verbum. *Libri secundi generis apocryphi videlicet ab hæreticis vel à philosophis, vel à quibuscunque alijs sub nomine Prophetarum & Apostolorum conficti, ideo pro diuinis Scripturis nunquam sunt habiti, quia illos Dei Ecclesia nunquam recipiendos iudicauit.* Hanc mox propositionem quàm plurimis ex tota antiquitate testimonijs confirmo. Sed nec ego nec illi Patres antiquissimi & doctissimi quos magno illic numero produxi, hanc sententiam tradiderunt, nullo alio medio improbandos hos libros esse, quàm Ecclesiæ iudicio; sed certe hoc Ecclesiæ iudicium medium fuisse maximè ordinarium & certum atque infallibile, omnia illa testimonia docent, & ego ex illis concludo. Videamus tamen quæ tua alia media & argumenta designas.

*VWhitakerus.*

Nos quidem \*alia dicimus esse argumenta. 4. Sect. Doceant enim illi quibus argumentis Ecclesia inducta, hos libros supposititios iudicaret; & ego respondebo nos etiam iisdem argumentis induci posse vt idem iudicemus.

*Thrafo miles gloriosus.*

*Stapletonus.*

Magnum fumum excitasti, & ingentem expectationem mouisti, vociferando contra me, quod ita Ecclesiæ iudicium & auctoritatem commenda-uerim, vt nullo alio argumento quam solius Ecclesiæ iudicio hos libros apocryphos improbandos esse dixerim. Clamas me dissolutè atque ineptè concludere. Addis vos dicere & affirmare alia esse argumenta. Quis hic nõ expectaret, vt varia & magni ponderis argumenta proferres, ne solius Ecclesiæ iudicio standum esse

existimaremus. Sed. *Parturiant montes, nascetur ridiculus mus.* Ne vnum quidem argumentum proferas, sed à nobis proferri iubes, moxque te aliquid præclarum contra nos concludere posse affirmas. *Doceant (inquis) illi quibus argumentis Ecclesia inducitur.* Atqui miles gloriose, tua expectabamus argumenta. Nonne hic Thrasonem quempiam videmus, qui de armorum suorum robore & splendore multa iactitet: quantis abundet, quàm dexterè, quàm fortiter illis vti valeat, sed ad certamen veniendum quum est, proclamet miser. Proferat mihi sua arma aduersarius: faxo vt viderit quàm ego illis strenuè pugnabo. Tu tua argumenta præter Ecclesiæ amplissimam auctoritatem iactitas. *Nos alia dicimus esse argumenta.* Sed quænam sunt illa, quum arrectis auribus auscultamus, pergis miser. *Doceant illi quibus argumentis inducta Ecclesia hos libros esse supposititios iudicaret, & ego respondebo nos etiam isdem argumentis induci posse, vt & idem iudicemus.* Vide ergo quàm vana est tua iactantia.

Primum ab Ecclesia discere cupis, quibus illa argumentis inducta fuerit. Ergo Ecclesia te docere debet ante omnia, sine qua nullum argumentum habes quod proferas. Deinde quaero an quum Ecclesiæ argumenta audiueris, illis credere velis aut non credere. Si non credere, quid tibi profuerit ea audire? Si credere, quid aliud iam iudicium inquiris? Rursum si non credere, quomodo ex illis doceris quod promittis? Si credere, cur ab illa doceri cupis? Præterea si tu isdem argumentis inductus quibus inducta fuit Ecclesia, isdem iudices quod iudicant Ecclesia, an hoc tuum iudicium illam auctoritatem habeat quam habet Ecclesia? Tuum iudicium

Ecclesiæ armis pugnare cupiunt hæretici.

Ecclesiæ arma necessaria & sufficientia.

iudicium priuatum est & tibi soli utile esse potest, imò nec vtile sed noxium si illo habito Ecclesiæ vocem contempnas. Ecclesiæ verò iudicium apud alios valet, alijs est vtile, auctoritatem adiunctam habet.

Denique in improbandis & respuendis libris suppositicijs, si de eo modo improbandi ac respuendi loquamur qui cum auctoritate sit, vt qui sic improbantur ab alijs omnibus improbari debeant, tu quæso aliam aut maiorem nobis quàm Ecclesiæ auctoritatem designa. Sed improbare ac respuere huiusmodi libros propter aliqua falsitatis aut impietatis argumenta in eis contenta, vt nemo id certius facere potest, quàm Ecclesia, *quæ Spiritum Sanctum habet*, (vt tute hic fateris) *quæ edocta vocem sponsi sui audit & agnoscit*, ita quicquid alij in particulari propter huiusmodi argumenta à seipsis animaduersa probant vel improbant, nec certum sed fallax, nec alicuius auctoritatis, sed priuatum iudicium est, sicuti in præcedentibus distinximus.

Postremò vt tuæ responsionis vanitatem vno verbo absoluam, quum tu aut quispiam alius eisdem inductis argumentis quibus Ecclesia inducta fuit, libros supposititios improbat & respuit; aut illa sua argumenta ab Ecclesia accepit, & sic Ecclesiæ iudicium sequutus est; aut non accepit, & sic firmitas ac certitudo in illis nulla est. Accedere ergo Ecclesiæ iudicium oporteat ad certitudinem & *πληροφάνειαν* hac in causa animis vestris ingenerandam. Adeò hoc argumentum id quod volui confirmauit, tuaq; responsio varia vanitate laborat.

*Whitakerus.*

Secundò. Nos concedimus contra hæreticos ab Ecclesiæ auctoritate & consensu argumentum sumi posse, vt quia scilicet tota Ecclesia hos libros reiecit, ideò eos meritò reijciendos esse fateamur.

*Sect.  
Cōfessio  
veritatis  
extorta.*

Quis enim tam audax atque impudens est, quem non Ecclesiæ Catholicæ authoritas permoueat? Ea hos libros vidit & examinavit, & melius de illis iudicare potest, quam priuatus quisquam, quia maiorem & ampliorem copiam Spiritus sancti ac iudicij habet. Ea libros aliquos tanto iudicio ac consilio reiecit. Nos eos retinere, nulla ratione freti, non debemus. Hoc igitur argumentum contra hæreticos valet plurimum, & hæretici valde illo premi vgeriq; possunt: nec hæretici tantum, verum & alij aduersarij, qui volunt vel recipere supposititios, vel verò Canonicos respuere. Atque hoc quidem argumento Patres sæpe vsi sunt.

*Stapletonus.*

Hic locus, hoc caput, hoc argumentum nostrum, in quo tam multa ex antiquitate testimonia protulerã, quæ causam reiiciendi libros supposititios, ad Ecclesiæ auctoritatem referunt, ad nobilissimam veritatis confessionem te adegit. Tantum enim nunc Ecclesiæ auctoritati tribuis, quantum vel maximè Catholicus tribui desideret; & quantum nos in hoc capite tribuendum esse probare volumus. *Concedimus (inquis) contra hæreticos ab Ecclesiæ auctoritate argumentum sumi posse: ut quia scilicet tota Ecclesiæ hos libros reiecit, ideò eos meritò reiiciendos esse fateamur.* At hoc ipsum est quod nos diximus. *Libri supposititij ideò pro diuinis nunquam sunt habiti, quia illos Ecclesiæ Dei nunquam recipiendos iudicauit.* Inter hæc mea verba & tuam hoc loco concessionem discrimen quæso vel minimum ostende si potes. Sed & addis plura viresque maiores veritati affers. *Quis enim (inquis) tam audax atque impudens est, quæ non Ecclesiæ Catholicæ authoritas magno-pere permoueat?* Et rationem subiungis fortissimam. *Ea hos libros vidit & examinavit, & melius de illis iudicare potest*

potest, quam priuatus quisquam, quia maiorem & amplio-  
rem copiam Spiritus sancti ac iudicij habet. Quis hæc  
audiens te non Catholicum, & Ecclesiæ Catholi-  
cæ membrum coniunctissimum esse diceret? Sed  
ad populum phaleras, sonant hæc omnia. Ad  
hanc te confessionem nostrum argumentum coe-  
git, cui te aliter respondere non posse cernebas.

An verò hoc vanè iacitò, quasi mei argumēti  
tantæ vires essent? Aut iniquam hanc de te suspi-  
cionem moueo, vt etiam in ijs quæ rectè à te di-  
cuntur reprehendendi aniam quæram? Minimè  
fanè, quia nec mei argumēti, sed veritatis ipsius  
vis ac violentia te hoc loco vera dicere coegit; nec  
iniquè hoc de te suspicor, qui in alio huius dispu-  
tationis tuæ loco totum quod hic dixisti non ne-  
gas tantum, sed & sublannas penitus, verbisque  
acerrimis irrides. An non ita est? Audi igitur & re-  
cole tua verba, quæ in huius disputationis tuæ  
Quæst. 5. cap. 10. scripsisti: & omnes Ecclesiasticæ  
authoritatis partes, ipsamque Ecclesiam vna con-  
tinua oratione, vnoque quasi halitu explosisti.  
Hæc tua verba sunt: *Aduersariorum media* (quibus  
scripturas interpretantur) *verè humana media sunt.* Pag. 355.  
& 356.  
*Nam praxis Ecclesiæ est consuetudo hominum. Patrum sen-  
tentia est opinio hominum. Concilij definitio est iudicium  
hominum. Papæ decretum est voluntas hominis idq; vnius.  
Sed Ecclesia (inquiunt) non errat. Papa non errat. Vtrum-  
que esse falsum suo loco docebimus. Nos scripturam non er-  
rare scimus, ideoque eam interpretationem verissimam esse  
iudicamus, quæ cum scripturis congruit. Quid nobis cum  
Ecclesiis, aut Concilijs, aut Papis, nisi quæ definiunt, scriptu-  
ris consentanea esse doceant? Nos Ecclesiam non errare vn-  
de accepimus? & quam hanc tandem Ecclesiam esse dice-  
mus? Hic certè nihil inuenies nisi humanum, & proinde in-  
certum, minimeq; tutum. Hæc ibi tu non iam dispu-*

Contradi-  
ctiones  
manifestissime  
aduersa-  
rij.

tans, sed quasi œstro ac furore percitus, rabido & infano ore effutians, totumque hæretici cordis tui venenum in vnâ pagellam effundens. Sed heus tu impie. Statuo te contra faciem tuam. Ais hoc loco tu. *Quis tam audax atque impudens, quem non Ecclesiæ Catholice autoritas magnopere permoueat?* Ergo audax & impudens tu, ex propria confessione es, qui tota Ecclesiæ autoritate, siue in Patribus, siue in cõcilijs, siue in Papa Petri successore Christi; vicario nihil penitus cõmoueris, vt humana media reijcis. *Quid nobis cū illis?* exclamas. Rursum ais hoc loco tu. *Ecclesia melius iudicare potest quàm priuatus quisquam, quia maiorem & ampliores copiam Spiritus sancti ac iudicij habet.* Ergo mentiris impudenter postea, quum dicis. *Hic nihil inuenies nisi humanum.* Qui ampliores & maiorem copiam Spiritus sancti habent, quàm priuatus quisquam in illis nihil nisi humanum inuenitur? Compose hæc duo disputator absurde, & qua tandem arte conuenire queant, ostende. Deinde si tantum Spiritus sancti & tam amplam copiam habet Ecclesia, vt hoc loco affirmas, quo furore, qua dementia exclamas postea. *Nos Ecclesiam non errare vnde accepimus?* Quid ais? *Quam amplam & magnâ copiam Spiritus sancti habere concedis, eam non errare vnde acceperit ignoras?* Spiritus S. nonne *Spiritus veritatis* est? Nonne ideo Ecclesiæ datur (promittente Christo) *vt eam inducat in omnem veritatem?* Tu ei Spiritum sanctum concedis & quidem *in maiori & ampliore copia quàm priuatus quisquam habet:* & tamen perinde ac priuatū quẽuis errare eam posse, nihil nisi humanū in ea inueniri, ideoq; omnia eius incerta & minimè tuta esse affirmas? Vnde rursum an non ista ex diametro, & *διὰ διὰ πρῶτον* repugnēt.

Quid? An in scripturarum quidem interpreta-  
tione,

Ioan. 14.

tionem, de qua posteriore loco egisti, Spiritum S. Ecclesie negas, sed in reiiciendis libris suppositi-  
tius, de quibus hoc loco agis, ei concedis, & ista non  
repugnare dices? Quasi verò non perinde vel in  
se arduum vel nobis necessarium non sit, Scriptu-  
ras veras & germanas, verè & germanè ac sa-  
lubriter interpretari, quàm adulterinas & suppo-  
sititias à veris & germanis discernere: aut quasi  
discernere scripturas Ecclesia posset, quas ipsa-  
met non intelligeret, nec alijs exponere posset;  
aut denique quasi aliqua esset verorum librorum  
utilitas, quos Ecclesia certò discreuit & cõmenda-  
uit, si nulla certa eorum teneretur interpretatio  
quam eadem Ecclesia nobis traderet & commẽ-  
daret? Sed quid? Ita hoc posteriore loco extra om-  
nes sani iudicij fines & metas delatus es, eoque  
furore ac impetu prætergressus, vt nec ipsam Ec-  
clesiam agnoscas, in hæc quoque verba prorump-  
pens. *Et quam hanc tandem Ecclesiam esse dicemus?* Ita  
nunc dum omnem Ecclesie authoritatem con-  
uellis, & ipsam Ecclesiam quæ aut qualis aut vbi  
terrarum sit, non vides.

Vide quàm cæcum rebellè agas, & filios Israel  
optimo Davidi rebelles ad amussim imitaris. Re-  
bellauerat totus Israel cõtra David Regem, & *toto*  
*corde Absalon rebellem filium sequebatur.* Mox debellat 3. Reg. 15.  
Absalon, idem totus Israel Regem à victoria re-  
deuntem maximo concursu & gratulatione exci-  
pit. *Quare te furati sunt fratres nostri viri Iuda,* & 3. Reg. 19.  
*traduxerunt Regem, &c.* Sed totus hic feruor subito  
deseruit. *Clamat Seba filius Bochri. Non est nobis*  
*pars in David neque hereditas in filio Isai.* Nempe 3. Reg. 20.  
gratia male facta citò fuit dissoluta. Prius rebel-  
les, ad momētum optimi subditi videri volebant,  
Sed mox ad ingenium redeunt ac denuò rebelles  
fiunt,

fiunt. Non secus sanè & tu toto corde rebelles huius ætatis hæreticos secutus es. Ecclesiæ auctoritatem cum rebellibus tuis sodalibus toto impetu persecutus es, vt tota hæc tua disputatio demonstrat. Atqui frequentibus antiquitatis testimonijs in hoc capite prolatis hæc hæreticorum & sodalium tuorum rebellionem debellatam videns, accurris ad Ecclesiam desertis hæreticis. Eius auctoritatem contra hæreticos deprædicas, quasiq; pro Ecclesiæ auctoritate nunc æmularis. Nos (inquis) concedimus contra hæreticos ab Ecclesiæ auctoritate & consensu argumentum sumi posse. Et rursus. Quis tam audax atque impudens est, quem non Ecclesiæ Catholice auctoritas magnopere permoueat? Et iterum. Hoc argumentum contra hæreticos valet plurimum, & hæretici valde illo premi vrgerique possunt. Quis has Catholici hominis voces esse negaret, planeque non censeret te ex rebelli hæretico, obedientem Ecclesiæ filium derepente factum esse, & cum Davide Ierosolymam redire. Sed quid? Mox ad ingenium redis & cum Siba rebelli exclamas; Quæ nobis pars cum David? aut quæ hæreditas cum filio Isai? Quid nobis cum Ecclesijs, Concilijs, Papis? Nos Ecclesiam non errare vnde accepimus? & quam hanc tandem Ecclesiam esse dicemus? Quæ vox magis rebellis, magis hæretica, magis infidelis proferri potuit? Prioribus autem illis verbis tuis, quæ vox magis Catholica & Christiana desiderari posset? Sed hoc est impiorum & rebellium ingenium. Aliqua interdum quasi lucida interualla habent, ne perpetuò insanire videantur. Celeriter tamen vt canes ad vomitum, & sues ad volutabrum, sic illi ad fœdas suas hæreses, verbaq; illis consentanea relabuntur. Sic vt initio dixi, vis & violentia veritatis, non eius studium aut amor, ad hanc re veritatis confessionem compulit. Sed  
quid

quid ergo? An argumento nostro concedes, & quod nihil confirmare dixeras, nunc egregiè quod voluit confirmasse, assentire? Ais enim (quod nos hoc argumento probare volumus) contra hæreticos ab Ecclesiæ autoritate argumentum sumi posse; & quidem ita firmum vt audax & impudens sit, quæ hæc autoritas magnopere non commoueat. Quid ergo? Iungemus dexteras? Minimè verò ais. Etsi enim hoc totum concessero, aliud tamen perfugiū habeo. Illud quale sit videamus.

*Whitakerus.*

Nunquam tamen dixerunt Patres qui hoc argu- 6 . *Scit.*  
mento sæpè vsi sunt, totum hoc ex Ecclesiæ autho-  
ritate pendere, aut hoc vel \* solum argumentum, \* *Perpe-*  
vel maximum esse, quo hæretici atque alij aduersa- *tuum ef-*  
rij, de libris his malè sentientes, redarguantur: sed *fugium.*  
alia præterea argumenta esse concedunt. Imò quidam ex his ipsis Patribus, quos Stapletonus commemorat, alijs hac in re argumentis vsi sunt, vt postea patebit.

*Stapletonus.*

Nec ego id ex his Patribus probare volui, vnicum huius rei argumentum esse Ecclesiæ auctoritatem, sed certè solenne, vsitatum, & maximum. Quum enim tu aliquod aliud in terris cuiuspiam dubiæ veritatis testimonium, Ecclesiæ voce & iudicio maius atque excellentius protuleris, tunc maximum illud esse, negare poteris. Cæterum hoc in præcedenti disputatione contra omnes inanissimas cauillationes tuas & exceptiones, probatū reliquimus, nullum esse in terris testimonium certius quàm Ecclesiæ. Quod verò alia esse argumenta dicis, quibus Patres etiam à me citati vtuntur, illa omnia huiusmodi sunt, vt de illis iudicare, eaque rei præsentis applicate, ipsius quoque Ecclesiæ maximè sit  
quod

quod & in præcedente hæc defensione nostra contra te confirmatum est.

*VWhitakerus.*

7. *Secl.*

\*Inepte  
& futiliter.

Tertia, Illi igitur Patres qui hoc argumento vti sunt, quod ab Ecclesiæ authoritate sumitur, non reiecerunt hos libros Apocryphos secundi generis, propter \*suam duntaxat authoritatem, & propter externum tantum Ecclesiæ iudicium, quasi in foro aliquo habitum, sed propter alia argumenta quæ ex ipsius libris sumebant, apertos errores & prima dogmata, ex quibus Ecclesia facile iudicare potuit, eos supposititios planè ac commentitios, nõ verè Canonicos libros fuisse. Hoc ipsorum Patrum testimonio constat quos Stapletonus hæc in causa pro se affert, Eusebij nimirum & Augustini.

*Stapletonus.*

Hæc tertia causa quam assignas à secunda nihil differt, nisi quod quæ in illa in genere alia esse argumenta dixisti præter Ecclesiæ authoritatem, hic in particulari explicare contendis. In qua explanatione antequam ad rem ipsam veniretur, quædam futiliter effutisti quorum te monendum censui. Primum enim quid illud sibi vult, quod dicis Patres non reiecisse hos libros apocryphos, *propter suam duntaxat authoritatem*? Quàm hoc futiliter & ineptè professor eximie dixisti? An Patres à me citati sequuti sunt aut vlli vsquam alij suam solent authoritatem sequi, vel allegare? An non ipsi suorum semper antecessorum vel ceterè præsentis Ecclesiæ (cuius illi sanè pars sunt, sed non ipsa rota) authoritatem sequuntur & allegant? Tu verò ita rem narras quasi quum argumento ab Ecclesiæ authoritate Patres vtrur ad supposititios libros reiiciendos, ea in re suam authoritatem sequerentur, & à seipsis suoque testimonio argumentum peterent, quo

Patres nõ suam sed maioram suorum authoritatem sequuntur.

quo nihil esset magis ridiculum aut insulsum.

Deinde quam illud futiliter & ineptè dixisti, *Propter externum tantum Ecclesie iudicium, quasi in foro aliquo habitum.* Quid tu vir bone somnias, aut quid somniando deliras? Externum Ecclesie iudicium quum dicimus, fore se aliquod iudicium à nobis dici imaginariis, quasi ideo externum sit quia in foro aliquo oppidano habeatur? Doctorem tam hebetem & rudem an prius vnquam Cantabrigia vidit? Adeò adhuc nescis doctor indocte iudicium Ecclesie externum, & testimonium externum ita vocari, vt ab interno diuini spiritus iudicio ac testimonio distinguatur? Adeò nescis totam Ecclesiasticam politiam, docendi, prædicandi, determinandi, testificandi potestatem ac munus, officia esse externa quibus fideles ea quæ ad Deum pertinent docentur; ea quæ fidei ac morum sunt erudiuntur; ea quæ exoriuntur dubia definiuntur, ac denique sacrae veritates certissima attestazione nobis innotescunt? Quum Apostoli in primo Concilio definirer, *Visum est Spiritui sancto & nobis, an nõ Ecclesie Apostolicæ iudicium externum id fuit?* Sed quid? An quia in foro habitum? An non quia externa illa erat, oculisque atque auribus fidelium manifesta, Ecclesie Apostolicæ definitio, doctrina, attestatio? Egregius videlicet theologiæ doctor ac professor es, qui scientiæ theologiæ terminos vulgares necdum tenes.

Externū  
Ecclesie  
iudicium  
quale

Act. 15.

*Whitakerus.*

Eusebius enim lib. 3. & cap. 25. in græco codice verba faciens de Euangelio Thomæ, Petri, Mathiæ, & reliquis apocryphis secundi generis, in fine causam exponit, quare hi libri sunt ab Ecclesia reiecti, huiusmodi verbis. *Ipsa dictio, character, & phrasis non sunt Apostolica.* Ipsum institutum

8. Sect.

mul.

multum differt ab orthodoxa religione ac doctrina, ac proinde merito tanquam spurij libri & hereticorum figmenta reijciuntur. Præstat loquentem ipsum audire Eusebium. Πόρρω δὲ πού καὶ ὁ τῆς Φράσεως

καρὰ τὸ ἦθος τὸ ἀποστολικὸν ἐναλλατῆς χαρακτήρ. ἢ τε γνώμη, καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς φερομένων προαιρέσεων, πλέρον ὅσον τῆ ἀληθῆς ὀρθοδόξιας ἀπάδουσα, ὅτι δε αἰρετικῶν ἀνδρῶν ἀναπαλάσματα τυγχάνει σαφῶς περιήσειν: ὅθεν ἔδ' ἐν νόμοις αὐτὰ κραταυτέον, ἀλλ' ὡς ἄτοτα πάντῃ καὶ δυσσεβῆ περιουτήτων.

\* Ridicula calumnia.

Atque hic \*obseruanda nobis Stapletoni fides est.

Voluit ille ex Eusebij testimonio probare reijciendos esse hos libros ob nullam aliam causam, nisi quia eos Ecclesia reiecerit; & citat locum ex hoc ipso capite verbis proximè præcedentibus, quæ sunt huiusmodi. *Nemo ex scriptoribus Ecclesiasticis dignatus est vsquam in suis scriptis hos libros in memoriam redigere.* Atque ibi Eusebij testimonium interrumpit.

\* Mendacium.

Statim verò superiora verba sequuntur, quæ quoniam contra illum faciebant, profus omisit.

Illis enim verbis Eusebius, præter Ecclesiæ testimonium, tradit duobus alijs modis & indicijs intelligi posse hos libros Canonicos non esse. Primo τῆς χαρακτήρου τῆς Φράσεως ex phrasi & caractere, quia nunquam ita scripserunt, nunquã ita loquuti sunt.

Apostoli. Vnde apparet ex Eusebij sententia, phrasim etiam esse Canonicorum librorum indicem.

Secundo, τῆ γνώμη καὶ τῆ προαιρέσει, ex sententia & instituto, hoc est ex ipso genere doctrinæ his libris traditæ; quæ dici non potest (inquit Eusebius) quantum à sana doctrina & ab orthodoxa religione dissentiat, adeo vt non tantum non recipiendi, sed tanquam impuri & scelerati fetus hæreticorum repudiandi & detestandi sint. At Stapletonus nobis

\* Mendacium.

persuadere vult, hos libros \*nullo alio nomine reijci debuisse, quàm quia Ecclesia eos reiecit.

Staple-

*Stapletonus.*

Tota hæc tua narratio, & longa mei accusatio, meris mendacijs nititur. Ais, sed mendaciter, me hoc loco id agere vt *hos libros supposititios nullo alio nomine reijci debuisse ostenderem, quam quia Ecclesia hos reiecit.* Mendacium, inquam, hoc tuum est, sicuti in principio huius capituli docui, nec hic repetere opus est. Hanc tu sæpè cantilenam cantas, & hoc tu futile perfrugium quæris, vt quum clarissimis antiquitatis testimonijs, quibus Ecclesie authoritatem probo in libris vel Canonicis ap-  
 probandis, vel dubijs recipiendis, vel supposititijs reijciendis, respondere non potes; id saltèm dicas, id respondeas, non ex sola Ecclesie authoritate id probari, non propter solius Ecclesie authoritatem tales libros vel approbatos vel receptos, vel reiectos fuisse; sed præterea opus esse interno Spiritus testimonio, alia quoque esse argumenta & media propter quæ libri vel dubij recipiantur, vel supposititij reijciantur: quasi ego in toto libro meo quem impugnas, vel Spiritus sancti testimonium internum excluderim, vel alia media præter simplicem Ecclesie authoritatem prorsus negauerim. Illud tu idcirco ineptissimè facis, idcirco tam mendaciter asseris, idcirco hoc mendacio lectori imponis, partim quia alia via argumenti nostri vim eludere non potes, partim quia totam meam disputationem vel non legisti ignauus, vel dissimulasti improbus. Alioqui quomodo latere te potuit, me præter simplicem Ecclesie authoritatem, quædam alia media & argumenta posuisse, qui huius operis quod impugnas toto libro septimo, de huiusmodi medijs quibus vel Ecclesia vitur, vel nos vti debemus, in controuersia fidei examinanda, disputo. Inter quæ media illud primo loco

Antiqua  
& perpetuum aduersarij  
effugium.

Vvhitakeri ignauus & impudens.

Cap. 1. 2.  
3. & 4.

pono & varijs capitibus expono, quod tu hoc loco quasi à me neglectū & prætermiſſum vrges characterē & phraſim Apoſtolicā, ſententiā & inſtitutum cū regula fidei conſentiens. Imo in hoc ipſo lib. 9. quē tibi impugnandū ſuſcepisti, nōne caput vndecimum est, *quod regula fidei est medium quo Magistri & Pastores Ecclesiarum veras ſcripturas à falſa discernunt?* Deinde quum de interpretatione ſcripturarum in hoc opere quod impugnas diſputo, nōne in duos libros illud argumentū diſſeco; quorū vnus est de authoritate Eccleſiaſtica, alter de medijs interpretandi ſcripturas? Quanta igitur eſt tua impudentia hoc vno mendacio toties Lectori imponere, & hoc vno ſaco argumentorum meorū vim toties eludere, vt quum Eccleſiæ authoritatem quā ego his argumentis ſtatuerē volo, negare nequeas, imo ampliffimis verbis fateri & prædicare cogaris (vt hoc ipſo in capite feciſti) id vnum respondeas ex eo non ſequi quòd Eccleſiæ duntaxat authoritas à me probetur, aut quòd nullo alio medio atq; argumēto niſi ſolius Eccleſiæ authoritate patres vſi fuerint? vide-rit lector malitne hac in re tuam ſingularem impudentiam deteſtari, an infelicitatē & miſeriā tuā deplorare: qui videlicet ſeu propter cauſā quā tueris turpitudinē ſeu propter ingenij tui tarditatē rerūq; Theologicarum imperitiā aliter reſpondere non potuiſti. Certè mea mihi argumenta magis placent, & Eccleſiæ ampliffimā authoritatē quam ſemper veneratus fui, magis ac magis nunc veneror; quum videam te profeſſorem Regium, & vnū in Anglia delectum qui Bellarminum & me circa hanc Eccleſiæ authoritatem ſtremuè impugnaret, ad tā miſera & pudēda perfugia compelli, niſi mentiēdo aut diſſimulando poſſe reſpondere.

Lib. 10. &  
11.

Ex hac videlicet tua mētiēdi ac diſſimulādi ſeu  
libidine

libidine seu necessitate factum quoque est, ut me Eusebium hoc loco mala fide citasse multis verbis ostendere volueris. Ais enim me Eusebii testimoniū interrumpere, & superiora verba à te in mediū producta, quia contra me faciebāt, prorsus omisisse. Quū enim id ex Eusebio protulissem, Nemo ex scriptoribus ecclesiasticis dignatus est vsquā suis in scriptis hos libros in memoriā redigere; prætermisi id quod proximè in Eusebio sequitur. Quin etiā dictionis & loquēdi forma longè à stylo & dicēdi cōsuetudine Apostolorū discrepat. Sententia porro & institutū eorum quæ in illis libris tradūtur (quod toto prope cælo ut dicitur à vero orthodoxo, scripturæ sensu & opinione aberrat) planè perspicueq; ostēdit ea callida solū hæreticorū esse cōmentā. Hæc sunt Eusebii verba quæ tu maluisti Græcè proferte, & à me hoc loco non bona fide prætermissa conqueteris. At cur ita obsecro? Quia (inquis) contra te faciunt. Et quomodo contra me faciunt? Quia, inquis, tu sola Ecclesiæ autoritate libros supposititios à vetis & germanis discretos fuisse probare vis. At Eusebius duo hic alia media ponit, vnum à stylo & phrasi Apostolica, alterū à sententia & instituto librorum. Hæc tu: & propter hunc locū in Indice libri tui magna diligentia annotatum est. *Stapletoni perfidia in citandis Patribus.* Arqui (ut iam ostendimus) mentiris bone vir me sola Ecclesiæ autoritate libros supposititios à germanis discretos fuisse probare velle. Ex ecclesiæ autoritate discretos illos fuisse probare volui; & id Eusebii verba à me fideliter citata manifestè probāt. Alia autem Eusebii verba subsequētia, nō quia contra me faciebant (ut tibi mentiri libet,) sed quia ad rem præsentem non faciebant, idcirco prætermisi. Eadem autē Eusebii verba paulò post c. 11. protuli, his verbis. *Sic Eusebius Pamphili diligenter notat ideo confictos illos apocryphos repudiatos fuisse, quod sententia*

*& institutum eorum que in illis libris traduntur, à vero orthodoxoq; scriptura sensu & opinione toto caelo aberrans, plane perspicueq; ostendat, ea callida solum hereticorum esse commenta. Hæc ille. Vides calumniator inepte, hæc Eusebij verba hoc quidem capite prætermissa fuisse, quia ad ad huius capituli argumentum non pertinebant: alio autem capite à me prolata fuisse, quia illi loco conueniebant. Nempe eo loco id ex instituto probo, quod tu hoc loco à me negari & contra me facere inaniter affirmas. Probo inquam ex regula fidei & phrasi Apostolica libros suppositios reiectos fuisse, & hoc vno medio Ecclesiam vsam fuisse.*

Phrasis &  
Stylus A-  
postolorū  
assentētia  
eorum nō  
differt.

Nam quod tu hoc loco stylum ac phrasim Apostolorum, à sententia & instituto eorum distinguis, & duo media distincta facis, obiterque notas, ex Eusebij sententia phrasim etiam esse Canonicoꝝ librorum indicem, in eo erras. Neque enim stylus ac phrasis apud Eusebium hoc loco aliud est, quam ipsa orthodoxa & sana doctrina regulæ fidei consentanea, quæ phrasis Apostolica dicitur, quia sic Apostoli, non quoad stylum & verborum compositionem, sed quoad materiam subiectam, loqui solent. Sic Athanasius in oratione quam vocat *Compendium pro Spiritus sancti diuinitate*, versus finem, fidei orthodoxæ regulam vocat *stylum Christianismi & phrasim Apostolorum à Patribus receptam*. Porro quum varij Apostolice scripserint, quæ in Canonem recepta sunt, & quisque Apostolus suum stylum habeat proprium, alium Paulus, alium Petrus, alium Iacobus, & alium Ioannes, quis tam ineptus ac demens fuerit qui existimet vnum esse certum stylum Apostolorum, & vnam phrasim, intelligendo hoc nomen in dictionis & verborum compositionem.

Athana-  
sius.

Imo nec ex eiusdem Apostoli stylo ac phrasi, ad  
dictionem

dictionem quod attinet, certum argumentum peti posse, argumēto est quòd epistolā ad Hebræos multi veteres Pauli non esse existimant, quasi à stylo & phrasi Paulina differentem; quam tamen Pauli germanam esse, nemo nunc est qui dubitat. Dionysius quoque Corinthiorum episcopus disputans de Apocalypsi Ioannis, etsi propter styli dissonantiam eam Ioannis Euangelistæ non esse existimaret, tamen, inquit, librum illum nullo modo abrogare audeo: præsertim cùm adeo multifrattes eum rām magni existiment. Præstat loquentem ipsum audire, ut apud Eusebium loquitur. Stylusve verborum cōpōsitio- nē significet in eodē S. Scritpore non est idem.

ἔτι δὲ καὶ διὰ τῆς φράσεως τὴν διαφορὰν ἐστὶ τεκμηραῖα τὸ εὐαγγελίου καὶ τῆς ἐπιστολῆς πρὸς τὴν ἀποκάλυψιν. τὰ μὲν γὰρ ἐμόνον ἀπλῆτως κατὰ τὴν ἐλληνικὴν φωνὴν, ἀλλὰ καὶ λογιστικῶς ταῖς λέξεσι τοῖς λογισμοῖς, ταῖς συντάξεσι τῆς ἐρμηνείας γεγραπταί. πολλὰ γὰρ δὲ βάρβαρον τινα φρόνησον, ἢ σολοικισμῶν, ἢ ὅλων ἰδιωτισμῶν ἐν αὐταῖς εὐρεθῆναι. ἑκατέρωθεν γὰρ εἶχεν, ὡς εἶκε, τὸν λόγον, τὴν γνώσιν, ἀμφοτέρωθεν αὐτῶν χάριται καὶ Κυρίου, τόντε τῆς σοφίας, καὶ τὸν τῆς γνώσεως. τὸν δὲ ἀποκάλυψιν μὲν ἐπιφρονῶναι, καὶ γνώσιν εἰληφέναι καὶ προφητεῖαν ἐκ ἀντέρω. διάλεκτον μὲντοι καὶ γλῶσσαν ἐκ ἀκριβῶς ἠδὲ ἀκρίβως αὐτῆς βλέπω, ἀλλ' ἰδιωμασι μὲν βαρβαρικοῖς χρωμένον, καὶ πρὸ καὶ σολοικίζοντα; ἀπὸρ ἐκ ἀναγκαίου τὴν ἐκλεγεῖν. Lib. 7. c. 20.

Hæc apud Eusebium Dionysius, quæ sic vertit Christophorus noster. Præterea ipsa dictionis formula differentiam Evangelij & Epistolæ ab Apocalypsi facile licet internoscere. Nam illa non modo absque vllō orationis vicio, sed etiam summa cum verborum elegantia, maximo sententiarum pondere, & continua elocutionis dispositione perscripta sunt: tantum abest ut vox aliqua barbara, aut impositus aut rudis sermo in eis reperiatur. Habebat enim Euangelista, ut videtur, hæc utraque, & disertum sermonem & sententiam divinam: propterea quòd Dominus ista duo, nimirum donum sapientiæ & donum cognitionis illi largitus fuisset. Et quanquam hunc qui scripsit Apocalypsin, scientiam & Prophetiam animo cepisse, non equidem inficio; eius tamen

Styli dif-  
similitudo  
in Apoc.  
& Euang.  
D. Ioan.

*sermonis proprietatem & linguam non adeo limatè & politè græce loquente animaduerto; sed modis loquendi planè barbaris vtentem, & interdum etiam solæcismo: quæ quidem in præfenti adnotare non est necesse. Hæc ille. Vides vt quantum ad phrasim & stylum attinet, dictionum compositionem & modum loquendi his verbis intelligendo (vt tu hoc loco intelligis, ea discretè distinguendo à sententia & instituto authoris, id est à materia subiecta) etsi Apocalypsis nullo modo Ioannis Euangelistæ esse videatur, vt pote quæ à stylo Euangelij & primæ epistolæ (quam hic vnicam Dionysius agnoscit) latissimè discrepet, adeoq; barbarismis & solæcismis non careat, tamè vt hoc iudicium quàm nullum sit intelligeremus, tū Ecclesia à multis seculis agnouit, vosque nobiscum hodie agnosceitis, verum & germanum esse ipsius diuini Euangelistæ Ioannis factum, tum ipse Dionysius eū propterea reprobare non est ausus. Ais enim <sup>ἐγὼ δὲ ἀ-  
Γεση</sup> *Ἐγὼ μὲν οὐκ ἂν το λμήσομαι τὸ βιβλίον, πο δὲ ἂν αὐτὸ εἰς ἀσπε-  
δῆς ἐχρόνων ἀδελφῶν.* Tamen ego librū nullo modo reprobare audeo; præsertim quū tam multi adeo fratres eum tam magni existiment, vel tanto studio habeant. Vbi vides, vt cunq; phrasim ac stylus nihil minus quā Ioannē saperet, imo barbarus videretur, & Apostolo indignus, tamè propter aliorū episcoporū fratrum suorum iudiciū & auctoritatē hunc librū reprobare ausus nō fuerit. Auctoritatē & iudiciū episcoporū dico, quia non solum ait Dionysius, se nō reprobare, sed *nec audere reprobare*; hancque causam adiūgit, quia à fratrib. seu coepiscopis meis magno in honore habetur: Hæc obiter ex verbis Dionysij, de stylo & phrasi Apostolorū, quia tu obiter ex verbis Eusebij annotare voluisti stylum & phrasim esse *Canonicorum librorum Indicem.**

Sed est sanè quoad rē subiectā phrasim quæ dā Apo-  
stolica,

stolica, seu etiam prophetica omnibus sacris scri-  
 ptoribus communis, quòd non nisi res grauissi-  
 mas ac diuina tractet, & scribunt quadã grauita-  
 te & castitate sermonis ita efferunt, vt omnia ad  
 Dei gloriam atque legentium instructionem scri-  
 pta videantur, non ad personarum commenda-  
 tionem, vel etiam rerum amplificationem quæ  
 tractant, vt supra ex Alphonso Testato animad-  
 uertimus; eaque eloquentia vtuntur, quæ viros  
 summa authoritate dignissimos planeque diuinos  
 decet, vt scribit Augustinus de doctr. Christ. lib. 4.  
 cap. 6. Cæterum hoc totum, seu quoad materiam  
 subiectam, sententiam & institutum, seu quoad  
 scribendi modum, sitne propheticum, Euangeli-  
 cum, Apostolicum, aut quoquo modo diuinum,  
 ipsius Ecclesiæ est iudicare ac discernere qui vo-  
 cem & phrasin sponsi sui optimè intelligit, vt in  
 precedentibus dictum est. Quare hæc etsi quæ alia  
 sunt media quibus libri supposititij à veris & ger-  
 manis discernuntur, authoritatem Ecclesiæ nihil  
 imminuunt, imo roborant magis atq; confirmant,  
 tum quia ex illis apparet Ecclesiam certis & legi-  
 timis medijs (non solo arbitrio & voluntate) in  
 hac librorum discretionem uti, tum quia de his ipsis  
 medijs nemo certius iudicare potest quàm Eccle-  
 sia vt contra te supra ostensum est. Sed in hoc ca-  
 pite Ecclesiæ authoritatem probare volui. In alio  
 mox capite vnum principale medium quod tu  
 hic ex Eusebio quasi à me mala fide prætermisum  
 posuisti, quo Ecclesia hac in re vtitur ostendo, vbi  
 & hæc ipsa Eusebij verba, suo proprio loco pro-  
 fero. Hic igitur non mea perfidia in citandis Pa-  
 tribus, vt tuus habet Index, aliqua notari potest;  
 sed tua mentiendi libido, vt hæc mea defensio do-  
 cuit, atro carbone notanda est. Affers proximo

loco ad idem medium discernendi supposititios libros à germanis probandum alium ex Eusebio locum : quem & ego statim post priora Eusebij verba huius libri noni, capite vndecimo protuli. Ais enim.

*VWhitakerus.*

9. Sect.

Præterea idem Eusebius eodem libro caput. 32. disputationem Petri cum Appione, ob eam causam rejicit, quod puram illam & synceram Apostolicæ orthodoxæque doctrinæ notam minime retineret. Οὐδε γὰρ (inquit) κηδαρὸν ἀποστολικῆς ὀρθοδοξίας ἀποσώτει τὸν χαιροκλήτου: quasi diceret; Manifestum est hanc disputationem nullius Apostoli fuisse, cum fidei ac prædicationis Apostolicæ recta genuinaque nota careat. Non congruit cum doctrina Petri. Igitur Petro falso ascribitur. Atq; hæc de Eusebij testimonio.

*Stapletonus.*

Hunc (vt dixi) Eusebij locum huius libri quem impugnas cap. 11. ego protuleram, idque proximè post alterum Eusebij locum (quem à me perfidè prætermissum mentiri te libuit) vt hoc ipsum probarem quod tu hic probare vis, ex regula fidei libros supposititios à veris & germanis discerni posse. Cæterum hoc Ecclesiæ auctoritatem non infirmat; sed docet vnum medium quo Ecclesia in his libris discernendis vtitur: in quo etiam medio certissimè iudicando suam amplissimam auctoritatem exercet: vt postea videbitur, quū ad eius capitis à te quoque impugnati defensionem veniemus.

*VWhitakerus.*

10. Sect.  
\*Menda  
cium.

Nunc ad Augustinum accedo, qui certè \* nunquam ita scripsit, vt eum scripsisse Stapletonus affirmat, sed longè aliter. Non enim ait hos libros pro

pro Apocryphis habitos fuisse propter eam \*dun-  
taxat causam, quod sic Ecclesia senserit ac iudica-  
rit; sed quia pleni mendaciorum fuerint, multa-  
que in se impia & falsa habuerint.

*Stapletonus.*

Quum tu Whitakere, in hac Quæstione tua ter-  
tia, quæ est de scripturarum approbatione, ex duo-  
decim libris Operis mei de principiis fidei vnum  
tantum eumque cæteris breuiorem impugnandum  
suscepisses, profectò illum vnum librum & pauca  
eius capita facile disputationi tuæ integra inseruis-  
ses, si vnquam bona fide hanc causam tractare in  
animum induxisses. Cæterum quia splendide men-  
tiri, & impudentem sophistam agere propositum  
tibi fuit; idcirco nec meam integram disputatio-  
nem ponis, vt quid & quomodo dicam lector intel-  
ligat; nec disputationis meæ sensum veraciter sta-  
tuas, vt quid à te impugnari debeat, lector videat: Ioan. 3.  
sed quoniam *qui malè agit odit lucem*, tu lucem  
omnem disputationis fugiens, quasdam disputatio-  
nis meæ particulas exagitas, quædam patrum loca  
(cæteris prætermisissis) eademque mutilatè prolata  
examinas, sensum & scopum argumentorum (nul-  
lis meis citatis in forma verbis) falsum mihi affin-  
gis, ne totius causæ ac responsionis tuæ turpitudò  
cuius cordato lectori sese palpandam daret. Sic  
enim hoc loco maximè, ais *Augustinum ea nunquam  
scripsisse, quæ ego eum scripsisse affirmo*. Sed quid illud  
sit quod ego de Augustino affirmo, tu in medium  
non profers. Illud tantum subiungis. *Non enim ait  
August. hos libros pro Apocryphis habitos fuisse propter  
eam duntaxat causam quod sic Ecclesia senserit ac iudica-  
rit*. Cum tota tua responsio & refutatio huic vni  
fundamento nitatur, quare mea verba nõ profers,  
in quibus quomodo & quid Augustinum dicere

\*Perpe-  
tuum ef-  
fugium.

VWhita-  
keri perfu-  
dia &  
ignauia.

ego dixi, lector intelligeret? Sed hæc est tuæ causæ miseriam: hæc est tua impudentia dum causæ turpissimæ turpiter subservire non erubuisti. Veritas non quærit latebras. Ideo omnia Augustini loca hoc in capite à me citata, & verba omnia quibus in illis citandis usus fui, ego iterum in lucem & aciem producam, ut perpetuam tuam mentiendi libidinem luce meridiana clariorem, cuiuslibet tandem lectori patefaciam.

Sic in hoc capite quod impugnas scribo. *D. sane Augustinus sæpe contra Manichæos non ex alio fundamento Apocrypha quibus illi utebantur refellit.* Ecce aio Augustinum sæpe non uti alio fundamento quàm Ecclesiæ autoritate. Aio cum sæpe non aliud urgere. Nunquid aio semper & duntaxat hoc ab illo fundamentum Ecclesiasticæ autoritatis profertur? Aut quod dixi cum sæpe facere, verum illud non est? Vide ergo quàm sæpe non alio fundamento usus fuerit. Sic in meo libro sequitur. *Citantibus enim illis ex Evangelio Thoma, respondet Huic scriptura licet nobis non credere, quia non est in Catholico Canone.* Et iterum contra Faustum. *Has scripturas Canon Ecclesiasticus respuit. Causam quoque repudiationis omnino ab Ecclesia iudicio pendere his verbis eodem in loco ostendit.* Legunt (inquit) scripturas apocryphas Manichæi à nescio quibus factoribus fabularum sub Apostolorum nomine scriptas; que suorum scriptorum temporibus in autoritatem S. Ecclesiæ recipi mererentur, si sancti & docti homines qui tunc in hac vita erant, & examinare talia poterant, eos vera loquutos esse cognoscerent. Hæc ille. Viæ plane propter examen & iudicium sanctorum hominum in Ecclesia factum fuisse, ut Apocrypha huiusmodi prorsus repudiarentur. Et paulò post, aliorum testimonijs interpositis, ad alia Augustini testimonia redeo, & aio. *Similiter & Manichæorum Apocrypha hoc nomine rejicit Augustinus. Si alios (inquit)*

Ecclesiæ  
authoritas  
in repudian-  
dis apocryphis.

De serm.  
Domini  
in monte  
lib. 1.  
cap. 38.  
Contra  
faustum  
lib. 22.  
cap. 79.

Lib. 12.

quid) quos dicat Apostolorum nostrorum codices protulerit, <sup>cap. 4.</sup> quomodo eis ipse auctoritatem dabit, quam per Ecclesias <sup>contra</sup> Christi ab ipsis Apostolis constitutas non accepit, <sup>faustum</sup> ut inde ad <sup>Man.</sup> posteros firmata commendatione transcurrerent? Quomodo ille cui non credo profert mihi scripturas quibus de illo credam, & eis ipse conatur dare auctoritatem cui ipse non credam: Hæc ille, manifestè docens Apocryphas scripturas ideo reiiciendas quia nulla auctoritate per Ecclesiam accepta traduntur, cum tamē ipsi Ecclesie de Christo credamus. Quæ Augustini ratio bene est aduertenda. Moxq; Hieronymi & dorothei testimonijs interiectis, adhuc ex Augustino hæc profero. Quin & huius generis Apocryphos, id est, ab incertis & impijs authoribus confictos ita definit Augustinus, ut dicat ita vocari tales libros Apocryphos non quod habendi sunt in aliqua Auctoritate secreta, sed quia nulla testificationis luce declarati, de <sup>Lib. 11.</sup> nescio quo secreto, <sup>cap. 2.</sup> nescio quorum præsumptione prolati <sup>contra</sup> sunt. Hæc ille. Lux illa testificationis qua carent isti <sup>faustum.</sup> Apocryphi est testimonium Ecclesie, sicut apertius alibi docet. Apocrypha, inquit, nuncupantur eo quod eorum occulta origo non claruit patribus, à quibus vsque ad nos Auctoritas veracium scripturarum certissima & notissima successione peruenit. Et post testimoniū ex Nicana Synodo 2. Sic rursum August. de libro Enoch aliorumque prophetarum scriptis, Ea, inquit, castitas Canonis non recepit. Et iterum. Non inueniuntur in Canone quem populus Dei recepit. Ibidem. Eiusdem Canonis meminit lib. 15. cap. 23, de Ciuit. Dei dicens. Multa sub nominibus prophetarum & Apostolorum ab hæreticis proferri, quæ omnia sub nomine Apocryphorum, ab auctoritate Canonica diligenti examinatione remota sunt. Hæc ille. Denique. Non sine causa, inquit, tam saluber vigilantie Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi prophetarum & Apostolorum libri pertineant. <sup>De Ciuit. Dei lib. 15 cap. 23.</sup> <sup>Ibidem lib. 18. cap. 38.</sup> <sup>Contra Crecon. lib. 2. cap. 35.</sup>

Hæc sunt Augustini loca à me illo capite quod impu-

impugnata, & his omnino verbis illa tractaui. His itaque lectis & diligenter perpenſis quis negabit verum eſſe quod dixi *Augustinum ſape non ex alio fundamento apocrypha reſellere quam ex Authoritate Eccleſiæ?* Iam hic octo eius diuerſa hac de re teſtimonia protuli, in quibus nihil aliud quam Eccleſiæ authoritatem vrget. Nam Canon Eccleſiaſticus, Canon Catholicus, Canon à populo Dei receptus, lux teſtificationis, quid aliud in his Auguſtini locis ſignificant vel ſignificare poſſunt, quam Eccleſiæ Catholicæ teſtimonium & authoritatem, vnde iſte Canon emanauit? Quis enim demum hunc Canonem, hanc Regulam, hunc certum librorum Canonorum numerum nobis definiuit, & tradidit niſi Eccleſiæ authoritas, vel perpetua & à maioribus accepta traditione, vel communi præpoſitorum Eccleſiæ conſenſu, vel aliquo in Concilijs decreto, vel deniq; tacita ſed certa & vnanimi omnium fidelium conſenſione?

*At (inquis tu) Auguſtinus non ſolum propter Eccleſiæ authoritatem hos libros reiecit, ſed etiam quia libri ipſi pleni mendaciorum fuerunt. Diſputator inepte: Quæ tandem iſta tua reſponſio eſt? Eccleſia certa ratione inducta hos libros reiecit & reprobauit, ergo non propter Eccleſiæ authoritatem reiecti fuere. Itane vero præpoſiti Eccleſiarum quod certa ratione inducti faciunt, ex authoritate non faciunt? Principes terræ quum leges ferunt quia certa ſemper ratione nixi eas ferunt (ratio enim eſt anima legis) idcirco ex authoritate eas non ferunt? Imò omnis authoritas nonne ideo certior & firmior eſt quia certa ratione & non ſine cauſis grauiffimis exercetur? Hoc cine authoritatem imminuit, quod non ex ſolo beneplacito, ſed certis cauſis inducta leges promulgat? An non econtra abſque iuſta ratione*

Eccleſiæ  
authori-  
tas non  
ideo mi-  
nor quia  
medijs  
vritur.

causis que legitimis tyrannis esset? Qua ergo tu ineptia rerūque non theologicarū modo sed & humanarum imperitia, eo nomine Ecclesiæ auctoritatem circa libros supposititios reijciendos, vt antea circa Canonicos recipiendos, imminuendam putas, quod ex certis causis inducta esset vt hoc faceret? Sed audiamus nunc tua verba, quibus hanc tuam exceptionem profers & vrges.

*VWhitakerus.*

Nam in tractatu 98. in Ioannem Augustinus mentionem faciens Apocalypses Pauli, ait ab Ecclesia receptam non esse. Sed quare? Num quia aut recipere aut non recipere in \*solius Ecclesiæ iudicio positum fuit? Nequaquam: sed quia conficta à <sup>11. Sect.</sup> *Perpetuum est fugium.* vanis quibusdam hominibus & quia plena fuit fabulis.

*Stapletonus.*

Hunc vnum locum in hoc capite quod impugnas à me prolatum ideo annotasti ( tot alijs tam illustribus locis tum Augustini tum aliorum Patrum prætermittis ) quia hic aliquid te deprehendisse putasti, quod non esset ipsa Ecclesiæ auctoritas; sed causa aliqua per se, cur tales libros Ecclesia repudiauerit. At nego tibi ex hac causa Ecclesiæ auctoritatem in tot alijs Augustini locis allegatam quicquam esse imminutam, vt iam iam ostendi. Videamus nunc quid tu hac ex re inferre velis.

*VWhitakerus.*

Quid autem? librūne à vanis hominibus confictum, & fabularum etiam plenum, \*nulla alia ratione reijcimus quam propter Ecclesiæ testimonium? Imò quia talis est. Nam certè ob eandem causam ob quam reiecit Ecclesia, \*nos quoq; talem <sup>12. Sect.</sup> *Perpetuum est fugium.* librum reijcere necesse est. <sup>\*Exceptione ridicula.</sup>

*Staple-*

*Stapletonus.*

Authori-  
tas quæ  
ratione  
nititur nõ  
ideo im-  
minuitur.

Ut huius tuę responsionis vanitas illustrior ap-  
pareat, eam in simili causa ostendo. Circumferuntur  
in aliqua Repub. libri spurcitiis pleni, alij etiam qui  
contra obedientiam principis, vel aliquas Reip. cõ-  
suetudines & leges multa complectuntur, & isti li-  
bri complurium manibus teruntur. Peruenit ad  
aures Principis horum librorum notitia. Iubet  
edicto nõ in tota sua ditione aut venales exponan-  
tur aut priuatim à quoquam habeantur, & addit  
causam quia spurcitiis pleni sunt & contra bonos  
mores, vel etiam multa habent contra obedienti-  
am principis & contra Reip. consuetudines ac le-  
ges scandalo & improbitate plena. Veniat nunc  
alter Whitakerus & dicat. Quid? hosce libros non  
nisi propter principis auctoritatem reijciemus? Imò  
quia tales sunt. Nam certè ob eandem causam ob  
quam illos reiecit princeps, nos quoque tales li-  
bros reijcere necesse est; si boni ciues esse volumus.  
An hoc tuo argumẽto principis auctoritatem elu-  
des? An non vides propter solam principis autho-  
ritatẽ hos publicè interdici, tametsi tu si bonus ci-  
uis es illos libros etiam non interdictos reijcere  
deberes? An non vides principis edicto & authori-  
tate opus fuisse, vt publicè & ab omnibus reijce-  
rẽtur, tametsi à bonis absque hoc edicto reiecti fu-  
issent? An non vides propter infirmos & etiam cor-  
ruptos ciues tales libros edicto publico summaque  
principis auctoritate meritiò interdictos fuisse &  
interdici debuisse? Eodẽ modo in libris istis suppo-  
sitijs propter Ecclesię auctoritatem reiectis, ex  
iustissima tamen causa reiectis, se res habet. Tamet-  
si enim in se mali & à vanis hominibus conficti &  
fabularum pleni sunt, tamen propter solam Eccle-  
się auctoritatem publicè reijciuntur: & vt Eccle-  
się

fiæ autoritate publicè reiiceretur opus fuit, non solum propter infirmos qui non ita facile fabulosa à sacris, & falsa à veris discernunt, sed etiam propter impios qui ex illis necdum iusta autoritate reprobatis & fallerentur ipsi & alios fallendi materiam sumerent. Denique utcumque tu hos libros reiicis quia fabulosi & impii sunt, hæc tamen tua reiectio & repudiatio nullum adhuc autoritatis pondus habet, donec Ecclesiæ accedat testimonium & suprema in terris autoritas. *VWhitakerus.*

Idem etiam lib. 22. contra Faustum Manichæum, cap. 79. ait, Manichæos legere libros, quosdam à sutoribus fabularum conscriptos: intelligit verò Mathiæ, Andreae, Petri, & reliquos illos libros, quos antea Stapletonus nominavit. Non sunt ergo hi libri olim ab Ecclesia recepti, quia fabulis pleni fuerunt, non tantum quia eos Ecclesia repudiare voluit. Idem præterea Augustinus lib. 1. cap. 1. de cōsensu Evangelistarum disputat, quare, cum tam multi de rebus gestis & doctrina tum Christi, tum Apostolorum scripserint, quatuor tantum Evangelia & Acta Apostolorum recepta sint, reliqui verò libri non sint recepti: & duas causas reddit. Primam. Quia illi homines, qui istos libros scripserunt, non erant eiusmodi, ut Ecclesia eos fide dignos iudicaret, hoc est, non fuerunt extraordinariis Spiritus sancti donis ornati, & ad hanc rem instructi, sicut ij omnes esse debent, qui sacra ac diuina scribunt. Secundam, quia non ea fide scripserunt, qua reliqui, sed nonnulla scripserunt, quæ à fide Catholica & doctrinæ Apostolicæ regula discrepant & dissentiunt. Ergo Patres ipsi concedunt, alia esse argumenta, quibus hi libri reiiciantur, præter solam Ecclesiæ autoritatem. Quod ad acta verò Apostolorum attinet, scribit eodem loco Augustinus,

gustinus, nullos alios ea fide scripsisse, qua scripsit Lucas, ac proinde huius solius librum receptum esse. Quid dici apertius potuit? pugnabant hi libri cum regula atque analogia fidei, ergo recipiendi non erant, \*nec eos recipere Ecclesia potuit, nec ei aliter facere, quam tales libros reiicere ac damnare, licuit. Quemadmodum autem illos libros olim Ecclesia propter hanc causam repudiauit, sic eodem quoque \*nos, si nunc remanerent, hoc ipso nomine respueremus atque damnaremus. Atque de quarto Stapletoni argumento haectenus, iam restat vt ad quintum eius argumentum accedamus.

*Stapletonus.*

Ex his Augustini locis, quæ partim hoc capite quod nunc impugnas, partim postea cap. 11. ego ipse protuleram, totum quod concludis, istud est. *Pugnabant hi libri cum Regula & analogia fidei. Ergo recipiendi non erant, nec eos recipere Ecclesia potuit, nec ei aliter facere, quàm tales libros reiicere ac damnare licuit. At ista conclusio Ecclesie autoritatè nihil imminuit sed roborat potius atque confirmat; quantò enim grauiori & iustiori ex causa eos repudiauit, tantò nobis acceptior, tantò gratius recipièda authoritas est: tantò quoque ipsa in se authoritas firmior ac certior fit, quantò magis euidenti ratione nixa, improbos & supposititios libros reiecit. Alioqui dispi- ce quæso an hæc conclusio legitima & bona sit. Libri quos Rex per edictum toto suo regno interdixit pugnabant cum Regni legibus & recta ratione. Ergo tales libri recipiendi in regno non erant nec eos recipere aut permittere Rex potuit, nec Regi aliter facere quàm tales libros interdicare ac damnare licuit. Si tu sic in foro aliquo VWhitakere audiro tali Regis edicto publicè proclamares, & hæc apud ciues tuos persuasione ageres, nonne te*

omnes

\*Ridicula  
narratio.

\*Exceptio  
vana.

Legis ra-  
tio autho-  
ritatem.  
Legis ro-  
ris nõ im-  
minuit.

omnes vel vt dementem irrideret, vel vt rebellem ac seditiosum comprehendi iuberent? At sic tu contra Ecclesiam vociferando, mirè sapere, & Regium professorem cum magna laude agere videris. Si sic in schola & cathedra tua ista dixisti vt in hac tua disputatione ista scripsisti, certè vel obsecraris auditores habuisti qui vanitatem non attenderent, vt similes haberet labra lactucas; vel (quod magis crediderim) apud ingeniosos auditores ista efutisti qui meritò in sinu suo tuam vanitatem irridebant & adunco te naso suspendebant temporumque iniquitatem deplorabant.

Cæterum adiungis sapienter quod tuos auditores mirè recreare & reficere debebat. *Quemadmodum* (ais) *illos libros olim Ecclesia propter hanc causam repudiavit, sic eosdem quoque nos si nunc remanerent, hoc ipso nomine respueremus atque damnaveremus.* At tibi duo respondeo, quæ vt tu probabiliter diluere possis ipse videris. Primum aio si tu huiusmodi libros adhuc extantes respueres atque damnares, hoc tuum iudicium non nisi te tuosque forte amicos iuuaret, hoc nullam authoritatis pondus haberet, hoc alijs fidelibus qui tanto iudicio non valent ad tales libros cauédos nihil adiumenti adferret. *Authoritate* adhuc opus est quam non in priuato quouis aut quolibet Ecclesiastici corporis membro, sed in magistris ac præpositis Ecclesiarum Christus posuit, quæ huiusmodi librorum reiectio & repudiatio omnibus innotescat, nec innotescat modo, sed & imponatur ac iubeatur sicuti Apostoli suum decretum de abstinendo à sanguine & suffocato &c. promulgantes dixerunt. *Visum est Spiritui S. & nobis* nihil ultra imponere vobis oneris &c. Oportet inquam huiusmodi libros supposititios aliqua iusta & legitima Authoritate reijci ac repudiari, ad quam non

Priuate-repudiatio apocryphorum apud alios momentū nō habet.

A&C. 15.

sufficit priuata causarum cognitio propter quas reijciendi ac repudiandi sunt. Quid? In vestra nunc hæretica insula nulli libri aut puritanorum ( si de protestantium numero es tu ) aut protestantium ( si puritanus es tu ) multorum manibus teruntur, quos tu optimè scis, persuades saltem tibi scire te, quod prorsus reijciendi & meritò damnandi essent? Sed an hæc tua priuata scientia vt illi reijciantur ac repudientur efficiet? Nonne principis tuæ authoritas accedat oportet quæ etiam propter easdem causas illos reijciat atq; condemnet, ob quas tu illos reijciendos ac damnandos esse iudicas? Hoc igitur primum aio, istud tuum iudicium contra necessariam & in terris maximam Ecclesiæ authoritatem nihil concludere.

Judicium  
priuatum  
incertum  
& fallax  
est.

Secundò aio si tales nunc supposititij libri extarēt, non tã facile aut tibi aut cuius priuato hoc esse, vt quales illi libri sint deprehendat, quàm hoc Ecclesiæ facile & obuium est: quippe quæ vt tute ipse affirmas *maiolem & ampliolem copiam Spiritus sancti habeat quam priuatus quisquam:* & hanc sanè ob causam Ecclesiæ iudicium & authoritatem ad hos libros reijciēdos nobis per necessariam esse, vt eius certum atque infallibile iudicium sequuti, libros quosuis supposititios reicere ac repudiare possimus. Atque hæc de hoc argumento hætenus, cuius tu vt vix minimam partem attigisti, ita ijs quæ attingere ausus es, nihil quod ad rem pertinet respondisti.

---

**QVOD HÆRETICI**  
**ALIQVAM S. SCRIPTVRÆ PAR-**  
**TEM REPVDIAN TES AVT DE ALI-**  
 quo libro Canonico dubitantes, Ecclesiæ au-  
 thoritate & traditione refelluntur.

## CAPVT. VI.

*VWhitakerus.*

**QVINTVM** Stapletoni argumentum in 8. 1. 522.  
 cap. lib. 9. habetur: & est huiusmodi. Hæreti-  
 ci repudiantes aliquam partem scripturæ, aut de  
 aliquo libro Canonico dubitantes, Ecclesiæ autho-  
 ritate & traditione refelluntur. Ergo ad Ecclesiam  
 pertinet scripturæ Canonem consignare. Hic mul-  
 tus est in citandis Augustini testimonijs; sed nullo  
 suo commodo; quia causam nostram non infir-  
 mant; sed aliud probant: ac proinde omitti sanè  
 possent. Respondes igitur hoc argumentum non  
 sequi. Hæretici refelluntur Ecclesiæ autoritate: er-  
 go nullum est aliud firmitus argumentum quo scri-  
 pturæ Canon possit confirmari. \*Antiquū  
effugium.

*VWhitakerus.*

Æquum est vt quoties tu eandem nobis can-  
 tilenam occinis, & eadem mendacia repetis, eadem  
 in disputando peccata committis; toties ego tuæ te  
 vanitatis admoneam, mentiri te & in disputando  
 turpiter peccare doceam. Quod enim hætenus fre-  
 quenter fecisti hoc nunc iterum facis: Alienam mi-  
 hi conclusionem impingis, & id me dicere affirmas  
 quod in mea disputatione à me dictum nusquam  
 reperis. Dicis hoc loco meum argumentum non  
 sequi. *Hæretici refelluntur Ecclesiæ autoritate. Ergo nul-*

*lum est aliud firmitus argumentum quo scriptura Canon  
 possit confirmari : & paulò post addis, longe certissimum  
 argumentum est testimonium Sancti Spiritus. Atqui vbi  
 hanc illationem in meo vsquam libro legisti, aut  
 testimonium Sancti Spiritus à me remoueri vbi in-  
 uenisti? de quo ià in præcedentibus satis multa dixi-  
 mus. Quid ego ex illa antecedente propositione,  
 Hæretici repudiantes aliquam scripturae partem Ecclesie  
 auctoritate refelluntur, inferre voluerim, ex meis ver-  
 bis non ex tuo male sano cerebro colligere debui-  
 eri. Mea verba si proferre voluisses, talem à me in  
 sensu tuo conclusionem minimè affirmari facile  
 lector aduertisset. Sed id si fecisses, quod hoc in lo-  
 cò contra disputares, disputator ignaue, non habu-  
 isses. Ego igitur mea verba hic repetam, quæ tu pro-  
 ferre non es ausus. Sic ad verbum lib. & cap. à te ci-  
 tatis aio. Repudiantibus hæreticis aliquam diuina scri-  
 pturae partem, aut de libro aliquo Canonico controuersiana  
 mouentibus ex Ecclesie auctoritate & traditione refellun-  
 tur. Hoc sanè ab antiquissimis & doctissimis patribus facti-  
 tatum semper fuisse, pluribus exemplis ostendemus. Non fie-  
 ret autem nisi ipsorum librorum Canonicoꝝ determina-  
 tio & auctoritas quoad acceptationem nostram ab Ecclesie  
 iudicio vel maxime penderet. Facilis enim fuisset hæretico-  
 rum veterum exceptio. vt dicerent quod hodie nostri dicunt.  
 Quid mihi cum Ecclesie iudicio & auctoritate? Non habet  
 hic liber apud me arcanum spiritus testimonium. Stylus  
 Apostolum non refert. Maiestatem diuino Spiritu dignam  
 nequaquam præ se fert. Sed sancti patres nihil morantes hu-  
 iusmodi exceptiones merè cauillatorias ( quando quidem de  
 testimonio illo spiritus arcano, de stylo, de maiestate Deo di-  
 gna discernere, iudicare, & determinare, ad Ecclesiam per-  
 tinet ) non illa incerta & probabilia tantum argumenta,  
 quaque adhuc ex alijs probari debent, sed hoc vnum infalli-  
 bile, necessarium, supremum, & in hoc genere proprium me-  
 dium,*

*quod est Ecclesie iudiciū attulerūt; contra quod exceptio nulla superest. Hęc ego eo in loco. Ex illa solēni & vītātissima hereticorū refutatione, ab Ecclesie auctoritate & iudicio, infero Ecclesie iudiciū in hac causa argumentū & medium esse, infallibile, necessariū, supremum & in hoc genere proprium. Non aduertisti bone vir, quod Ecclesie iudicium, supremum quidem ac proprium, sed in hoc genere esse affirmo? Aut non intellexisti professor egregie cur in hoc genere addiderim? Saltem non didicisti ex præcedenti disputatione nostra, me Ecclesie iudicium in genere causæ externę supremum & maximum medium vocare? Nonne meminisse debueras in 1. cap. libri à te impugnati me disertè scripsisse? Agitur hic de ordinaria, publica, & externa scripture certitudine Rursum cap. 3. seq. Nec cum Ecclesie testimonium aut iudicium predicamus, Dei Spiritum vel ab Ecclesia docente, vel à nobis audientibus excludimus ( vt vel stultissimè de nobis imaginantur, vel vafre & sceleratè cogitare se fingunt Protestantes) sed vt vobis disertè includimus. Hunc enim Spiritum Dei & cum Ecclesia inseparabiliter coniungi, in his que sunt fidei tradendis, suprà docuimus, & singulis quoque adesse vt docenti Ecclesie credant ostendimus. Hęc eo in loco ego. Ex his meis verbis hoc ipso in libro quem impugnas, præmissis, & ex præcedenti in alijs eiusdem operis libris disputatione ad quam hic Lectorem remitto, intelligere debuisti Ecclesie auctoritatem in tota reliqua disputatione mea, sic maximā & supremam à me poni, nec vt simpliciter suprema sed in genere causæ externę, nec vt nullum sit aliud ad dubia fidei cognoscenda argumentum, nec vt Spiritus sancti testimonium vel excludatur vel remoueatur. Sic tu tamen perpetuò disputas ac respondes ac si Ecclesie iudicium & testimonium tuū solum atque vnicum, tam simpliciter supremum*

& maximum ego affirmauerim. Loca igitur in hoc capite ex S. Augustino à me copiosè prolata, maximo causæ nostræ commodo producta fuisse, tuamque ac tuorum causam (qui Ecclesiæ auctoritatem in genere causæ externæ firmissimam pernegatis) ex illis non infirmari modo, sed & penitus subuerti, ex primis istis responsionis tuæ verbis ad oculum demonstratur: qui loca à me citata omnia probas & (vt paulo post dicis) *verissima esse fateris*, ideoque Ecclesiæ auctoritate hæreticos optimè refelli agnoscis; sed hoc vnum per fugium miserè quæris, quòd non sola Ecclesiæ auctoritate scripturæ Canò confirmetur: quum nobis & veritati satis sit, quòd Ecclesiæ auctoritas vnum in hac causa argumentum sit firmum ac validum: imo in genere testimonij ac iudicij externi planè firmissimum, donec tu aliud eo firmitus in eodem genere monstraueris. Videamus tamen quàm dexterè conclusionem à te ipso confictam refellas.

2. Sect.

*VWhitakerus.*

Perinde enim est, ac si ita disputaret: homines *ἀθεοί* qui Deum esse negant, Ecclesiæ auctoritate refelluntur, quæ semper confessa est vnum esse Deum omnium conditorem; ergo nullum est aliud argumentum quo vel nobis vel alijs persuaderi possit esse Deum, nulla certior ratio qua vel illi refutentur, vel nos in veritate confirmemur. Imo ipsæ creaturæ clamant esse Deum, nempe cælum & terra, vt ait propheta, *Cœli enarrant gloriam Dei, & opus manuum eius indicat expansum eorum.* \* Hoc certius est argumentum ad *ἀθεοὺς* redarguendos & conuincendos quàm Ecclesiæ testimonium. Sed longè certissimum est argumentum testimonium Spiritus, quod nisi accesserit, frustra alia omnia argumenta adhibentur. Apparet ergo hanc esse manifestam fallaciã conse-

\* Assertio  
stolidissima.

consequentis \*dū isto modo aduersarius disputat. \*Mendacium quia isto modo nō disputat.  
 Hoc est argumentum, ergo hoc est solum argumentum, vel nullum est præterea aliud argumentum. Quæ ratio quam malè sequatur ex simili ratione facile patebit. Philosophi enim suis argumentis refelli possunt, vt nostram religionem \*veram esse fateantur. Num ergo nulla sunt præterea argumenta, quibus refelli possunt, præter philosophica nequaquam. \*Ignorāter dictū.

*Stapletonus.*

Totam hanc disputationem tuam nihil esse ad rhombum, nihil contra me facere (qui conclusionem, quam tu impugnās, meam non esse in præcedenti sectione satis ostendi) iam satis Lector aduertit. Nusquam ego isto modo disputavi, *hoc est argumentum, ergo hoc est solum argumentum*, & cætera quæ in tuis verbis sequuntur. Non est hæc disputationis mea, sed est hoc mendacium tuum. Non ego sic disputavi, sed tu sic turpiter mentiri voluisti. Mea verba ad hanc rē quod attinet, in præcedenti sectione repetij. Ex illis tua fœda mētiendi libido, & turpis ignavia, perspicuè conuincitur.

Vide tamen præterea Doctor indocte & professor ignare, quàm ineptè & stolidè disputasti. Ais ad *idæos* conuincendos, quòd vnus est Deus omnium conditor, certius esse argumentum creaturas ipsas quàm Ecclesiæ testimonium. Quis hoc nisi totius rei theologicæ ignarus diceret? Nam de illa hic persuasione necessariò loqueris quæ aut scientiam gignat, aut fidem de vno Deo rerum omnium conditore. Si de illa persuasione quæ scientiam gignat, quid hic facit Ecclesiæ testimonium? An Ecclesiam suam Deus in mundum mittit, vt philosophos faceret & naturales ac morales scientias doceret? an potius vt fideles faceret & ad ea quæ sunt fidei homines induceret, iuxta illud

Ecclesiæ testimonium nō generat scientiam.

Rom. 10. **Pauli.** *Quomodo credent, quæ non audierunt? quomodo audient sine predicante, quomodo predicabunt nisi mittantur?* Athei igitur si per Ecclesiæ testimonium redarguuntur & conuincuntur, ad credendum persuadentur, non ad scientiam animis ingenerandam. **Quòd** si verò de illa persuasione hic loqueris quæ fidem generat, quid hic facit creaturarum consideratio? An oblituses philosophos *per visibilia huius mundi Deum cognouisse*, sed absque fide, vnde & *Deum non glorificauerunt?* Deinde an ignoras quæ naturaliter cognosci possunt, vt Deum esse conditorem omnium, aliquando tamen propter infirmos à Deo per Ecclesiæ ministerium reuelari, & tunc ex fide ea credi, non sciri? An non hoc ipsum, Deum esse creatorem cœli & terræ, etsi naturaliter cognosci potuit, in symbolo tamen fidei nostræ ponitur, & ab Ecclesia prædicatur, sicut cætera quæ creduntur? An hoc symboli testimonio quod ab Ecclesia accepimus, certius argumentum esse dices creaturarum considerationem, ad credendum quod vnus Deus est omnium conditor? Aut si Athei magis conuinci possint ex creaturarum consideratione, an ea ratione ad credendum eos certius conuinci dices, quàm Ecclesiæ testimonio? Ita sanè affirmas tu tanquam alter ipse *et c.*, qui Ecclesiæ testimonium ita satagis infirmare, vt quodlibet à creaturis sumptum argumentum ei anteponas. Sed audacem te fecit rerum theologiarum ignorantia.

Religionis Christianæ veritas non probatur argumentis philosophicis.

Eiusdem farine est & alterum exemplum quod adfers de argumentis philosophicis quibus nostram religionem veram esse, philosophos persuaderi posse affirmas. Argumentis sanè philosophicis refelli philosophi possunt, vt nostra religio non esse improbabilis ostendatur, & quod nullum religionis

gionis nostræ dogma rationi repugnet aut aduer-  
letur; sed argumentis philosophicis veram esse re-  
ligionem nostram probari posse nemo Theologus  
dixerit. Nostræ religionis veritas ex maxima sui par-  
te reuelatione diuina nititur, & nullis humanis ar-  
gumentis comprobari potest. Et quamuis superna-  
turalia aliquando à sapientibus naturali scientia  
cognoscuntur, tamen nec omnia supernaturalia  
sic cognosci possunt, & quæ sic cognoscuntur non  
iam fide comprehenduntur, sed à fide præsuppo-  
nuntur, nec creduntur, sed sciuntur. Vt autem cre-  
dantur, seu quæ naturaliter sciri possunt, seu pro-  
priè supernaturalia, adeo non sunt argumenta phi-  
losophica Ecclesiæ testimonio certiora, vt talia ar-  
gumenta nullum hic locum habeant: sed in hoc  
genere vnius Ecclesiæ testificantis testimonium  
maximam vim habeat. Tu es magister in Israel, &  
hæc ignoras?

S. Tho. 2.  
2. q. 1. ar-  
sicul. 5.

*VWhitakerus.*

Vt ergo paulò fusiùs respondeamus, sic statui-  
mus, vfos quidem fuisse hoc argumento Patres, &  
nos etiam vti posse contra hæreticos, quia cum spi-  
ritu a sancto hæretici careant, & scripturæ phrasin  
ac sententiam ignorent, <sup>a</sup> magis certè hominum  
authoritate & testimonio, quàm Dei & scripturæ  
commouentur. Multum enim hominum testimo-  
nio tribuunt: aded vt non alio ferè quidem externo  
argumento fortiùs ac validiùs premi possint. Hæc  
enim ratio apud omnes vel <sup>c</sup> pessimos homines ma-  
ximi momenti & ponderis fuit. Ecclesia semper iu-  
dicauit hos libros Canonicos esse; ergo tu non de-  
bes eos reijcere, vel de illis dubitare. Sanè impu-  
dentem esse oportet, qui hoc argumento non mo-  
neatur. Sed aliud est <sup>d</sup> cogere homines, vt agno-  
scant scripturas; aliud verò efficere vt de earum ve-

3. Sect.

a Ratio  
absurdif-  
sima.  
b Coclusio  
falsissima.

c Seipsum  
& sodales  
suos con-  
demnat.

d Ridicu-  
lum.

ritate persuadeantur Cogi quidem fortasse possunt hæretici non Ecclesiæ tantum auctoritate ac testimonio, verum etiam scripturæ phrasi, & summa consensione veteris nouique Testamenti, quæ duo non minùs valent, quàm Ecclesiæ testimonium, vt hos libros Canonicos esse fateantur. At verò vt hoc animis nostris penitus persuasum sit, e non ista aut alia aliqua huiusmodi argumenta efficere possunt, sed vox sola Spiritus sancti intus in corde nostro loquentis. Sicut enim homo omnis cogi potest argumentis multis à natura desumptis, vt Deum esse fateatur, nec tamen erit interim ante in sua conscientia ea de re persuasus, quàm Spiritus S. hanc ei fidem persuasionemque iniecerit; f sic Ecclesiæ quidem auctoritate cogi possamus, vt Canonicam scripturam agnoscamus; at verò vt in illa tanquam firma quadam ac solida veritate acquiescamus, nunquam adduci possumus, priusquam internum Spiritus sancti testimonium accesserit. Et hoc argumentum g non alijs, sed nobis persuadet; nec contra alios, sed contra nos ipsos valet. Non ergo alios conamur arcano Spiritus testimonio refellere, cum proprium & priuatum & internum sit; sed communibus argumentis sumptis ex libris ipsis, atque ex Ecclesiæ iudicio, quæ sunt eiusmodi, vt quemuis non perditum permoueant, nec reclamare sinant. Sed nobis minimè sufficit, constringi ac h cogi iudicium nostrum. Mentem totam ad assentiendum Spiritus S. excitare debet.

*Stapletonus.*

Huius tuæ responsionis, in qua paulò fusiùs (vt ais) respondes, si singula vitia & absurda aperire velim, tu quoque à me paulò fusiùs refutandus es. Sed agam quàm potero breuissimè. Primùm ais hæreticos magis hominum auctoritate & testimonio commoueri,

e Falsum  
& impiu.

f Absurdū  
quia si-  
mile non  
est.

g Sui ipsi-  
us mani-  
festa refuta-  
tio.

h Ineptè:  
quia vox  
Ecclesiæ  
iudicium  
nō cogit.

commoueri, quàm Dei aut scripturæ: quia Spiritu sancto carent & scripturæ phrasim ignorant. Sed absurda est sententia quam profers, & ratio quam subiungis adhuc magis absurda est. Sententiæ absurditatem perpetua veterum & nouorum hæreticorum praxis demonstrat. De veteribus sic pronunciat Augustinus in hæreticorum pugnis exercitatissimus. *Conantur hæretici auctoritatem stabilissimam fundatissimæ Ecclesiæ quasi rationis nomine & pollicitatione superare. Omnium enim hæreticorum quasi regularis ista temeritas est.* Hæc ille. Hominum auctoritas & testimonium de quo tu hic loqueris, Ecclesiæ testimonium est. Hanc auctoritatem ab hæreticis contemni, & hanc omnium hæreticorum regularem esse ait temeritatem, ut rationis nomine potius seducere, quàm Ecclesiæ auctoritatem audire malint. Et rationem huius rei firmissimam subiungit Augustinus. *Coguntur hoc facere hæretici, quia iacere se abiectissimè sentiunt, si eorum auctoritas cum auctoritate Catholica conferatur.* Hæc ille. Vides quàm disertè, quàm fortiter tibi contradicit Augustinus hæreticorum antagonista fortissimus, celeberrimus, & felicissimus. Et quis nisi totius antiquitatis ignarus, hoc potuit ignorare? Nonne omnes veteres hæretici hominum, id est, Ecclesiæ (ut tecum tantisper loquar) auctoritatem modis omnibus subterfugerunt? Nonne ad solas scripturas perpetuò appellabant? Nonne ratione & argumento rem decerni postulabant, prætermissa Ecclesiæ auctoritate? Et quot hic exempla proferri possent, ut tuam Doctor indocte crassam ignorantiam conuincam? Aliqua proferam quæ nunc occurrunt. Quia Iulianus Superbus iuuenis hominum testimonia spernebat, quorundam testimonijs prolatis respondet ei Augustinus. *Isti Episcopi sunt*

Ecclesiæ auctoritate hæretici commoueri non solēt.

Epist. 56.

Veterum hæreticorum exempla.

Co. 1. l.  
lib. 2.

*sunt docti, graues, sancti, in quibus inuenire non potes quod spernas.* Quia Eunomius ne hominum contra illum sententiæ proferrentur deprecabatur enixè, respondet illi Basilus. *Nullam ergo rationem dignitatis eorum faciemus, qui omni spiritali gratia claruerunt?*

Lib. 1.  
cont.  
Eunom.

Quia Ariani nullorum hominum pro se testimonia proferre potuerunt, sic eos Athanasius alloquitur. *Ecce nos demonstrauiimus istiusmodi sententiam à Patribus ad Patres quasi per manus traditam esse. Vos autem noui Iudæi & discipuli Caiphæ, quos verborum vestrorum patres ac maiores demonstrabit.* Quia Valentiniani & cæteri hæretici Ecclesiæ, id est, hominum,

In libello  
pro de-  
cretis Nic.  
Syn.

vt tu hic loqueris testimonium respuebant, sic de illis scribit Irenæus. *Qui relinquunt præconium Ecclesiæ imperitiam sanctorum presbyterorum arguunt. Tales sunt omnes hæretici, & qui se plus aliquid præter veritatem inuenire putant.* Sed quid in veterum hæreticorum exemplis commemorandis laboro? Aut quid rem manifestissimam probare contendo? Nonne omnes hæretici ad solas scripturas confugiunt, & Ecclesiæ testimonium atque iudicium perpetuò repudiant? Omnes hæreticos ad scripturas confugere & non nisi ex scripturis malè intellectis hæreses suas defendere, in hoc opere quod impugnas, multis exemplis commonstrauit. Ad eum te locum refero.

Lib. 5.

Lib. 10.  
cap. 1.

2.

Sed vero perpulchrè hic probare voluisti: *Quia (inquis) Spiritu sancto carent hæretici & scripturæ phrasim ignorant.* Quid ergo? Ecclesiam non audit nisi qui Spiritu sancto caret? Scripturæ autoritate nõ commouetur, nisi qui scripturæ phrasés & sententias nouit? Quæ tu nobis verborum portenta, quæ paradoxa fundis Doctor indocte? An non potius vel maximè Spiritum sanctum habet, qui Ecclesiam audit; & qui Ecclesiam non audit, an non ille

Ecclesia  
nõ audit,  
nisi quæ  
Spiritu S.  
habet.

ille maximè Spiritu S. carere censendus est. An non Christi illa vox apertissima est? *Qui Ecclesiam non audit sit tibi quasi ethnicus & publicanus.* Tu iam non ineptè modo sed & impiè affirmas. Qui Ecclesiam audit, ethnicus est. Sic enim ais. *Hæretici quia Spiritu S. carent Ecclesiæ auctoritate mouentur.* Hoc est, hæretici quia quau ethnicus sunt (quid enim magis ethnico simile quam Spiritu S. carere?) ideo Ecclesiam audiunt, eiusque auctoritate mouentur. Hæc est tua theologia professor asinine.

Itane verò? quia Spiritu S. carent hæretici, ideo Ecclesiam audiunt? Age ergo: futilitatis & mendacij D. Ioannem Apostolum argue, cuius hæc sunt verba tuis plane contradictoria. *Qui nouit Deum, audit nos. Qui non nouit Deum, non audit nos. In hoc cognoscimus Spiritum veritatis & Spiritum erroris.* Dicit ergo. Qui nos homines & Ecclesiæ magistros audit, Deum nouit, & spiritum veritatis habet. Tu contradicis. Qui hominum testimonium audit, Spiritu S. caret, id est, Deum non nouit & spiritum veritatis non habet, Quomodo enim Deum nouit qui Spiritu S. caret? Aut quomodo spiritum veritatis habet qui Spiritum Sanctum (qui est ipsemet spiritus veritatis) non habet? An vlla potest esse magis clara & perspicua contradictio, quam eorum quæ tu affirmas, & quæ sanctus ille Apostolus affirmauit?

1. Ioan. 4.  
Ecclesiam  
audire, ar-  
gumētū  
est præ-  
sentia Spi-  
ritus. S.

Deinde quum Christus Ecclesiæ suæ dicat, *Qui vos audit me audit*, Christum quoque qui audit Whitakere, an idcirco audit, quia Spiritu sancto caret? Planè hoc tibi necessariò dicendum, si quod semel stultissimè dixisti, dicere pergas; *hæretici quia Spiritu sancto carent, Ecclesiæ testimonio magis mouentur quam scriptura.* Quum enim qui Ecclesiæ testimonio nouetur, & qui Ecclesiam audit, Christi testi-

Lac. 20.

monio

monio monetur & Christum audit; profectò si is qui Ecclesiam audit Spiritu sancto caret, ille quoque qui Christum audit, Spiritu S. carebit. Sed nullus esset finis tuas absurditates prosequendi si quæ facile dici possent omnia dicere vellem.

3.  
Hæretici  
Scripturas  
ignorâtes,  
solas tamẽ  
illas audi-  
re volunt.

Pari iudicio & ingenio addis, hæreticos quia scriptura phrasim & sententiam ignorant magis hominum testimonio commoueri quam scripturæ. Cuius dementissimæ tuæ sententiæ absurditatem vno verbo sic demonstro. Omnes ad vnum hæretici scripturæ phrasas & sententias ignorant: alioqui in scripturarû sententia nõ errarent, nec hæretici sed orthodoxi essent. Et tamen omnes hæretici ad scripturas appellant, & scripturarum verba in ore perpetuò habent, vt loco iam citato à me ostensum est. Non igitur scripturarum doctrinam repudiant, quia eas ignorant. Vnum exemplum ex ipso Euangelio proferam. Dixit Christus Sadducæis. *Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei* nempe quia phrasim & sententiam scripturarum de quibus Christum rogabant, ignorabant. Iidem tamen Sadducæi ad eò scripturæ testimonia non repudiabant, vt e contra (teste Iosepho) solas scripturas legerent & legendas esse asseuerarent contra phariseorum *diuturnas & non scriptas traditiones.*

Matt. 22.

Antiq.  
lib. 13. c.  
28.

Sed ad alia huius tuæ responsionis absurda absurdissima pergamus. Ais, *impudentẽ esse oportet hominem qui hoc argumento non moueatur, Ecclesia semper iudicauit hos esse libros Canonicos: ergò tu non debes rejicere, vel de illis dubitare: nec alio fere externo argumento fortius ac validius premi posse hæreticos.* Denique hac (inquis) ratio apud omnes vel pessimos homines maximi momenti ac ponderis fuit. Hæc tua verba non quidem in se absurda, sed verissima sunt: à te tamen absurdè dicuntur, quia & tibi ipsi tuisque disertissimis  
verbis

verbis in hac tua disputatione prolatis manifestè contradicis (vt suprà lectori ad oculum demonstrauimus, ideoque hoc loco non repetimus) & sodales tuos omnes, ipsos certe Patriarchas tuos lutherum atque Caluinum impudentiæ cōnuincis, & pessimos homines esse demonstras. Si enim impudentem esse hominem oportet, qui hoc argumento ab Ecclesiæ authoritate petito non moueatur, impudentissimus fuit lutherus, qui in libro de seruo arbitrio, omniū patrum testimonia pro libero arbitrio audacissimè reijcit, affirmans eos omnes vel ex infirmitate carnis lapsos fuisse, vel alieno animo scripsisse, & aliter sensisse quam scripserunt, vel ad finem vitæ respicisse, vel denique sub illis seruasse sibi Deum Ecclesiam, licet illi vera Ecclesia nō essent: qui denique in fine eiusdem libri sic concludit. Ego in hoc libro non contuli sed asserui & assero. & penes nullum volo esse iudicium, sed omnibus suadeo vt præsent obsequium. Tuus vero Caluinus adhuc impudentius loquitur, Nulla (inquit) Cōciliorum, pastorum, Episcoporum nomina nos impedire debent, quò minus omnes omnium spiritus ad diuini verbi regulam exigamus, & verbo Domini examinemus, ac probeamus num ex Deo sint An hoc Caluino, tuo VWhitakeri iudicio, quicquam impudentius esse potest, qui totius Ecclesiæ iudicio nihil prorsus mouetur, sed quicquid est in Ecclesia authoritate præditū, Concilia, Pastores, Episcopos ad suum examē reuocat? Deinde quod dicis de Ecclesiæ authoritate, quod apud omnes vel pessimos homines maximi ponderis ac momenti fuit, tuum Caluinum hominem pessimum esse (sanè quo peiorem ac nequiorē hęc ætas non tulit) bonus Calvinista pronunciaſti. Ille enim homo pessimus in sua institutione, Ecclesiæ totius authoritatem, consensum, testimonium, circa orationes pro defunctis lib. 3. cap. 5. circa pænitentiam & N. 10.

Suprà  
cap. 5.  
sect. 5.  
Lutherus  
& Calui-  
nus ho-  
mines pes-  
simi & im-  
pudentes,  
VWhita-  
keri iudi-  
cio.

Lutheri  
verba

Inst. lib. 4.  
cap. 9. N.  
12. & 9.

fatis

N. 10.

N. 31.

N. 36. &amp;

41.

N. 11.

satisfactiones eodem libro cap. 4. circa venerab. Eucharistiæ reservationē lib. 4. cap. 17. circa quosdam baptismi ritus, eodem lib. ac cap. num. 43. denique circa totam Liturgiæ Catholicæ actionem, lib. eodem cap. 18. nullius planè ponderis ac momenti fecit, sed procacissimè reiecit. Tu nunc tamen vt aliquid nostro argumēto respondiſſe videaris oblitus Caluini tui, oblitus Lutheri, tui quoque ipsius oblitus, sanctè videlicet & religiosè de Ecclesiæ authoritate loqueris; *impudentes esse oportere qui ea non moueantur, & hanc rationem apud omnes vel pessimos homines maximi momenti ac ponderis esse.* Ad has temerarias & angustias adegit, hanc à te reluētante conscientia cōfessionem extorsit, argumentum hoc nostrum in quo tot clarissima D. Augustini testimonia produxi, quibus ab Ecclesiæ authoritate hæreticos de S. Scriptura altercātes tanquam argumento celebri & firmissimo, doctor ille celeberrimus & eruditissimus refutauit.

Sed quid? An hic absurditatum tuarum in hac vna responsione finis? Vnā sanè esset. Tædet enim me certè tuis ineptijs commonstrandis tam diu immorari. Sed quia tibi in hac tua disputatione plurimum placuisti, nihil dissimulandum cēseo. Distinguis effectum testimonij Ecclesiastici ab interno diuini spiritus testimonio, quod illo *quidem cogi hæretici possunt non verò penitus persuaderi*, quod proprium esse ais diuini spiritus testimonio intus in corde loquentis. Explicas paulò post nonnihil hanc tuam distinctionem, *Ecclesiæ iudicium constringit ac cogit iudicium nostrum ita vt quemuis non perditum permoueat nec reclamare sinat.* In hac tua distinctione dupliciter peccasti. Primum quod Ecclesiæ iudicium externum sic ab interno Spiritus sancti testimonio separasti & diuulsiſti, quasi qui Ecclesiæ testimonio acqui-

acquiesceret, testimonio merè humano moueretur, unde superius *hominam auctoritatem, & testimonium*, Ecclesie auctoritatem ac testimoniũ vocasti, quasque Ecclesie testimonium ac iudiciũ à Spiritu sancto non esset, quasi deniq; cũ Ecclesia loquente ac testificante Deus in audientium mentibus non cooperaretur: quæ sanè tria falsissima esse & non nisi ab ignavis hæreticis affirmari, copiosè docuimus; duo quidem priora in 8. huius operis quod tu Cap. 16. & seqq. impugnas libro, vbi Ecclesie iudiciũ circa materia fidei non humanum sed diuinum suo modo esse, nec errori obnoxium sed infallibile, tertium in hac defensione nostra semel atque iterum. Quæ si tu intellexisses doctor indocte, Ecclesie testimonium, hominum esse testimonium & à Spiritu sancto ita esse seiunctum vt persuadendi vim non habeat, nunquam dixisses. Secundò peccasti & adhuc turpius, quod Ecclesie testimonio & auctoritate homines *non persuaderi sed cogi* scripsisti, imò in hoc secundo bis iterum peccasti. Nam & non persuaderi homines Ecclesie auctoritate falsum est, & cogi homines eadem auctoritate absurdum ac ridiculum est. Si Ecclesie auctoritate homines non persuadentur, quomodo *fides est ex auditu*, ex auditu inquam prædicantis Ecclesie? Ecclesie auctoritate homines persuadentur. Quomodo enim *audient sine predicante?* Rom. 10. Si Ecclesie docentis auctoritas non persuadet, neque Christi docentis persuadabit. *Qui enim vos audit me audit*, ait Christus Ecclesie Luc. 10. 4 suæ & rursus patri suo de Ecclesia. *Sicut tu me misisti in mundum ita & ego nisi eos in mundum.* Ioan. 17. An verò non misit Ecclesie magistros in mundum Christus quum Apostolis suis ad eorum perpetuò successores dixit, *Euntes in mundum vniuersum predicate Euangelium omni creature?* & paulò post. *Qui non crediderit s. vobis prædicantibus condemnabitur.* Marc. 16.

*bitur.* Quid? qui non credit Ecclesie condemnatur & qui ei credit non persuadetur? A Deo, inquit, condemnatur qui Ecclesie non credit, non ab ipsa Ecclesia. Sic a Deo intus persuadetur qui Ecclesie credit non ab ipsa Ecclesia. A Deo sane condemnatur eo damnationis genere de quo hic Christus loquitur, non ab Ecclesia; Sed ideo condemnatur quia Ecclesie non credidit. Sic & credens Ecclesie a Deo saluatur non ab Ecclesia; sed ideo saluatur, hoc est, vna causa saluationis est, quia credidit Ecclesie. Si igitur non credere Ecclesie damnationis causa est, & credere Ecclesie salutis vna causa est, certissimum est sicuti ideo iuste incredulus condemnatur quia ab Ecclesia sese persuaderi & conuerti non est passus, ita merito saluatur qui ab Ecclesie eiusque testimonio persuaderi voluit. An non sicut Christus *ad hoc in mundum venit vt testimonium perhiberet veritati*, sic suos in mundum misit vt testes illi essent *in Iudea & Samaria & vsque ad vltimum terrae?* Iam quum Christus predicaret Iudaeis omnem veritatem, an in eum credentibus ille non persuasit? Christus (inquies) Deus erat, ideoque etiam intus in corde loquebatur; non sic Ecclesia. Atqui Christus non vt Deus sed vt homo predicabat, & vt homo testimonium veritati perhibuit, *Ad hoc enim natus erat & ad hoc in mundum venit.* Sed quemadmodum Christo predicante qui credebant, tum Christi testimonio externo tum diuini spiritus interno moti & persuasi credebant; qui autem non credebant, tum externum Christi testimonium, tum etiam internam diuini spiritus inspirationem abiciebant: ideoque peccato illo magno infidelitatis positivae peccabant, de quo Christus Iudaeis dixit, *Si non venissem, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent, &c.* sic omnino Ecclesia predicante & aliquam veri-

Obiectio-  
nis remo-  
tio.

Ioan. 18.

Act. 1.

Obiectio-  
nis remo-  
tio.

Pradic-  
tionis  
Christi &  
Ecclesie  
cōparatio.

Ioan. 15.

veri-

Veritatem iustificante qui credit, tum Ecclesiæ testimonio externo vt testis legitimi atque à Deo missi, tum interno diuini spiritus testimonio quod ei cooperatur motus ac persuasus credit: qui autem non credit, tum externum Ecclesiæ testimonium tum etiam internam diuini spiritus persuasionem abijcit, & illo magno infidelitatis peccato peccat, ad cuius grauitatem exprimendam dixit Christus.

*Quicumque non recepit vos nec audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris. Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gommorheorum in die iudicij quàm ciuitati illi.* Matth. 10.

Deinde te rogo VWhitakere, in humanis contractibus & iudicijs testimonium legitimam omnique exceptione maius, an fidem non facit, an non persuadet? Explodendus eris si negaueris. Atqui quemadmodum hoc testimonium externum fidem quidem facit & persuadendi vim iustam habet, nec tamen absque voluntatis eius consensu qui testimonium audit persuadere potest, & ita interdum homines propter improbam voluntatem pertinaces sunt vt vel mille testibus non credant; hæc autem voluntas ab intellectu & ratione dirigitur vt testimonio acquiescat seque persuaderi sinat; eodem plane modo testimonium Ecclesiæ externum à Deo ordinatum & omni exceptione maius, & quod nisi pessimus quisque (reipso suffragante) repudiare volet, fidem sane iustam facit veritati cui attestatur, & persuadendi vim habet maximam, nec tamen absque audientium consensu quem interna diuini spiritus persuasio (quia actus credendi actus supernaturalis est) operatur persuadere potest. Denique vt tuam inscitiam docendi finem faciam, sicuti innaturalibus nec semen nec planta crescit vtcunque terram mandata & opere hu-

Testimonium legitimum in humanis persuadet.

Similia ex naturalibus.

mano exulta nisi de super à Deo pluuia cadat, & tempestiuus calor adsit, verū nihilominus est quod terra segetes & arbores producit, quia etsi causa secundaria, vna tamen causa est & cū Deo ac natura concurrens; sic omnino in supernaturali hac fide nostra generanda homo non credit nec ad credendum inducitur aut persuadetur vteunque Ecclesiam audiatur nisi à Spiritu S. intus doceatur, verum tamen est quod Ecclesie testimonio credit eoque persuadetur, quia etsi causa sit secundaria & ministerialis, vna tamen causa est, & cum Deo ac diuino Spiritu concurrens, vt est in superioribus demonstratum. Et quemadmodum in suo genere terra producit plantas, in alio genere sol & nature concursus (vnde sicut illud axioma tritum est sol & homo generant hominem, sic axioma verum est, sol & terra generant plantam) sic Ecclesie testimonium in suo genere, videlicet in genere cause externæ idque ordinariæ & à Deo institutæ persuadet & generat fidem: in alio genere cause eandem persuadet & generat diuini spiritus in corde operatio. Falsum est igitur quod ignoranter dixisti, Ecclesie testimonium non persuadere. Solus quidem Dei spiritus intus docere ac persuadere potest, sine hominum externa prædicatione sicuti & Deus suo solo opere, arborē aut plantā de repente producere potest, sine terræ adminiculo (sic enim & arida virga Aaron flores ac nuges protulit) sed sicuti miraculū illud esset, sic instar miraculū est, à solo Dei spiritu absq; Ecclesie magisterio quēquā ad fidē perducī.

Num. 17.

7.  
Nemo ad  
credendum  
cogitur.

Quod verò affirmasti, *Ecclesie autoritate & testimonio homines cogi, nostrumque iudicium constringi & cogi*, prorsus ridiculū est & infalsē dictum: Primum quia consensus ad credendum necessarius omnino cogi non potest. Neque enim voluntas humana  
etsi

et si ad actum suum necessario eliciendum moueri à Deo potest, cogi tamen ne quidè à Deo potest. Non quia aliquid Deo est impossibile, sed quia voluntatem cogi manifesta contradictio est, quæ in Deum cadere non potest. Neque enim vult facere, qui aliquid coactus facit, sed quod facit, prorsus facere non vult. Deinde si cogi & constringi iudicium humanum Ecclesiæ autoritate & testimonio, idem hic esse dices, atque conuinci illud & ad consentiendum impelli, sicuti aperta aliqua & irrefragabili veritate cõuincitur intellectus, tamen & ineptè prorsus cogi iudicium dices pro eo quod conuinci diceres, & præterea falsissimum est Ecclesiæ testimonio intellectum conuinci, tum quia fidei dogmata quæ Ecclesia prædicat naturalem intellectum offendunt magis quam inducunt, tum quia Ecclesiæ prædicatio non ratione sed auctoritate nititur, nec argumētis aut persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed simplici asseueratione vtitur. Quod si Ecclesiæ testimonio intellectus cogeretur, profectò nihil absurdius ad fidem hominibus ingenerandam fieri potuisset, quàm quod Christus fecit quum Ecclesiam in mundum misit vt *doceret omnes gentes*. An credere dicetur cuius iudicium cogitur & intellectus conuincitur? An Ecclesiam Christus non misit, vt ea prædicante homines crederent? An postquam dixit, *euntes prædicate*, non adiecit, *qui crediderit saluabitur, qui non crediderit condemnabitur*? Si ergo Ecclesia prædicat & docet, vt homines credant, & cuius iudicium cogitur aut intellectus conuincitur, ille nihil minus quàm credit (quomodo enim fides virtus aliqua erit si coacta res est, si voluntaria non est?) tu quàm absurdus Theologus es, quàm Doctor indoctus, quàm professor ineptus, qui Ecclesiæ testimonio

Ecclesiæ  
testi. no-  
nium non  
conuincit  
intellecta

Matt. 28.

& auctoritate homines cogi, & hominum iudiciū constringi ac cogi affirmas? Sic scilicet paulò fu-  
fius nostro argumento respondisti. Sic multas  
ineptias & absurditates latis fusc & copiosè ef-  
fudisti.

Sed necdum ineptiarum tuarum finis est. Dicis,

8. *sicut homo cogi potest multis argumentis à natura desump-  
tis vt Deum esse fateatur, sic Ecclesia auctoritate cogi pos-  
sumus, vt Canonicam scripturam cognoscamus.* Doctor

Credere  
Deū esse  
& has esse  
Scripturas  
multam  
diuersa.

indocte, siccine obtulus & hebes es, vt luculentum  
discrimen ac dissimilitudinem manifestissimam  
inter hæc duo non videas, quæ tu tanquam om-  
nino similia coniungis? Deum esse, quia naturali-  
ter cognosci potest, (scilicet, vt authorem naturæ  
& omnium conditorem) ideo naturalibus argu-  
mentis persuaderi adeoque conuinci (quod tu co-  
gi dicis) humanus intellectus potest. Atqui Cano-  
nicam scripturam Dei verbum esse, naturaliter  
cognosci posse, nemo naturæ lumine & communi  
sensu præditus dixerit. Scripturam Canonicam si  
naturaliter cognosci posse dicere audeas, age pro-  
fer nobis aliqua argumenta naturalia, quibus id  
persuaderi queat. Age nega nunc quod toties an-  
tea dixisti, Scripturas Canonicas, quia Dei verbū  
sunt, non nisi à diuino Spiritu cognosci & per Dei  
Spiritum nobis innotescere posse. Age, doce quo-  
que ad interpretationem scripturarum naturali-  
bus argumentis perueniri, & solo humano inge-  
nio benè exculpto & perpolito sensum earum erui  
posse, nec diuini spiritus adminiculo hominibus  
ingeniosis ad eam rem opus esse. Si enim naturali-  
bus argumentis ipsa in se S. Scriptura cognosci  
potest, profectò ex eisdem exponi atque intelligi  
potest. Quod si verò Scripturam Canonicam na-  
turalibus argumentis cognosci posse, absurdissi-

imum

zum paradoxum est, agnosce similitudine quam protulisti, nihil absurdius proferri potuisse.

An adhuc vnum amplius in hac tua responsione absurdum desideras? Satisfaciam desiderio tuo; addis in fine, quod vnicum ferè in tota hac responsione tua verum dixisti; sed ita verum, vt tu tamen nunc absurdissimè (quia contra teipsum maximè) illud dixeris. Dicis. *Hoc argumentum ab*

*interno Spiritus sancti testimonio non alijs, sed nobis persuadet, nec contra alios, sed contra nos ipsos valet. Non ergo alios conamur arcano Spiritus testimonio refellere, cum proprium & priuatum & internum sit; sed communibus argumentis sumptis ex libris ipsis, atque ex Ecclesie iudicio.*

9.  
Spiritus S.  
arcanum  
testimo-  
nium non  
persuadet  
alijs.

Hæc tua tam aperta & clara confessio, magno mihi precio in hac disputatione tua emenda fuit. Nec tamen tibi sed ipsi veritati gratias agimus, vt enim ista pro causa nostra diceres, & tam apertis verbis diceres, veritas te torfit, non charitas inuitauit; quia & per hostium suorum ora veritas erumpit. Quid enim? an non hæc tua explicatio manifestè docet, totum hoc quod de arcano Spiritus testimonio, toties ac toties ingeminasti, ad præsentis controuersie statum nihil facere, nihil pertinere? An non controuersie statum sic ipsemet initio descripsisti? *Status controuersie est (inquis) vtrum credendum sit has scripturas quas habemus sacras ac Canonicas esse, tantummodo propter Ecclesie testimonium, an potius propter internam Spiritus sancti persuasionem, quæ facit vt quemadmodum scriptura est in se Canonica, atque authentica, sic nobis quoque videatur, & sine qua Ecclesie testimonium mutum atque inualidum est.* Sic tu eo loco controuersie statum posuisti, falsò id quidem & ineptè contra me quem impugnas, vt ibi demonstratum est, eo quod internam Spiritus sancti persuasionem ab externo Ecclesie testimonio separan-

Publica S.  
scriptura-  
rum certi-  
tudo in  
hac con-  
trouersia  
inquiretur

dam, aut huius testimonium absque illius testimonio interno persuadere aliquid posse, ego nunquam docui, sed totum contrarium studiosissime docui. Sed nunc vide. Quemadmodum nos Ecclesie externum testimonium ab interno diuini Spiritus testimonio nullo modo separari volumus, ut fides Catholica generetur, sic nec tu diuini Spiritus testimonium ab externo Ecclesie testimonio separare debes, ut eadem fides nobis persuadeatur. Nobis inquam de aliquo dogmate, verbi gratia, de aliquo Scripturae S. libro Canonico dubitantibus. Nam de scriptura Canonica *qua nobis talis videatur*, id est, quam publicè constet esse talem, in hac controuersia ac disputatione quaeri, tute ipse in statu controuersiae posuisti. Et ut non posuisses, per se tamen clarum & indubitatum hoc est. Quæritur hic enim de publica fide, authoritate, approbatione, & acceptione scripturarum; & de illa persuasionem quæ efficiat, ut istæ scripturae pro Canonicis ac diuinis ab omnibus fidelibus recipiantur & agnoscantur. Nunc autem tu disertissimis verbis fateris arcanum hoc diuini spiritus testimonium solum & per se hoc non efficere. Hoc (inquis) *argumentum ab interno Spiritus sancti testimonio, non alijs sed nobis persuadet, nec contra alios, sed contra nos ipsos valet.* In hac igitur controuersia hoc arcanum Spiritus sancti testimonium solum ac per se, atque ab Ecclesie testificantis authoritate se iunctum, nullum locum habet, nihil efficit.

Spiritus  
S. internū  
testimonium solum  
& per se  
ad hanc  
controuersiam non  
pertinet.

Quod si verò adhuc cauillari ac tergiuersari, & ut quoquo modo elucteris, contendere velis, te de alia scripturarum certitudine non disputare, quam de ea qua vnicuique priuato in particulari fides ac persuasio ingeneretur, ab hoc te laqueo adeo non extricabis, ut constrictus magis tenearis. Nam huiusmodi disputatio nec de controuersia hodie inter

Catholicos

Catholicos & hæreticos agitata circa scripturarum certitudinem aliquid agit, nec quæstionem à me quem impugnas defensionem vlllo modo attingit, nec denique ad fidem de scripturis Catholicam pertinet. Quæ tria breuiter ostendo.

Ad primum quod attinet lippis ac tonsoribus nota res est, omnes de religione hodie controuersias sic institui, vt quid publicè credendum ac tenendum sit, inquiratur, disputeretur, contendatur. Tota contentio est, non quid tu VVhitakerus aut ego Stapletonus credere debeamus, sed quid omnes qui Christiani Catholici censeari volunt credere debeant. Sicut ergo in alijs dogmatibus controuersis, verbi gratia, de merito honorum operum, sic ne aliquod tale meritum existimandum ac credendum nec ne, id vnum quæritur an ab omnibus pijs ac fidelibus tale meritum credendum aut repudiandum sit, sic in hac quæstione de certarum scripturarum authoritate, fide ac persuasione certa, id vnum quæritur, vnde illa authoritas fides ac persuasio certa petenda sit, quæ omnibus rectè credentibus omnem hac de re dubitationem auferat, firmumque & certum argumentum faciat. Si ergo de sola priuata cuiusque persuasionem circa materiam hic controuersam hæctenus disputasti, publicam hac de re controuersiam non attingisti.

Ad secundam quod attinet, in ipso 1. cap. huius libri 9. quem tu nunc impugnas, hæc sunt mea verba. *Agitur hic de ordinaria, publica & externa Canonica scriptura certitudine.* Si igitur tu nisi de priuata cuiusque certitudine disputas, contra me nihil disputas; & eum aduersarium disputator absurde impugnas, cuius mentem & intentionem ignorasti. Imo cuius nunc sententiam totam tenere te profiteris. Docere enim hoc toto libro quem impugnas volui, publi-

VWhita-  
kerus o-  
stendit se  
hactenus  
extra  
chorum  
saltasse.

cam Canonice scripturæ certitudinem ab Ecclesiæ testimonio & autoritate petendam esse. Nunc tu per omnia circumactus, ingenuè profiteris illud arcanum Spiritus testimonium, quod hactenus semper vt Ecclesiæ testimonium eluderet, in medium protulisti, ad rem præsentem nihil pertinere, ad publicum de dogmate controuerso iudicium, quo publice aliquid innotescat, quo alijs persuadeatur quod queritur, quo deniq; alij qui veritati resistunt refellantur, nihil planè facere, quia *proprium*, inquis, *priuatum & internum est*: ideoque vt alijs persuadeatur aliq; refellantur, *communibus opus esse argumentis, atque Ecclesiæ iudicio.*

Exceptio  
aduersarij  
perpetuo  
vana &  
frivola.

Perpetua igitur tua illa exceptio qua hactenus, quum aliter euadere non posses, vsus es, vt diceres nos hanc scripturam esse Canonice credere, *non tantum, nec solum propter Ecclesiæ testimonium, sed etiam potius multoq; magis propter arcanum diuini Spiritus testimonium, ex tua hac nunc responsione, exceptio frivola & impertinens fuisse ostenditur: idq; non solum propter tam multa, quæ hactenus suis locis diximus, verum etiam quia totum illud arcanum testimonium, priuatam quidem fidem facit, sed non publicam, & vt ipsi in particulari credamus efficit, sed vt alios ad fidem inducamus, aut alios quæ sunt fidei negantes refellamus, non efficit. Hoc enim nunc tute fateris & hoc confitendo ad nostra argumenta te per illam exceptionem nihil hactenus respondisse, tua nunc sponte bonus innocens profiteris. Nostra enim omnia argumenta de publica fide facienda semper disputasse, tum ipsa controuersiarum huiusmodi natura docere te potuit, tum nostra disertis verbis prælocutio docere te debuit.*

Sed nunc ad id quod tertio loco me ostensurum dixi,

dixi, venio. Dixi tertio hanc priuatam in particu-  
 ri fidem ac persuasionem, quam solum diuini Spi-  
 ritus testimonium generat & facit, ad fidem de scri-  
 pturis aut quocunque dogmate Catholicam non  
 pertinere. Nempe Catholica fides illa est, non quæ  
 alicui priuatim diuina reuelatio inspirauit, sed quæ  
 assentit illis articulis & dogmatibus quæ Ecclesiæ  
 Catholicæ nota sunt, & propter quam Christianus  
 Catholicus dici meretur & debet. Rursum Catho-  
 lica fides est, quæ vniuersaliter obligat & vniuersis  
 necessaria est, & quæ nisi quisq; integram inuiola-  
 tamque seruauerit, saluus esse non poterit. Deniq;  
 Catholica fides illa est, quæ non solum veritati ali-  
 cui supernaturali atque à Deo reuelatæ firmiter as-  
 sentitur, sed quæ illas veritates supernaturales atq;  
 à Deo reuelatas tenet, quas constat esse tales, quas  
 constat à Deo reuelatas. Quid enim? Si cuiquam  
 interna diuini Spiritus persuasio reuelaret, futurū  
 tali die & anno extremum iudicium mundi; ca-  
 sum, aut esse illum de numero prædestinatorum ad  
 vitam æternam, an hæc interna diuini Spiritus per-  
 suasio fidem in hoc homine Catholicam genera-  
 bit? An quod ille ex hac certa fide sic credet, ex fide  
 Catholica quasque dogma & articulum fidei Ca-  
 tholicæ credet? Id si ita esset, particulares huiusmo-  
 di reuelationes omnes qui Catholici esse volunt,  
 obligarent, & quasi articulus fidei credi ab omni-  
 bus deberent: quod neque reipsum etsi absurdissi-  
 mè de rebus Theologicis iudicantē, dicturum ali-  
 quando mihi persuadeo. Imo huiusmodi reuela-  
 tionum particulariū assensus, vt quibusdam Theo-  
 logis placet, non est fides infusa, scilicet ex habitu  
 fidei infuso quo iustificamur. Neque enim credibi-  
 le est veritatem aliquam ad salutem necessariam a-  
 licui in particulari reuelari, nisi vt toti Ecclesiæ in-  
 note sciat:

Spiritus S.  
 arcanum  
 testimo-  
 nium solū  
 fidem Ca-  
 tholicam  
 non ge-  
 nerat.

Catholica  
 fides quæ-

Dom.  
 Bannes  
 in 2. 2. D.  
 q. 1. art. 1.  
 dub. 2.

Ephes. 4.

notescat: quandoquidē fides qua saluamur, *vna fides est*, sicut vnus Deus & *baptisma vnū*. Sed quemadmodū actus aliquis supernaturalis alicui interdū cōfertur sine habitu & perpetua potentia eiusdē actus (sicuti Petro ambulare super aquas concessum fuit, & ante iustificationē impij aliquis actus fidei & charitas est per speciale auxiliū gratiæ, sine earum virtutū habitibus) sic sola interna persuasio diuini Spiritus aliquid reuelantis in particulari, actuale quoddā & momentaneū lumē est quo intellectus ad assentiendū inclinatur (quale fuit in prophetis circa visiones) sed habitus fidei infusus nō est, vel certē fides Catholica & fides ad salutē simpliciter necessaria nō est. Vt igitur aliquis ex fide infusa, ex habitu fidei iustificātis, ex fide Catholica aliquid credat, accedere debet & accedere Deus voluit Ecclesię testimonium idē publicē testificantis, & ad credendum proponētis. Sic enim demū ad fidem Catholicā & religionē Christianā ea pertinere intelligimus quæ diuinus spiritus reuelauit: qui idcirco non nisi per Ecclesię os & organū, ea quæ sunt fidei reuelari voluit, vt in precedentibus demonstratū est. Quod tu igitur hic demū disertē profiteris arcanū diuini spiritus testimonium non esse huiusmodi *quod alijs persuadeat, aut quod contra alios valeat*, pariter professus es huiusmodi testimonium solum & per se fidem Catholicā non facere aut generare: ideoq; ad fidē de scripturarū certitudine Catholicā (nisi Ecclesię accedat testimonium) aliquid non pertinet. Hæc sunt responsionis tuæ, in qua paulò fusior esse voluisti, absurda satis multa & magna: quæ vt tu fusius effudisti, ita ego paulò fusius ad tuam maiorem confusionem, aperire & refutare debui. Pergamus nunc tandem ad alia.

CVR PATRES ARGUMENTO AB ECCLESIAE AVTHORITATE PETITO TORIES VRANTUR.

CAPVT. VII.

*VWhitakerus.*

**E**TSI autem vtuntur sæpe hoc argumento patres, non tamen propterea tollunt alia argumenta, in quo vehementer errant Papistæ Stapletonus, & reliqui, quod nullum aliud argumentum nobis reliquant. i. Sect.

\* Mendacium sine fronte.

*Stapletonus.*

Disputator vanissime, quæ hic calumniando dicere voluisti, aliquo argumento probare debuisti. Si Patres alia argumenta non tollunt, quænam tandem sint illa, indicare te oportuit. Si nos tibi nullum aliud relinquimus argumentum, ego potissimum quem nominatim accusas, verba mea cur non profers; quibus vel nego aliud esse huius rei argumentum quam Ecclesiæ authoritatem, vel aio hoc solum argumentum hic locum habere? Imo magister mendax quare verba mea in hoc capite ac loco quem impugnas nõ aduertisti, vbi disertè pono alia argumenta; sed aio Patres hoc ab Ecclesiæ authoritate argumento potissimum uti, tanquam magis proprio, valido, ac firmo. Ipsa mea verba in principio huius capituli repetij. In illis posui hæc alia argumenta; testimonium spiritus arcanum, stylum scripturarum, maiestatem Deo dignam. Sed quia de istis Ecclesia discernit, iudicat, determinat, ideo

Argumenta alia præter Ecclesiæ authorit.

ideo Ecclesiae testimonium à patribus potius contra hæreticos profertur. Nunc tu quia mendax magister es, & posuisti mendacium spem tuam, maluisti aliquid mentiri, quàm tacere. Addis deinde.

*VWhitakerus.*

2. Sect.

\* Mendacium quia acculatio vera est.

Nos quidem hoc argumentum non tollimus quemadmodum illi \*calumniantur, sed bonum esse concedimus, eoque utrimur. At certiora quaedam ac firmiora esse contendimus.

*Stapletonus.*

Argumentum ab Ecclesiae autoritate sumptum, quomodo tu Whitakere, verbis interdum (ut & nunc quoque) te agnoscere & recipere profiteris, sed re ipsa nullo planè loco habes, ut incertum, atque inualidum despicias, ex hac nostra responsione multis in locis meminisse lector potest. Alia illa certiora & firmiora quæ prædicas argumenta, præter divini spiritus arcanum testimonium, quod nos in hac causa nunquam excludimus, sed perpetuo & disertissimè includimus, nulla adhuc protulisti, quæ non sint à nobis refutata.

Suprà lib. 1. cap. 4. 5. & 6. & lib. 2. cap. 5.

*VWhitakerus.*

3. Sect.

Non opus est ut ad singula illa testimonia quæ à Stapletono adducta sunt respondeamus, cum illa sanè omnia verissima esse fateamur.

*Stapletonus.*

Si non opus est ad ea respondere, si omnia quæ protuli verissima sunt, cur igitur adhuc respondes, cur eorum veritatem imminuere & labefactare cõtendis? Sed oportebat te hunc tuum pruritus scalpere, & libidini morem gerere. Nam si non aliquam nocuisses, mortuus esses. Aut aliquid forte egregium ac scitu dignum est, quod etiam non respondendo, tamen explicando tuis auditoribus dicere, omnibusque

hisque postea legendum in lucem dare voluisti. Id quate sit, videamus.

*VWhitakerus.*

Luculentissimum verò atque acerrimum, quod habet, testimonium ex Augustino desumptum est in lib. contra epist. fundamenti cap. 5. vbi Augustinus citaturus aliquid ex Actis Apostolorum (quem librum Manichæi respuebant, quia Act. 2. descendisse dicitur Spiritus S. in Apostolos, cuius afflatum illi ad se solos pertinere affirmabant) in hunc modum præfatur. *Necesse est credere huic libro, si credo Euāgelio, cum utramque Scripturam similiter mihi Catholica commendat authoritas.* Ergo (\* inquit Stapletonus) *Ob* Ecclesiæ tantum authoritatem libris Canonicis fidem adhibemus.

4. Sect.

\* Mendacium impudens.

*Stapletonus.*

Cur semper mentiri libet professor egregie? Cur ais, ergo inquit Stapletonus &c. quod Stapletonus nunquam dixit? Cur quod verbis Augustini citatis in loco quem tu nunc impugnas, Stapletonus subianxit, illud Stapletonum inferre ac dicere non retulisti? Cur eius verba non posuisti, quæ hæc erant? *Hæc ille contra epist. fundamenti cap. 5. disertè profertur & Euangelio & Actibus propter Ecclesiæ authoritatem, ilque necessario se credere.* Hæc est Stapletoni illatio & conclusio ex verbis Augustini ab eo citatis & à te hic repetitis. Cur aliam illi affingis conclusionem magister mendax, & magnus mendaciorum artifex? Augustinus in hæreticorum pugnis exercitatissimus quod sæpe in illis expertus fuerat, scripsit, frontem hæreticorum nullam esse. *Plane (inquit) possumus dicere hæreticorum frontem non esse frontem, si non membrum quod fecit Deus significare intelligamus frontis nomine, sed pudorem.* Ego hanc in te impudentissimam mentiendi consuetudinem sæpe quoque

Contra  
Iul. lib. 4.  
c. 3.

que expertus, planè possum dicere frontem tibi nullam esse, sed vt effrontem hæreticum, in meis referendis sententijs quis impugnare studeat, sine fronte, sine pudore, liberaliter mentiti.

*VWhitakerus.*

*5. Sect.* Respondeo vt antea sæpius, cogi nos quidem Ecclesiæ autoritate vt libros hos Canonicos esse credamus, sed non solo hoc argumento niti, quia alia multa firmiora suppetunt.

*Stapletonus.*

Et hanc tuam responsionem sæpius (vt ais) à te repetitam sæpius ego refutatam dedi, tam quod coactionem illam ridiculam per Ecclesiæ auctoritatem quam hoc ipso in capite semel à te memoratam, semel refutauimus, quam id quod ais, non solo hoc argumento nos niti, quod frequentius à te prolatum, frequentius à me reiectum & expugnatum est. Hic ergo vt nihil noui respondes, ita nihil noui replicamus.

*VWhitakerus.*

*6. Sect.* Hæretici quidem hoc vno argumento coguntur, atque hoc maxime contra pertinaces hæreticos urgendum est. \* At qui non sunt turbidi, non improbi, non pertinaces, sed probi ac veritatis studiosi multis alijs rationibus persuaderi possunt. Atque hoc quidem ex \* Augustino ipso probari potest in lib. de utilitate credendi cap. 3. vbi Augustinus alia quædam argumenta commemorat, cuiusmodi ista sunt: Primum *Ordo rerum*. Secundum *causa dictorum & factorum*: Tertium, summa veteris & noui Testamenti congruentia, vt *apex nullus relinquatur qui non consonet*. Hæc quidè argumenta magnam in se vim habent. At quia hæretici hæc minus attendunt aut curant, sunt illi quidem Ecclesiæ auctoritate urgendi.

\* Vana & falsa euasio.

\* Augustini verba Doctor in doctus nō intelligit.

*Staple-*

*Stapletonus.*

Censes tu igitur Ecclesiæ autoritatem contra hæreticos esse necessariam & vtilem: modestioribus autem ingenijs ac pijs alia proponi posse media quibus persuadeatur: & ex Augustino tria proferis. Ordinem rerum, causas dictorum & factorum, ac demum vtriusque testamenti congruentiam. Primum si contra hæreticos valet Ecclesiæ autoritas, habeo quod volo, & quod hoc capite quod impugnas institueram, obtinui. Cur igitur hoc caput impugnare voluisti, cuius totam intentionem & institutum ambabus ipse vnus amplecteris & probas: An alia fuit ratio quam pruritus ille quem dixi tuus, & indomita contradicendi libido.

Deinde quid tu censes de probis illis & veritatis studiosis quos turbidis & improbis opponis? An putas illis Ecclesiæ autoritatem non esse necessariam, aut esse superuacaneam? An putas sic per alia media induci eos posse ac persuaderi, vt ad hæreticos quidem conuincendos Ecclesiæ autoritas valeat, ad probos autem ac veritatis amantes in viam veritatis ducendos Ecclesiæ autoritatem non valeat? Sanè vel sic omnino te iudicare ostendis, vel hanc distinctionem inter probos & improbos frustra & inaniter protulisti. Atqui bone vir Ecclesiæ autoritas à Christo Salvatore non ad solos refractarios iusta autoritate reuincendos, sed ad quælibet ingenia seu modestissima seu acutissima ad veritatis viam inducenda instituta fuit. Illud Christi, *predicete Euangelium omni creaturae*, non solos hæreticos sed omnes in Christum credituros complectitur. Illud Pauli, *quomodo credent quem non audierunt? quomodo audient sine predicante?* non ad solos hæreticos sed ad omnes fidei ignaros pertinet. Illud turis: *Dedit Apostolos, Prophetas, Pastores, Doctores, &c.*

Ecclesiæ  
autoritas  
etiã opti-  
mis neces-  
saria.

Mat. 23.

Rom. 10.

E e

Non

Ephes. 4.

Non ad solos hæreticos aut incredulos omnem veritatem docendos, sed ad quoslibet etiam iam credentes ac pios in veritate confirmandos spectat. At enim Apostolus datos illos esse, *ad consummationem sanctorum*, id est ad confirmandos in fide iam credentes qui vulgariter sancti tunc vocabantur: *προς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων. in opus ministerij, in edificatione corporis Christi*; quæ ædificatio de collectione infidelium in corpus Christi intelligi potest.

Deinde audi quàm generaliter Paulus non de se tantum sed in vniuersum de omnibus Ecclesiæ Ministris loquitur. *Christū (inquit) annunciamus corripientes omnem hominem & docentes omnem hominem in omni sapientia, vt exhibeamus omnē hominem perfectum in Christo.* Coloss. 1. Omnes igitur Ecclesiæ ministerio corripiedi, docendi, & ad ipsam perfectionem perducendi sunt. Cæterum Ecclesiæ auctoritate etiam circa materiam præsentem, non hæreticos tantum cogi vt tu loqueris, sed ipsos quoque orthodoxos atque Catholicos moueri atque in fide contineri, vel hic ipse locus Augustini quem tractas te docere potuerat. Nam vt contra Manichæos hæc verba dixit, eorum perstringens impietatem quilibet reijcerent ab Ecclesia receptum & approbatum, ita quoque suam erga Ecclesiam obedientiam reuerentiam ac fidē disertissimè commonstrat. *Cui inquit, libro necesse est me credere si credo Euangelio, cum vtramque scripturam similiter mihi Catholica commendat Auctoritas.* An non vides vt Augustinus (quem inter turbidos & improbos ac pertinaces hæreticos opinor, non pones) de seipso dicat. *Necesse est me credere? & iterum. Vtramque scripturam mihi Catholica commendat auctoritas?* Qua tu igitur fronte (si tamen frontem habes) hunc Augustini locum ad solos hæreticos Ecclesiæ auctoritate cogendos trahis, & probos

VWhita-  
keri bar-  
bara im-  
pudentia.

probos ac pios non illa authoritate sed alijs medijs persuaderi ais, in quo loco seipsum Ecclesiæ authoritate commotum esse profitetur vt talem librum pro Canonico habeat, & quidem ita commotum, vt propter illam authoritatem, necessariò se credere profiteatur? *Necesse est, inquit, me credere.* Non ergo soli hæretici sed & optimi Catholici Ecclesiæ authoritate, commouentur & persuadentur. Ex tribus igitur quæ hic dixisti, duo à te inaniter esse prolata iam ostensum est.

An in tertio felicior fuisti? minimè sane. In eo enim punèto toto cælo errasti, & Augustinũ quem profers doctor indocte non intellexisti. Ais ex ipso Augustino probari posse, probos ac veritatis studiosos alijs argumentis quam Ecclesiæ authoritate persuaderi posse, scripturam aliquam esse Canonicam. Et dicit illum enumerare tria talia argumèta. *Ordinem rerum, causas dictorum atque factorum, ac demum vtriusque Testamenti congruentiam.* Atqui professor egregie Augustinum tuum melius inspicere debuisti. Augustinus loco à te citato illa tria in medium profert, non vt aliquam scripturam librum esse Canonicum ex illis doceri posset, sed vt doceat ad sensum scripturarum eruendum & ad interpretationem earũ hæc tria valere, quæ in principio capitis vocat, historiam, ætiologiam, analogiam, quibus etiam addit allegoriam: quod tu vafre ommittere voluisti, quia allegoriam in explicatione scripturæ consistere quilibet lector statim intellexisset. Porro de his quatuor sic in eiusdem capitis fine concludit, ex quo sine tua uia verba desumpisti, sed mutilata & manca. Totus autem Augustini locus hic est. *Hoc modo agitur cum his qui studiosè ac piè, non turbidè atque improbè scripturarum illarum sensum requirunt.* (An non vides de scripturarum sensu illum disertis verbis

Augustini  
verba ex-  
plicatur.

De vtilit.  
cred.  
cap. 3.

Interpre-  
tandi Scri-  
pturas  
media.

loquitur) demonstranturque sedulo & ordo rerum (secundum historiam) & causa factorum atque dictorum (secundum ætiologiam) & veteris ac noui testamenti tanta congruentia (secundum analogiam) vt apex nullus qui non consonet relinquatur: & figurarum tanta secreta (secundum allegoriam) vt omnia qua interpretando eruuntur, miseros esse cogant fateri qui hac volunt ante condemnare quàm discere. Sunt igitur hæc quatuor notissima media & peruulgata interpretandi scripturas, & in eum finem ab Augustino commemorantur & explicantur hoc in loco. Non sunt media ad probandum aliquem librum esse scripturam Canonicam, nec in eum finem illa Augustinus ibi tractat.

Verum quidem est ex hac tam varia interpretatione ipsarum scripturarum, earum maiestatem & veritatem vehementer elucescere, eosque miseros & infelices probari, qui tales scripturas prius condemnant quam discunt; vt Augustinus infert; sed media illa commemorata interpretandi scripturas media sunt, non certè illas cognoscendi vt tu colligis; & antequam illa interpretandi media tractentur, de libro ipso quem interpretari volumus constare debet; & denique hæc ipsa interpretandi media vnde melius, vnde certius quàm ab ipsa Ecclesia eiusque magistris ac pastoribus petimus? Nam etsi historia quidem ipsa scripturarum plerisque legentibus pateat, an sic ætiologiam, analogiam & allegoriam patere quoque affirmabis? An non in illis inueniendis etiam doctissimi Theologi sudant, alijque aliter ac aliter illa tractant? Non ergo solum hæretici quia ista (vt dicis) minus attendunt aut curant, sed probi & veritatis studiosi quia ista minus capiunt & aduertunt, Ecclesia autoritate vrgendi sunt. Sane D. Augustinus in hoc elegantissi-

in libello de vtilitate credendi, Ecclesie authoritatem ad certam religionem & veritatem tenendam, sic esse omnibus & omnino necessariam docet, vt non solum ad hereticos ac refractarios conuincendos, sed ad quolibet stultos, id est, diuinæ sapientiæ ignaros, veritatis luce illustrandos, & ad veram sapientiam ac religionem perducendos, à Deo illa iustituta sit, planeque necessariò (cessantibus iam miraculis, ipsaque Christi viua voce) institui debuerit. Quod totum ex hoc eius libello in hoc opere nostro de princip. fidei doctr. per compendium demonstratum est.

Cap. 7. & sequentibus.

Lib. 2. c.

6. & 14.

lib. 5. c. 5.

*Whitakerus.*

Idem etiam August. 5. cap. eiusdem libri scribit, 7. Sect. se facile \* persuadere posse hunc vel illum scripturæ librum Canonicum esse, si sibi æquus & minimè pertinax animus daretur.

\* Nempe ex Ecclesie authoritate.

*Stapletonus*

Augustin. loco à te citato de veteri Testamento rectissimè dicit, quod etiam de quolibet S. scripturæ libro dici posse non abnuo, si æquus & minimè pertinax animus adhibeatur, facile persuadere se posse legem illam à Deo datam fuisse, omniaque in illis libris vtiliter memoriæ mandata esse. Sed age, An dixit Augustinus, æquum & minimè pertinacem animum hunc vel illum scripturæ librum Canonicum esse, ex seipso deprehendere posse? Non id quidem ait: Sed tali animo facile se persuadere posse affirmat. Vnde autem aut quibus argumentis hoc illi persuadere se posse confidat, Augustinus non dicit. Certum autem est Augustinum illa argumenta & media imprimis intelligere quæ ipsemet eodem in libro in sequentibus longa & accurata disputatione inuestigat. Hac est Ecclesie authoritas, & vt postea loqui-

Cap. 14. *tur: Primum populorum atque gentium confirmata opinio ac fama admodum celeberrima, qui Ecclesie Catholicae mysteria vsquequaque occupauerint. Deinde huius multitudinis primates a quibus de scripturis discat. Aequus igitur & minimè pertinax animus facile persuadetur; sed Ecclesie auctoritate potissimum persuadetur, quam æquus & minimè pertinax animus non repellat, sed soli pertinaces hæretici repellere solent. Talem æquum & minimè pertinacem animum habuit ille Honoratus ad quem Augustinus scripsit, & quem propterea totis ingenij viribus hortatur & suadet, vt rationum & argumentorum robore tantisper relicto, Ecclesie Catholice auctoritate duci se ac moueri patiatur, vt scripturas illas pro Canonicis ac diuinis agnoscat, quas Ecclesia Catholica pro huiusmodi agnoscit & probat. Facit hoc vrgetque pressius cap. 16. & 17. eius operis. Sola, inquit, est auctoritas quæ commouet stultos vt ad sapientiam festinent. Deinde. Non est, inquit, desperandum ab ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam qua veluti certo gradu annitentes attollamur in Deum. Et paulò post. Homini non valenti verum intueri, vt ad id fiat idoneus, purgarique se sinat, auctoritas preste est, quam partim miraculis, partim multitudine valere nemo ambigit. Tandem quàm de hac multitudine multa dixisset, totam suam mentem aperit, causamque concludit. Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos eius Ecclesie condere gremio que vsque ad confessionem generis humani, ab Apostolica sede per successiones episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit, Cui nolle primitias dare vel summa profectio impietatis est vel præcipitium arrogantie. Nam si nulla certa ad sapientiam salutemque via est,*

Ecclesie  
 auctori-  
 tate vt S.  
 scriptura  
 cognosca-  
 tur, niten-  
 dum esse  
 August.  
 docet.

Cap. 16.

Cap. 17.

via est, nisi cum eos ratio ~~trahat~~ *trahat* fides, quid est aliud ingratum esse op*i* atque auxilio diuino, quam tanto labore *prædite* authoritati velle resistere? Etsi vnaqueque disciplina quanquam vilis & facilis vt percipi possit, doctorem aut magistrum requirit; quid temerariae superbiae plenius, quam diuinorum sacramentorum libros & ab interpretibus suis nolle cognoscere, & incognitos velle damnare? Hæc est Augustini conclusio. Sic ille animo æquo & minime pertinaci persuadere se posse sperabat, vetus videlicet Testamentum pro cuius defensione pugnat, ad sacram ac diuinam scripturam pertinere. Nunc tu contra Ecclesiæ authoritatem illam Augustini disputationem profers, in qua disputatione pro Ecclesiæ authoritate, etiam in materia proposita, fortissimè Augustinus pugnauit. Sic tu dexterè, sincerè, ac verò Patres profers, magistrum semper mendacem agens, tuamque vel inscitiam vel malitiam palpandam præbens.

*VWhitakerus.*

Et capit. 3. eiusdem libri rationem reddit, cur *g. Sect.* tam sæpè vsus sit hoc argumento ab authoritate *\* Falsum & ineptum* Ecclesiæ ducto, illudque tam diligenter tractauerit: quia *nimirum scripturæ populariter accusari possunt, sed non possunt populariter defendi.* Manichæi enim vetus Testamentum in odium vocabant apud populum ob adulterium Dauidis, coniugium Iacobi cum duabus sororibus initum, & similia multa quæ in libris veteris Testamenti reperiuntur, de quibus apud populum declamabant. Atq; hæc est <sup>†</sup> illa popularis accusatio, cuius meminit *\* Crassus error.* Augustinus. Cum ergo sanctus Pater vellet *\* Mendacium.* testam*entum* defendere, nec scriptura ipsa tam populare argumentum suppeditaret, ad Ecclesiæ communem authoritatem, quod fuit argu- *\* Impium & absurdum.* mentum *\* non minus populare, suos aduersarios*

reuocabat. Et de quinto eodem Stapletoni argumento satis multa dicta sunt.

*Stapletonus.*

Ab Augustini mente cuius hic verba tractas, toto celo aberrasti professor eximie; & quod ex ea deducis ineptia plenum est, Doctor indocte. Augustinus in illis verbis quæ mutilatè, more tuo, protulisti, & quorum sensum mutilando corruptisti, rationem non reddit cur ille argumento ab Ecclesiæ autoritate ducto toties vtatur, sed cur Manichæi vetus Testamentum discerpant atque dilanient. Ne ratio quam affert eum sensum habet, quem tu eius verbis perabsurdè affingis. Vtrumque hoc ex tota Augustini sententia integrè prolata manifestè Lector videbit. *Bene nosti* (ait tuo Honorato Augustinus) *quod reprehendentes Manichæi Catholicam fidem, & maxime vetus Testamentum discerpentes & dilaniantes commonent imperitos: qui profectò nesciunt quatenus sint accipienda illa, & quemadmodum hausta vtiliter in venas quasi vagientium adhuc animarum medullasq; descendant. Et quia sunt ibi quedam quæ suboffendant animos ignaros & negligentes sui, quæ maxima turba est populariter accusari possunt; defendi autem populariter propter mysteria quæ his continentur, non à multis admodum possunt. Qui vero pauci hoc facere nouerunt, non amant pro patula & famigerula quadam in disputatione certamina; & ob hoc minime noti sunt, nisi his qui eos instansime querunt. Ex his Augustini verbis liquido constat, non ideo eum contra Manichæos Ecclesiæ autoritatem pro veteris Testamenti certitudine allegasse, quia in eo multa populariter accusari possunt, populariter defendi non possunt, sed ideo Manichæos contra vetus Testamentum imperitos commonere, quia in illis libris quedam sunt quæ ignaros & negligentes offendant, ideoque ab*

De vtilit.  
cred. c. 2.

illis

illis populariter accusari possunt, & ab eisdem populariter defendi non possunt. Deinde non de omnibus scripturis loquitur, vt tu indefinitè eum loqui affirmas: sed de solo veteri Testamèto. Tum popularem veteris Testamenti defensionem non simpliciter negat, vt tu eum negare facis, ideoque verba illa sustulisti, *nō à multis admodum, sed ait populariter illa defendi à multis admodū non posse;* additq; *paucos illos qui hoc facere nouerunt* (doctos scilicet & spirituales in Ecclesia viros) quia propatula certamina deuitant, *minimè notos esse nisi his qui eos instantissimè querunt.* Isti autem sunt Ecclesiarum Præpositi, Manichæis & hæreticis ignoti, de quibus postea dicit. *Mone potius vt huius multitudinis Primates queram, & queram diligentissimè ac laboriosissime; vt ab his potius de his literis aliquid discam.* Rursum illa quæ populariter accusari possunt, non intelligit Augustinus crassiora illa quæ tu posuisti, *Dauidis adulterium & Iacobi cum duabus sororibus coniugium,* sed figuratiua & vmbatica illa sacramèta ac præcepta in lege posita, vnde addit (quod tu iterum reiecasti & prætermisisti) *propter mysteria quæ illis continentur; & prius in proximo membro dixerat, qui nesciunt quatenus sunt accipienda illa, &c.* Nunc tu nos doce Professor Regie, quod tandem mysterium in Dauidis adulterio, aut in coniugio Iacobi cum duabus sororibus lateat.

Postremò si (vt tu vis) hoc totum Augustinus dixisset, quasi rationem reddens cur Ecclesiæ auctoritatem alleget, quid hoc totum ad locum à me citatum pertinet, qui de Actis Apostolorum est, quum hic non nisi de libris veteris Testamenti Augustinus loquatur. Ex his ergo patet, nec rationem vllam Augustinum hic reddidisse cur toties ab Ecclesiæ auctoritate pro scripturis disputat,

Mysteria  
vet. script.  
à quibus  
defendi  
possunt.

Cap. 14.

nec sensum illum verum esse quem eius verbis tam variè à te mutilatis affinxisti. Toro igitur cœlo à mente Augustini aberrasti; qui cur Ecclesiæ auctoritatem iam sæpe pro scripturarû certitudine proferat, in eodem libro postea satis docet, vbi auctoritate stultos commoueri, & hanc auctoritatem in Ecclesia Deum posuisse, verbis manifestissimis à nobis iam ante citatis, declarauit.

Augustini  
sensum  
aduersa-  
rius per-  
uertit.

Nunc etiam quod ex præsumpto Augustini sensu inferre voluisti, quàm sit ineptum, dicendum est. *Cum, inquis, sanctus Pater vellet vetus Testamentum defendere. nec scriptura ipsa tam populare argumentum suppediret, ad Ecclesiæ communem auctoritatem, quod fuit argumentum non minus populare, suos aduersarios reuocabat.* Dico hæc tua verba varia ineptia laborare. Primum ex omnibus Augustini locis hoc in capite quod impugnas à me citatis, in quibus contra Manichæosex Ecclesiæ auctoritate pro scripturis pugnat, ne vnus quidem locus est, qui vetus Testamentum defendat; sed omnia loca pro certis noui Testamenti partibus ab Augustino proferuntur. Primus eius locus pro Actis Apostolorum, secundus pro verbis illis ad Rom. cap. i. de filio Dei ex semine David secundum carnem &c. alius locus pro genealogia Christi Matth. cap. i. alius rursus de toto Euangelio; ac vnus demum locus est pro libris scripturarum in genere. Quanta hic igitur tua ineptia & crassa inscitia Doctor indocte, qui rationem nobis afferre volens, cur Augustinus in tot locis à me productis ab Ecclesiæ auctoritate disputare voluerit, hanc nobis cantilenam occinis, *Cum sanctus Pater vellet vetus Testamentum defendere, & ex omnibus istis locis, quorum rationem reddere vis, nullus locus est in quo sanctus iste Pater vetus Testamentum velit defendere, sed omnia loca sunt* in qui-

in quibus noui Testamenti certas particulas, conatur defendere. Etsi ergo totus ille ex Augustini verbis sensus præsumptus atque confictus verus esset, hæc tua tamen consequentia & illatio ad rem præsentem est planè impertinens & nihil ad rhombum.

Deinde quàm iam non ineptè modo, sed impiè & absurdè abs te dicitur, Augustinum ad Ecclesiæ communem auctoritatem aduersarios reuocasse, quod erat non minus populare argumentum? Itane verò argumentum ab auctoritate Ecclesiæ ad confirmandam scripturam non minus populare argumentum est, quàm argumentum ab adulterio Dauidis ad vetus Testamentum infirmandum erat? Aut ita populariter & ad populi plausum scriptura defenditur ab Ecclesiæ auctoritate, quam eadem populariter & ad populi plausum improbatur ab adulterio Dauidis aut coniugio Iacobi cum duabus sororibus? Denique an Christus Ecclesiam in summa auctoritate posuit, suas illi vices committens, mittens eam in mundum, sicut ipse à Patre fuerat, iubens eam audiri, sicut semetipsum, vt eius testimonium atque iudicium non nisi populare argumentum faceret, & soli populo ac idiotis conueniens? An non potius tanti ponderis hoc argumentum esse voluit, vt etiam si Angelus de cælo Euangelizaret, præterquam quod ab Ecclesia accepimus, aut præterquam quod Ecclesiæ magistri nobis euangelizauerunt, anathema haberetur? Si anathema haberetur qui ab Ecclesiastica doctrina discedit, certè talis doctrinæ auctoritas non populum modo, sed quantalibet tandem sapientia aut scientia præditos obligat atque constringit: & potestatem habet Ecclesia (vt Paulus scribit) omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei destruendi, omnemque intellectum in captiuitatem redigendi in obsequium Christi:

Ecclesiæ  
authoritas  
argumentum  
plurquam  
populare.

Ioan. 17.  
Luc. 10.

Gal. 1.

Vide Aug.  
con. Fau-  
stum lib.  
15. c. 3.

2. Cor. 10.

*Christi: Et Coloss. 1. Corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni sapientia. Denique quæ columna & firmamentum veritatis est, eius ne auctoritas popularis & vulgaris est, ac non potius sublimis & excellens, planeque vt suo loco docuimus, suo modo diuina? Sed sic te exiliter de Ecclesia iudicare, qui Ecclesiæ non membrum, sed hostis es, minimè mirari debemus. Omnium hæreticorum ista est regularis temeritas, vt supremam S. Ecclesiæ auctoritatem omnibus modis traducant atque extenuent.*

1. Tim. 3.

Pincip.  
fid. lib. 8.  
cap. 16. &  
seqq.

Vide Au-  
gustin.  
epist. 56.

Q V O S E N S V A V-  
G V S T I N V S S C R I P S E R I T.  
E G O E V A N G E L I O N O N C R E-  
d e r e m, n i s i m e E c c l e s i æ C a t h o l i c æ c o m m o u e-  
r e t a u t h o r i t a s.

## C A P. V I I I.

*VWhitakerus.*

*1. Sect. \* Menda-  
cium quia  
nec sextū  
nec yllum  
argumen-  
tum est in  
causa  
principali.* S E X T V M eius \* argumentum habetur 9. cap. 9. lib. & ab Augustini auctoritate sumitur 5. c. contra epistolam fundamenti, vbi Augustinus ait, *Ego non crederem Euangelio, nisi me Ecclesiæ Catholice auctoritas commoueret.*

*Stapletonus.*

Si amicorum & doctissimorum virorum consilij acquiescenssem, in hac tua ineptissima disputatione refutanda bonas horas non collocassem, sed (quod illi magnopere suaserunt) vana hac ac futili sermone tua profus dissimulata, in alio scribendi genere quod Ecclesiæ Dei magis vtile futurum erat  
tempus

tempus (iam mihi preciosum) triuissim; atque edito nunc à me in lucem Promptuario Morali in Euangelia totius anni Dominicalia, ad Euangelia in festis Christi & Sanctorum per totum annum simili Promptuario illustranda, (quod multis precibus multi à me efflagitarunt) animum & calamum conuertissim. Sed propter causas in liminari epistola nostra commemoratas, consilium illud & multorum vota aspernatus, huic tuæ disputationi ante omnia respondere volui. Non diffitebor nunc tamen, quo magis in hac refutatione progredior, eo me magis ac magis huius mei instituti penitere, quum sanè videam te nihil theologo ac professore Regio dignum (quod indubiè expectabam) adferre: sed planè ut classicum aliquem ac triuiale declamatorè meras nugas agere, nihil minus quàm disputare; nulla arte, nullo acumine, nulla bona fide uti; nihil ferè quam aut mentiri, aut fingere, aut crassas absurditates effundere; tuoque aduersario perpetuam te culpandi, reprehendendi, taxandi, percutiendi materiam præbere. Si cui oblectamèto esset in flagellando aduersario calamum exercere, nullum (ut arbitror) duriorè asinum magisque ad verbera & flagella factum inuenire posset, quam ego te inueni. Ego certè in hac ætate, & quotidiana professione mea, & longè alio scribendi genere ante aliquot iam annos exercitatus, etsi ab hac antagonistica scriptione planè abhorream, coactus sum tamen in hac responsione mea perpetuum quasi mastiga & Orbiliū agere, ita perpetuus quidam discantus tua oratio est, tot & tantos in vera theologia solæcismos committis, sic ineptè & insulsè perpetuo respondes.

Nam ut ad rem nunc præsentem veniam, quid tibi in mentem venit, ignaui in pecus, quæ ego 9. cap.

VWhitakeri disputatione  
omni refusione  
indigna.

cap. lib. 9. operis quod impugnas scripseram, argumentum vocare? & sextum argumentum meum nuncupare, pro Ecclesiæ videlicet autoritate ad scripturas comprobandas, quum ego in illo capite nullum huiusmodi argumentum faciam; sed argumentum præcedentis capitis à vestrorum hominum cavillationibus me defendere profitear? Id si obtusum caput tuum perspicere nõ potuit, saltem capitis illius titulus monere ac docere te potuerat, qui huiusmodi est. *Augustini hac de re sententia defenditur & explicatur, aduersariorum subterfugijs sublatis.* Cap. 9. Nempe quum in præcedenti capite varia Augustini loca citassem, & ut tu ibi dicebas, *in citandis Augustini testimonijs multus fuisssem*, volui in hoc sequenti capite hæc Augustini loca defendere & explicare aduersariorum subterfugijs sublatis. Moxque initio capitis Caluini tui subterfugium propono, illudque multis argumentis refuto. Quæ omnia tu non satis hic bonus Calvinista dissimulasti; Imo iam ut bonus anticalvinista, *illa loca omnia esse verissima falsus es*, cap. præcedenti. Iam vero in hoc cap. 9. post varias probationes & explicationes verborum ac mentis Augustini, in locis præcedenti capite productis tandem ac postremò ut ex alijs Augustini verbis mentem Augustini dilucidè ostenderè hunc locum quem tu vnicè tractas, protulidicens *Postremò mens Augustini hac in re euentissimè ex celeberrima eius sententia liquido cognoscitur, qua scripsit. Ego Evangelio non crederem nisi me Ecclesiæ Catholice commoueret autoritas.* Non est ergo hic locus sextum argumentum meum, sed est explicandæ mentis S. Augustini in hac controuersia, quarta probatio mea, sicut hoc cap. 9. quod ex parte impugnas legenti statim patebit. Hic iam hanc tuam vanitatem quo nomine appellem nescio, nisi quod tu in eo felix es, quòd

Caluini  
refutatio-  
nem dissi-  
mulat ad-  
uersarius.

quòd plura committis absurda, quàm à modesto aduersario audire queas. Cæterum videamus nunc quid circa ista Augustini verba cauillari ac nugari velis.

*VWhitakerus.*

Hæc verba Augustini (inquit Stapletonus) transferunt protestantes. Certè scilicet: & quidniè cum 2. *sect.* quosdam etiã scholasticos fefellerint, vt ibidem fatetur? Papistis quidem omnibus in ore ac delicijs sunt vt vix tria tecum verba papista quiuis commutauerit, quin hoc tibi Augustini testimonium statim obiecerit.

*Stapletonus.*

Id si tu VWhitakere in Catholicis nostræ gentis aduertisti (nam insulam tuam nunquam egressus, alios Catholicos qui ad vos hodie peregrinari non solent, nunquam vidisti) gaudeo vehementer & esse Catholicos in illa gente post triginta iam & amplius annorum persecutionem acerbissimam, qui tibi sic in os hæc verba obtrudere non sunt veriti (alioqui vnde tibi constat sic in ore ac delicijs hæc verba illis esse, adeoque illis omnibus, vt vix tria verba cum illis commutaueris quin hoc tibi testimonium statim obiecerint?) & illis hæc Augustini verba tãtopere placuisse. Nam & illorum fidei atque constantiæ ex animo gratulor, & horum verborum tractationem à me olim susceptam hic reperere tanto libētius non grauabor. Cæterum an tu ab omnibus in Anglia Papistis hoc audiueris, vel potius more tuo inane & futile mendacium effutiueris, ipse videris.

*VWhitakerus.*

Respondent huic argumento Calvinus 1. lib. 3. *sect.* Instit. cap. 7. & musculus, & P. Martyr, Augustinum de se Manichæo loquutum esse, se nempe cum esset Manichæus, Ecclesiæ autoritate commotum fuisse

fuisse vt Euāgelio crederet. Musculus quidem hæc verba sic interpretatur. Ego Euangelio non crederem, id est, non credidissem, nisi me Ecclesiæ auctoritas commoueret, id est, commouisset: vel ego scilicet Manichæus existens, aut si Manichæus essem, non crederē Euāgelio &c. Atque hæc quidē interpretatio verissima est. Loqui enim Augustinū de se Manichæo, ex eodē capite patet. Nam verbis proximè præcedentibus ait. *Quid tu faceres, dicenti, Non credo? tum subiungit. Ego verò non crederem Euangelio &c.* Loquitur ergo de se non credente. Et eodem etiam capite verbis proximè subsequētibz ait. *Quibus obtemperavi dicentibus mihi, credite Euangelio, cur non ijs obtemperem dicētibz mihi, Noli credere Manichæo?* Ex quibus palam est eum de se non credente loqui, & docere quemadmodum ex Manichæo factus sit primò Catholicus, quod Ecclesiæ nimirum vocem audiret.

*Stapletonus.*

Hæretico-  
rum hodie  
pertina-  
citer.

Infinita animarum strages, quam hæreses hodiernæ fecerunt, ex vna animi pertinacia, orta videtur. Voluerunt quibus noua & libera hæc religio placuit, quod semel Magistri errantes docuerunt, pertinaciter postea sustinere nec vlla vel manifestissima ratione ab eo quod semel defendendum susceperunt recedere. Istud hic vnus Augustini locus perspicuè docet. Est in manibus Doctorum omnium Augustinus. Totus locus inspectus mentem eius clarissimè aperit. Scriptores Catholici à toto loco suis libris inserendo propter prolixitatem abstinerunt. Ea tantum protulerunt quæ ad eius mentem manifestandam satis esse putauerunt. Sed apud homines pertinaces nihil profecerunt. Eandem semper cantilenam quam temere effudit Lutherus, alij quoque occinere voluerunt. Ego igitur

totum nunc Augustini locum subijciam, vt huic pertinaciæ si fieri potest medela afferatur: saltem vt æquus omnis lector ad oculum videat, quàm pertinaciter Augustini mentem alij peruertant.

Augustin. i. cap. libelli citati, incipiens libellum Manichæorum; qui epistola fundamenti vocabatur; refutare; primùm de titulo vel exordio libelli disputat, qui hic erat. *Manichæus Apostolus Iesu Christi providentia patris. Hæc sunt salubria verba &c.* Contra hunc arrogantissimum titulum & dementia plenum sic disputat August. *Iam cum bona patientia, si placet, attendite quid queram. Non credo istum esse Apostolum Christi, quæso ne succenseatis, & maledicere incipiat. Nostis enim me statuisse, nihil à vobis prolatum temerè credere. Quæro ergo, quis sit ille Manichæus? Respondebitis. Apostolus Christi. Non credo. Iam quid dicas aut facias non habebis. Promittebas enim scientiam veritatis: & nunc quod nescio cogis, vt credam. Euangelium forte mihi lecturus es & inde Manichæi personam tentabis asserere. Hanc iam objectionem interferit August. non quòd nomen Manichæi in Euangelio reperiri posse dubitaret (paulò post enim in eodem cap. disertè dicit, *Apostolorum nomina quæ in Euangelio leguntur non inter se continent nomen Manichæi*) sed vt Manichæos ex proprio eorum principio refutare pergat, quod huiusmodi erat, *nihil esse credendum, nisi prius discussa & enodata veritate.* Nunc enim si etiam in ipso Euangelio Manichæi nomen legeretur, tamen se iuxta eorum principia ad credendum cogi nō posse docere vult. Ait ergo, & sequitur. *Si ergo inuenires aliquem qui Euangelio nondum credit, quid faceres dicenti tibi non credo? Id est, quid tu qui in omnibus promittis scientiam veritatis, vt suprà dixit, homini necdum Euangelio credenti, & per hoc dicenti, etiam Euangelio quod habet nomen Manichæi vt Apostoli, non credo,**

De vtilitate  
cred.  
cap. 2.

Evangelio  
credidit  
Augustin.  
propter  
Ecclesie  
authori-  
tatem.

faceres? quid inquam illi faceres, quomodo persuade-  
deres tali adhuc incredulo? Moxque subiungis. Ego  
verò Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia  
commoveret authoritas, id est, quod ad me attinet, nisi  
iam Catholicus essem, & Catholicae Ecclesiae au-  
thoritas me commoveret, nec nunc quidem Euan-  
gelio crederem. Et quare hoc protestatur? ut doceat  
se propterea ipsis Manichæis credere non debere,  
quum Manichæum magistrum suum Apostolum  
Iesu Christi esse affirmant. Hac enim intentione,  
& ob hanc causam se illa verba dixisse, verba proxi-  
mè subsequentiā manifestissimum faciunt, quæ  
hæc sunt. *Quibus ergo obtemperavi dicentibus, Credite  
Evangelio, cur eis non obtemperem dicentibus mihi, Noli  
credere Manichæo? scilicet Apostolum illum esse, &c.*  
Præfatus est se credere Evangelio propter Ecclesie  
Catholicae authoritatem, quæ ut crederet commo-  
tus est. Inde infert se non debere credere Mani-  
chæo, quia eadem Ecclesia illi dixit & dicit, *Noli  
credere Manichæo*, quæ dixerat & dicit *credite Euan-  
gelio*. Eodè planè modo in libro de utilit. credendi  
disputat, & ille locus ad huius intelligentiam mul-  
tum facit. Ait ibi. *Quid si Christo non crederem, num ali-  
quid de illo me tu Manichæe docere posses? Sed oportet, in-  
quit, ut credas. Num vobis Christum commendantibus?  
Non, inquit: Nam nos illos qui ei credunt ratione ducimus.  
Cur igitur illi credam? Quia fama fundata est? Utrum per  
vos an per alios? Per alios, inquit. Illis ergo credam ut tu me  
doceas? Deberem fortasse, nisi me hoc illi precipuè monerent,  
ut omnino ad te non accederem. Dicunt enim perniciosas vos  
habere doctrinas. Respondebis, mentiuntur. Quomodo igitur  
eis de Christo credam quem non viderunt, de te non credam,  
quem nolunt videre? Hæc ibi Augustinus, sic omnino  
de fide sua in Christum propter Ecclesie authori-  
tatem & testimonium disputans, & ex illa fide pro-  
bans*

Cap 14.

Hereticis  
credendū  
non est,  
quia Ec-  
clesia iu-  
bet eis  
non cre-  
dere.

banis Manichæis se credere non debere; sicut hoc loco de fide sua in Euangelium propter Ecclesiæ Catholicæ autoritatem disputat, & ex illa fide probat se Manichæo credere non posse quòd sit Apostolus. Vtroque in loco præsentem suam fidem ostendit, de Christo, & de Euangelio, Ecclesiæ autoritate niti, & propter eandem autoritatem qua nunc, in præsentem nititur, se Manichæo nunc in præsentem credere non posse. Manifestissimum est se de seipso loqui iam tunc credente Christo & Euangelio propter Ecclesiæ autoritatem, ideoque iam tunc Manichæo non credente propter eiusdem Ecclesiæ eandem autoritatem.

Qui eius sensus manifestissimus adhuc ex sequentibus magis patebit. Sequitur enim apud Augustinum dicto cap. 5. post præcedentia verba immediate hoc modo. *Elige quid velis. Si dixeris, crede Catholicis, ipsi me mouent, vt nullam fidem accommodem vobis. Quapropter non possum illis credens, nisi tibi non credere. Quis non videt eum de sua præsentem fidem qua Catholicæ Ecclesiæ credit loqui? Sed pergamus cum eius verbis. Si dixeris, noli Catholicis credere; non rectè facies per Euangelium me cogere ad Manichæi fidem, quia ipsi Euangelio Catholicis prædicantibus credidi. Dicit, credidi, ne quis putaret eum nunc primum credere aut incipere hanc fidem. Non dicit credidi quasi olim crederet, nunc non crederet, nunc inquam Catholicis prædicantibus non crederet, id est, propter Ecclesiæ autoritatem nunc non crederet. Alioqui, si Catholicis prædicantibus à præsentem tempore quo hæc scripsit, excludas; etiam illud credidi excludere debes, ac dicere Augustinum quum hæc scriberet nō tunc credidisse, sed olim quum ex Manichæo Catholicus primum fieret. Sed quæ adhuc sequuntur manifestius hoc efficiunt. Si autem dixeris, Rectè*

Qui non credit Ecclesie dicenti, hic est hæreticus, neque eadem credet dicenti hæc est scriptura sacra.

Qui Ecclesie adhaeret, hæreticis nunquam credet.

Ecclesie auctoritate infirmata, nec Euangelio credetur.

*credidisti Catholicis laudantibus Euangelium, sed non rectè illis credidisti vituperantibus Manichæum (utrobique illud credidisti, de fide præsentis temporis intelligitur, ut in posteriori membro dubitari non potest, tunc enim quam hæc scriberet credebat Catholicis vituperantibus Manichæum) vsque adeo me stultum putas, ut nulla reddita ratione, quod vis credam, quod non vis non credam? Multò quippe iustius & cautius facio, si Catholicis quoniam semel credidi, ad te non transeo, nisi me non credere iusseris, sed manifestissime atque apertissime scire aliquid feceris. Quocirca si mihi rationem redditurus es, dimitte Euangelium. Si ad Euangelium te tenes, ego ad illos me teneam, quibus præcipientibus, Euangelio credidi; & his iubentibus tibi omnino non credam. Hic est totus Augustini locus ad hanc rem quod attinet, & ad objectionem illam remouendam, si fortè in Euangelio legeretur Manichæi persona, quam hæctenus non quidem soluit in forma, sed in sequentibus soluere incipit; eatenus tamen tractauit, ut principium illud Manichæorum conuellar, nihil esse sine certa ratione credendum, simulque doceat, se necessario Manichæo credere tunc non posse, quia hoc illum facere prohibet Ecclesia Catholica, ex cuius auctoritate ipsi Euangelio tunc credidit. Nisi enim propter eandem auctoritatem tunc credidisset, illa auctoritas ne tunc crederet Manichæo, nihil eum tunc commouisset.*

*Sed pergamus adhuc in Augustino, ubi ad factam à seipso objectionem respondet, ne aliquid celare videamur quod ad rem præsentem faciat. Sequitur proximè. Quod si fortè in Euangelio aliquid apertissimum de Manichæi Apostolatu inuenire potueris, infirmabis mihi Catholicorum auctoritatem, qui iubent ut tibi non credam. Qua infirmata, iam nec Euangelio credere potero, quia per eos illi credideram. Ita nihil apud me valebit quicquid in da-*

*protu-*

*protuleris.* Iterum vides quomodo Augustinus de seipso nunc Catholico dicit, *Infirmata Catholicorum auctoritate; iam nec Evangelio credere potero.* Ergo & tunc quum hæc scriberet, propter Catholicorum auctoritatem credidit Evangelio, & de se vt Catholico prius dixerat, *Ego Evangelio non crederem, si me Ecclesie Catholicae auctoritas non commoueret:* Sic toto loco Augustini inspecto & in medium producto, manifestè apparet illa verba Augustinum dixisse, non vt doceret cur olim Manichæus quum esset Evangelio credere cœpisset, sed cur tunc ipsi Evangelio crederet, & propter eandem causam cur tunc Manichæo non crederet. Nunc videamus, quomodo ea refellas, quæ olim hac de re breuiter scripseram, Auditorum tunc quibus ea dictabam vtilitati & captui me accommodans. *VWhitakerus.*

At hoc negat Stapletonus, & illum de se Catho- 4. *Scit.*  
lico loquutum esse multis argumētis conatur probare. Prima eius ratio est, quia infidelis non tribuit aliquid auctoritati Ecclesie. Respondeo Augustinum \* non fuisse omnino infidelem. Fuit quidem hæreticus sed veri cupidissimus, & non pertinax hæreticus. Fuit hæreticus, non ex malitia, sed ex opinionis errore. Nec dubitauit, cum esset hæreticus, quin oporteret eum cum vera Ecclesia consentire & communicare, quamuis de vera Ecclesia non rectè iudicabat. Qui tales sunt, Ecclesie veræ auctoritate facilè \* commouentur.

*Septima  
toram ra-  
tionem  
mutilauit  
\* Nihil ad  
rhombū.  
Fallum.*

*\* Nimis  
aperre  
fallū.*

*Stapletonus.*

Totū quod hic excipis de August. adhuc Manichæo, fuisse eū quidē hæreticū, sed non infidelem, nihil ad argumenti mei rationem pertinet, & præterea varia vanitate laborat. Ego hanc primū rationem posui, non vt Augustinum infidelem fuisse, Manichæus quum esset, ostenderem (quod tu hic

impugnās) sed vt Musculi tui verbis responderem, qui scripsit *Augustinum hæc verba* (de quibus hic disputatur) *in persona hominis adhuc infidelis loqui non in persona sua* : vt ex eo hoc loco retuleram, cuius & Caluini cauillationes me hoc loco refutare, in verbis proximè præcedentibus dixeram, idq; tam clarè vt nisi prorsus hebes ac obtusus alinus esses, illud non aduertere non potueris. Sic enim scripsi, recitata responsione varia Caluini & Musculi. *Sed putidissimas esse has omnes euasiones, & Augustinum in persona fidelis ac sua ista dixisse aliquot argumentis ostenditur. Primum quia infidelis &c.* Hæc ibi, quæ si tu aduertisses, facilè vidisses ex duobus quæ probanda mihi proposui, primo hoc argumento meo prius eorum (vt ordo disputandi postulabat) à me prolatum esse. Sed sic tu oscitanter authorem legis quem refutare contendis, vt nec quid nec quomodo dicat, præ stupore mentis & ignauiâ aduertas. Quare vt dixi hæc tua responsio ad mei argumenti rationem nihil prorsus pertinet : imo illud confirmat, dum tu modis omnibus probans, Augustinum adhuc Manichæum infidelem non fuisse, satis insinuas pro vero te agnoscere, quod homo infidelis Ecclesiæ autoritate ad fidem non inducitur: maximè si totam argumenti mei vim recitasses; quod paucissimis verbis conceptum magna tamen ex parte mutilasti. Totum enim meum argumentum hoc erat. *Primum quia infidelis Ecclesiæ autoritate quatenus Ecclesiæ non inducitur vt credat, sicuti antea docuimus, videlicet huius libri quem impugnās cap. 4. Pro quibus verbis tu ista substituiti. Prima eius ratio est, quia infidelis non tribuit aliquid authoritati Ecclesiæ.* Ita nihil manus tuæ contingunt, quod non aliquo modo contaminant, mutilant, vulnerant. Multum enim differunt, *non induci vt credat*, quod

VWhita-  
keri ofci-  
santia.

Eiusdē sy-  
cophātia.

ego dixi, & nihil tribuere authoritati Ecclesie, quod tu me dicere mentitus es. Multi enim haud dubie hæretici aliquid tribuunt authoritati Ecclesie, sicuti & tu fecisti in 4. illis Ecclesie officijs quæ supra descripsisti: qui tamen authoritate Ecclesie non inducuntur vt credant: quorum etiam è numero tu es, qui hanc Ecclesie authoritatem in hac tua disputatione omnibus modis impugnas; hanc inquam, quòd ad credendum has scripturas esse Canonicas Ecclesie authoritate induci ac persuaderi possumus ac debemus. Deinde multam interest, simpliciter & crudè dicere, *Infidelis authoritate Ecclesia non inducitur vt credat* (quod certè simpliciter non est verum) ac limatius dicere. *Infidelis authoritate Ecclesia quatenus Ecclesia non inducitur vt credat,* Princip. fid. lib. 9. cap. 4. sicuti alio in loco explicatum est. Vides ergo quomodo argumentum meum contaminasti & mutilasti, nec tamen ad eius rationem & sensum quicquam respondisti.

Quid nunc cæteras tuæ responsionis vanitates persequar? Augustinum adhuc Manichæum fuisse hæreticum, sed non pertinacem tu affirmas. At ipse de seipso contrarium humiliter profitetur. *Tumor (inquit) meus refugiebat modum eius* (scripturam sanctam dicit) *& acies mea penetrabat interiora eius:* Confess. lib. 3. c. 5. *Nam illa erat quæ cresceret cum paruulis. Sed ego indignabar esse paruulus & fastu turgidus mihi grandis videbar.* Hæc ille de seipso. Paulò post laudat prudentiam Episcopi cuiusdam, qui à matre ipsius Monica rogatus vt eum adhuc Manichæum instrueret, eiisque errores refelleret, respondit quod res erat; *indocilem illum adhuc fuisse, eo quòd inflatus esset no-* Lib. eod. cap. 12. *uitate hæresis Manichæorum.* Ex hac autem superbia & fastu pertinax & indocilis hæreticus tunc erat, quam etiam ob causam Mediolani agens Ambro-

sium Episcopum audire noluit discendi causa, sed tantummodo propter eloquentiæ eius famam quã tunc Augustinus ibidem profitebatur. Et erat quidẽ tunc Augustinus cupidus veri, vt de seipso scribit (& quis tandem vel pertinacissimus hæreticus cupidus veri non est, quum omnes naturaliter scire desiderent?) sed addit quoque etiam nonnullorum in schola doctorum hominum disputationibus superbus & garrulus.

De vtilit.  
cred. cap.  
8.

Quin & illud vanè dixisti, nimirum falsò, eos qui non dubitant quin oporteat cum vera Ecclesia consentire & communicare, Ecclesiæ veræ auctoritate facile commoueri. Hoc inquam nimis falsò à te dictum est, eiusque contrarium nimis verum est. Prius enim omnibus ferè hæreticis commune est, vt veræ Ecclesiæ communionem tenendam esse nihil dubitent, & firmissimè credant. Iidem tamen veræ Ecclesiæ auctoritate adeo nõ comouentur facile, vt planè nunquam commoueantur. Si enim ea commouerentur, iam amplius hæretici non essent. An non vides disputator absurde in vna breui responsione tua quam multa peccasti, & absurdè stultissimeque dixisti?

VWhitakerus.

Secunda Stapletoni ratio est, quia hæreticus non mouetur Ecclesiæ Catholicæ auctoritate, quam non agnoscit. Respondeo Augustinum de Ecclesia loqui, quemadmodum iam de illa \*Catholicus sentiret, non quemadmodum antea sensit, cum esset Manichæus.

\* Seipsum  
iugulat.

Stapletonus.

Hæc tua responsio vel maximè reipsum iugulat, nostamque sententiam probat. Si enim Augustinus dicens, Ego Euangelio non crederem nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas, de Ecclesia loquatur quemadmodum iam de illa Catholicus sentit,

rit, ergo de se dicit vt iam Catholico, quod ego sustineo; non de se vt olim Manichæo, quod tu sustines. Rursum si non loquitur de Ecclesia quemadmodum antea sensit cum esset Manichæus, ergo illa verba de se vt Manichæo dicere non potuit. Si enim adhuc Manichæus non ita sensit, id est, non sensit Ecclesiæ Catholicæ autoritate debuisse se commoueri, quo tandem modo verum esse potest, quod adhuc Manichæus Ecclesiæ Catholicæ autoritate commotus fuerit vt Euangelio crederet? Planè ergo contra reipsum & pro nobis respondisti. Planè affirmasti Augustinum quum dicebat, *Ego Euangelio non crederem nisi me Catholica Ecclesiæ commoueret anthoritas*, de se vt tunc Catholico illa dixisse, quia de Ecclesia non nisi vt Catholicus ita sensit; de se vero vt olim Manichæo illa non dixisse, quia cum Manichæus esset ita non sensit. Non sensit inquam Ecclesiæ Catholicæ autoritate commoueri se debuisse: ideoque ea autoritate commoueri tunc non potuit: ac proinde nec verè dicere potuit, quod vos eum dixisse vultis. Ego Euangelio non crederem, id est non credidissem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ autoritas commoueret, id est me olim Manichæum commouisset: quæ est Musculi a d verbum interpretatio quam tu hic defendis. Non potuit inquam hoc verè dicere, quia vt tu concedis, hoc tunc ita non sensit. Vides ergo bone vir, quod nostrum te argumentum, dum ei respondere arbitraris, ad ipsam veritatis quam impugnas confessionem, adegerit. Adeo de numero eorum es, qui non intelligunt neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. 1. Tim. 1.

*VWhitakerus.*

Tertia eius ratio est, quia infideles non credunt predicantibus ministris, quod Augustinus se fecisse 6. Sect.

Ff 5,

eodem

\* Rursum  
 septima  
 iugulat.

eodem capite affirmat. \*Respondeo infideles reuera dum sunt infideles, non obtemperare ministris Ecclesiæ prædicantibus. Possunt autem per prædicationem verbi ad fidem adduci, & tum obtemperabunt. Atque hoc quidem modo factum est, vt Augustinus è Manichæo Catholicus fieret.

*Stapletonus.*

¶ Addere debebas vt comparatio tua integra atque completa fieret, & factus Catholicus tum obtemperaret. Vt enim argumento meo respondeas, fateris infideles dum tales sunt non obtemperare Catholicis prædicantibus (sic enim Augustinus loquitur, & sic ego in meo argumento loquutus sum, non autem, *ministris prædicantibus*, vt tu de tuo nouo ac profano ministerio loqueris) dum infideles sunt; possit tamen Catholicis prædicantibus ad fidem adduci, & tum obtemperabunt. Moxque inferis. *Atque hoc modo factum est vt Augustinus è Manichæo Catholicus fieret*, Catholicis sanè prædicantibus; sed non addis, & tum obtemperaret quod necessario addendum fuit. Non enim hic quæritur quomodo Augustinus è Manichæo Catholicus factus fuerit, in quo tu tuam responsionem terminas, sed quomodo & quo sensu Catholicis prædicantibus obtemperauerit, & crediderit dicentibus, hoc est Euangelium. Quum ergo adhuc infidelis vt tu iuxta argumentum meum fateris, Catholicæ Ecclesiæ obtemperare non potuerit, sed à Catholica Ecclesia vt esset fidelis conuerti potuerit, & tunc obtemperare, sequitur iterum manifestè per teipsum contra teipsum, Augustinum illa verba non vt olim Manichæum sed vt tunc Catholicum dixisse. An non egregiè respondes doctor indocte, qui tuis responsionibus teipsum iugulas, & aduersarij sententiam confirmas?

VWhitakerus.

Quarta eius ratio est, quia Augustinus hoc ca-  
 pite de Actis Apostolorum ait. *Necesse est me huic li-  
 bro credere.* Ergo (inquit Stapletonus) loquitur de  
 se qualis tum fuit, nimirum de se Catholico. Res-  
 pondeo, hanc nullam rationem esse. Nam \*siue de  
 se Manichæo siue de se Catholico loquatur, neces-  
 se fuit, ut omni modo huic libro crederet quia fuit  
 verbum Dei. Est enim \*omnibus similiter necesse,  
 Evangelia atque Acta vel recipere vel rejicere.

7. Sect.

\* Herbam  
 porrigit &  
 se victum  
 procla-  
 mat.  
 \*Nihil ad  
 rhombū.

Stapletonus.

Tanta stoliditate respondes, ut dubitare inci-  
 piam, an lectores tua verba à me fideliter citata esse  
 credere velint: quam sanè ob causam, & propter  
 totius disputationis tuæ abiurdatem vix credibi-  
 lem, nequis me aliquid fingere suspicetur, tua ver-  
 ba integra semper posui, ne verbulum quidem  
 prætermittens, aut apicem immutans. Quid enim  
 unquam stolidius respondere potuisti quam hic  
 respondisti? Quid, an oblitus es de qua hic re dis-  
 putatur, quid tu affirmes, quid neges, quid sustine-  
 as, quid impugnes? An non hic nunc sustines &  
 affirmas, Augustinum verba citata, de se Mani-  
 chæo dixisse? *Hæc (inquebas modo tu) interpretatio  
 verissima est, loqui Augustinum de se Manichæo.* An non  
 prorsus negas & impugnas, quòd de se Catholico  
 hæc verba dixerit? Sic enim meam sententiam re-  
 tulisti. *At hoc negat Stapletonus & Augustinum de se Ca-  
 tholico loquutum esse multis argumentis conatur probare.*  
 Nunc autem tu quasi penitus oblitus quid tu affir-  
 mes, quid ego negem; quid tu impugnas, quid ego  
 sustineam, ad hoc quartum argumentum prorsus  
 inuictum sic respondes, ut dicas. *Siue de se Manichæo  
 siue de se Catholico loquatur, necesse fuit ut huic libro cre-  
 deret.* Nunc ergo perinde est tibi, siue de se Mani-  
 chæo

Suprà  
sect. 3.Suprà  
sect. 4.

chæo siue de se Catholico Augustinus illa verba dixerit? An non hæcenus sustinuisti, Augustinum illa verba, non de se Catholico sed de se Manichæo dixisse? Planè nunc herbam porrigis, & te victum proclamas, quum vt aliquid respondeas, fateris prostratus, siue hoc siue illud verum sit, siue tua siue aduersarij sententia verum dicat, Augustino necesse fuisse huic libro credere, Euangelio scilicet in priori sententia & Actis in hac posteriori sententia. *Idcirco enim de istis duobus infero. Est enim omnibus similiter necesse Euangelia atque Acta vel recipere vel rejicere,* quod posterius (vel rejicere) cur hic adieceris, tute ipse opinor ignoras. Quasi verò hic quæreretur an fuerit necesse Augustino credere Euangelio & Actis Apostolorum. Non id hoc loco quæritur, sed an propter Ecclesiæ authoritatem vtrique libro vt Catholicus crediderit. Tu hæcenus sustinuisti, eum credidisse quidem Euangelio propter Ecclesiæ authoritatem, sed quum adhuc Manichæus esset nò postquam Catholicus erat. Nos sustinemus eum credidisse Euangelio propter Ecclesiæ authoritatem quum adhuc Catholicus esset. Atque id vt probarem, attuli alium eius locum de Actis Apostolorum, de quibus dicit, in præsentì tempore. *Huic libro necesse est me credere si credo Euangelio; quum vtramque scripturam similiter mihi Catholica commendat authoritas.* Hic quia euadere non potes quin de se Catholico Augustinus loquatur, stolidissimè respondes necesse fuisse vt crederet, siue vt Manichæus siue vt Catholicus, siue de se Manichæo siue de se Catholico loquatur. Ita ad rem de qua disputatur non respondes, sed aliud aliquid agere videri vis, & rem in disputatione positam veluti indifferentem & adiophoram prætermittis, siue hoc siue illud affirmetur. Hæc quum responderes, vbi ingenium

vbi animus tuus erat? In patinis fortasse?

*VWhitakerus.*

Quinta eius ratio est, quia scribit Augustinus cap. 4. huius libri se etiam cum esset Episcopus, teneri in Ecclesia propter nomē Ecclesiæ, & consensum populorum ac gentium.

*S. Sect.*  
Augusti-  
nū eadē  
mutilat.

*Stapletonus.*

Cur semper professor pefide, verba authorum & aduersarij tui mutilas? Cur ea integrè non profers? In alijs huius capituli argumētis eandem tuam perfidiam breuitatis causa dissimulaui. Sed hic tanta est vt dissimulati non debeat. Hæc est igitur quinta ratio mea. *Quinto quia in precedenti cap. 4. apertissime dicit se iam Catholicum & fidelem, adeoque Catholicæ Ecclesiæ tunc Episcopum, teneri in Ecclesiæ gremio, per ipsum Catholicæ Ecclesiæ nomen (vocem Catholicæ tu pretermittere voluisti) per consensum populorum atque gentium vtique Christianarum: vt nullo modo dubitandum sit, eum in cap. 5. de seipso & in persona fidelis loqui, cum ab Ecclesiæ auctoritate ad Euangelium recipiendum commoueri se dixit, qui proximo precedenti capiti, in tota fide se retineri ex eadem causa docuit. Hæc est quinta ratio mea, quintumque argumentum. Nunc quid respondeas, videamus.*

*VWhitakerus.*

Respondeo Augustinum quidem hoc fateri. Sed tamen præter hæc duo, aliud argumentum firmitus eodem capite affert, nempe \*constantissimam doctrinæ veritatem: quam si pro se Manichæi afferre possent, pollicetur se veile & Ecclesiæ nomen, & consensum populorum ac gentium \*deserere, atque ad illos redire. \*Ergo plus tribuit doctrinæ veritati, quam Ecclesiæ iudicio atque auctoritati.

*9. Sect.*

\*Falsum.

\*Mendacium.

\*Conclusio imperitiosa.

*Staple-*

Stapletonus.

Argumentum  
nihil  
respondet.

Primum quid facit hæc conclusio tua, contra argumentum meum. Siue sint alia argumenta firmitiora quam Ecclesiæ autoritas siue non, id ad presentem disputationem nihil pertinet, in qua non de Ecclesiæ autoritate sed de sensu verborum Augustini disputatur, an videlicet ille quum se Ecclesiæ Catholice autoritate commoueri scriberet vt Euangelio crederet, istud dixerit de se tunc Catholico, an de se olim Manichæo. Tu posterus, ego prius affirmo; & vt id probem, pro quinto nunc argumento alium eiusdem Augustini eodem in libro cap. præcedenti locum profero vbi disertissimè dicit, *se tunc Catholicum, propter ipsum Catholice Ecclesiæ nomen & consensum populorum ac gentium in Ecclesiæ gremio teneri.* ex quo infero, in seq. cap. se eodem sensu de se Catholico loquutum esse, quum diceret; *vt Euangelio crederem, Catholica Ecclesia me commouit autoritas.* Huic tu meo argumento, & de re ipsa nihil respondes, sed ad aliam disputationem te conuertis, quæ seu vera seu falsa sit, nostrum tamen argumentum suo semper in robore integrum relinquit. Sed nec disputatio illa tua ex alijs Augustini verbis eodem in loco desumptis aliquid contra Ecclesiæ autoritatem concludit. Dixerat prius, *vt omittam sincerissimam sapientiam quam in Ecclesia esse Catholica vos Manichæi non creditis, multa sunt alia que in eius gremio iustissimè teneant.* Tenet consensus populorum atque gentium, tenet autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post Resurrectionem Dominus comendauit, vsque ad presentem Episcopatum successio sacerdotum. Tenet postremo ipsum Catholice nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cum omnes hæretici se Catholicos dici velint,

In epist.  
fundamē-  
ti cap. 4.  
Christiani  
nominis  
charissima  
vincula.

velint, quarenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam  
 conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel do-  
 mum audeat ostendere. Ista ergo tot & tanta Christiani  
 nominis charissima vincula recte hominem tenent creden-  
 tem in Catholica Ecclesia, etiam si propter nostræ intelli-  
 gentiæ tarditatem vel vitæ meritum veritas nondum se a-  
 pertissimè ostendat. Hic est ille locus ex quo volui  
 ostendere Augustinum vt Catholicum & iam cre-  
 dentem propter Catholicæ Ecclesiæ authoritatem,  
 adeoque propter nomen ipsum Catholicum in Ec-  
 clesiæ gremio teneri, eaque credere quæ credit Ec-  
 clesia, etiamsi omnium quæ credit veritas non  
 statim illucescat. His dictis, verba à te citata sub-  
 iungit. *Apud vos autem (Manichæos) vbi nihil horum  
 est quod me inuitet, ac teneat (sicuti & apud vos hodie  
 Calvinistas, Lutheranos, aliasque nouas sectas ni-  
 hil etiam tale est quod nos inuitet ac teneat) sola*

Hæreticæ  
 prædicatis  
 nulla vni-  
 uersalia.

*personat veritatis pollicitatio (sola apud vos Anglos  
 crudelissimarum legum interminatio & volunta-  
 ris ac mandati Regij, seu ad summum Ordinum  
 regni authoritas popularis personat) quæ quidem si-  
 tam manifesta monstratur, vt in dubium venire non possit,  
 præponenda est omnibus illis rebus quibus in Catholica te-  
 neor* Hic tu inferes velle Augustinum propter constantis-  
 simam doctrinæ veritatem Ecclesiæ nomen & consensum  
 gentium ac populorum deserere. In quo bis mentiris, &  
 Augustini sensum non assequeris. Nec enim Au-  
 gustinus de constantissima doctrinæ veritate loqui-  
 tur, sed de veritate tam manifesta monstrata vt in dubi-  
 um venire non possit, nec propter talem veritatem  
 Ecclesiæ nomen &c. deserere se velle ait, sed tam  
 manifestam veritatem vt in dubium venire non  
 possit, Ecclesiæ nomini &c. præponere se velle ait.  
 Qui autem vnum alteri postponit non statim illud  
 & necessariò deserit. Tu autem vt opinor argento  
 præpo-

VVhite-  
 keri men-  
 dacia.

Ecclesie  
authori-  
tas nun-  
quam de-  
fertur, et  
si aliquid  
ei præpo-  
natur.

De vitio.  
cred. cap.  
11.

Veritas  
constan-  
tissima &  
manife-  
stissima  
differunt.

Vvita-  
kerus Au-  
gustinum  
non intel-  
lexit.

Veritatem  
manifestā

præponis, nec tamen porrecto tibi auro, argentum  
quod habes abijcis. Qui meliorem amicum inferi-  
ori præponit, inferiorem propterea non deserit. Et  
vt de re præsentī loquamur, doctissimi theologi  
qui multorum quæ creduntur certissimas rationes  
tenent, non tamen authoritatem ex qua prius cre-  
diderunt, abijciunt; hoc si facerent, in credentium  
numero habendi non essent. Qui manifestam ve-  
ritatem alicuius dogmatis Christiani tenet ille cer-  
tè delectabilius credit, fidem tamen quæ autho-  
ritate nititur (*quod enim credimus a authoritati, quod intel-  
ligimus rationi debemus* ait idem Augustinus) non  
propterea deserit. Deinde inter constantissimam  
veritatem, & manifestissimam veritatem luculen-  
tum discrimen est. Constantissima enim earum re-  
rum omnium veritas est quæ diuinitus reuelata  
creduntur: Manifesta tamen earundem rerum verita-  
tas, incredulos omnes latet, nec omnibus sed pau-  
cis credentibus patet. *Maximam enim Christianorum  
turbam non intelligendi viuacitas sed credendi simplicitas  
vitam facit*, ait eodem hoc ipso in loco S. Augusti-  
nus. Ita in eius sententia recitanda, bis vt dixi, men-  
titus es.

Nunc vt eius mentem non fueris assequutus,  
ostendam. Concludis Augustinum *plus tribuere veri-  
tati quam Ecclesie iudicio & authoritati*. Quod qui te  
authore credat, mox veritatem se tenere præsumēs,  
sicuti omnis præsumit hæreticus, hanc suam præ-  
sumptam veritatem totius Ecclesie iudicio atque  
authoritati anteponet. Cui hæreticorum insanie  
vt tu faueres, homo ipse hæreticus, hæc Augustini  
verba quum nihil ad argumenti cui respondes so-  
lutionem facerent, prætermittere tamen noluisti.

Sed explicabo tibi Augustini mentem, quam  
tu in peruersum sensum trahere voluisti. Manifeste  
veritati,

veritati, Ecclesiæ Catholicæ nomen &c. cedere <sup>Ecclesiæ</sup>  
 oportere, eo modo dixit Augustinus, quo dixit <sup>authorita-</sup>  
 Apostolus, *etiam si angelus de celo Euangeliset vobis præ-* <sup>ti præpo-</sup>  
*terquam quod accepistis, anathema sit: non quia fieri id* <sup>nendam</sup>  
*posse existimabat vt apud Manichæos hæreticos* <sup>quo sensu</sup>  
*tam manifesta veritas inueniri posset, sed quia si per* <sup>dixit</sup>  
*impossibile hoc fieret, maiorem tamen esse debere* <sup>Augusti-</sup>  
*manifestæ veritatis vim quam auctoritatem prædi-* <sup>nus.</sup>  
*ctam, sicuti accepti Euangelij certitudinem maio-*  
*rem esse voluit Paulus, quam nouam ab Angelo*  
*doctrinam. Et ratio est, quia veritas ipsa auctoritati*  
*vim tribuit simpliciter, non auctoritas veritati nisi* <sup>Veritas &</sup>  
*quoad nos, & secundum quid. Idcirco enim sim-* <sup>authoritas</sup>  
*pliciter veritas auctoritati præponderat. Vbi au-* <sup>quem re-</sup>  
*tem auctoritati infallibiliter veritas est coniuncta,* <sup>spectum</sup>  
*vt Ecclesiæ Catholicæ quæ errare non potest, (nisi* <sup>ad inuicē</sup>  
*symbolum quod credimus erret) pari passu certitu-* <sup>habent.</sup>  
*dinis ambulant auctoritas & veritas, maximè quo-*  
*ad nos.*

Deinde non simpliciter præponit Augustinus  
 toti illi auctoritati quamlibet veritatem sed *tam*  
*manifestam veritatem vt in dubium venire non possit,* quia  
 sanè vbi illa manifesta est, cætera media fidei indu-  
 ctiua consulere amplius non est opus; quæ tamen  
 deserere (vt tu loqueris) aut abijcere est nefas. Sed  
 omnis hæreticorum asserta veritas dubia semper  
 & controuersa est, vt propterea ad illam cauendam,  
 Vincula illa Christiani nominis charissima, vt Augustinus  
 loquitur, nullo modo deserenda sed firmissimè te-  
 nenda sint. Vnde & sic post verba citata concludit  
 Augustinus. *Si autem tantummodo promittitur veritas*  
*(vel vt apud vos hodie præsumitur) & non exhibetur,*  
*nemo me mouebit ab ea fide, quæ animum meum tot & tan-*  
*tis nexibus Christiana religioni astringit. Hæc ille non*  
*minus sapienter quàm salubriter.*

VWhitakerus.

10. Sect.

Postremò hoc tribuit Ecclesiæ Augustinus (inquit Stapletonus) in omnibus locis prius allegatis, vt Canonem scripturæ consignet fidelibus. Ergo loquitur de se fideli ac Catholico. Respondeo primò, hoc pugnare cum ipso Augustino, vt dicat se iam fidelem ac Catholicum non crediturum Euangelio, nisi ob Ecclesiæ \* tantum auctori-  
tatem.

\* Perpetuum es-  
fugium.

Stapletonus

Hic iterum ad antiquum tuum perfugium ac receptaculum, veluti ad notas foueas & cauernas agitata venatu vulpes, recurris, *de Ecclesiæ tantum aucthoritate*. Disputator vanissime, Augustini locus de quo hic agitur, & de cuius sensu nunc disputatur, an aliquid habet *de Ecclesiæ tantum aucthoritate*? An non simpliciter sic se habet? Ego *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ aucthoritas commoueret*? An dicit Ecclesiæ Catholicæ tantum aucthoritas? An aliud nos nunc agimus aut inquirimus, quam de horum verborum sensu? Vt quid ergo fugis ex arena disputator ignaue? Cur quæris latibula? Cur ad antiqua, vnde toties extractus cum ignominia fuisti, perfugia ac diuerticula te conuertis? Scias igitur quicquid ad huius tui diuerticuli probationem attuleris, nihil esse ad rhombum, teque extra chorum saltitare. Audiamus tamen probationem quam adfers.

VWhitakerus.

11. Sect. Ipse enim Augustinus in 14. cap. huius libri, ait: *Nos cum credimus. & fide iam valentiores facti sumus, id quod credimus, intelligere meremur, non iam hominibus, sed ipso Deo intrinsecus mentem nostram firmante atque illuminante.* Fideles \* ergo non tantum propter Ecclesiæ aucthoritatem credunt.

\* Nihil ad  
rhombū.

Staple-

*Stapletonus.*

Hic Augustini locus nihil aliud docet, quam incipiendum esse à fide vt postea intelligamus (quæ disciplina Catholica est) non prius intelligendum vt postea credamus, quæ Manichæorum disciplina vel vanâ potius pollicitatio fuit: Totus Augustini locus inspectus manifestè id docet. Eos, inquit, *relinquamus, qui nos inuitant certa cognoscere & postea imperant, vt incerta credamus, & eos sequamur, qui nos inuitant prius credere, quod nondum valemus intueri, vt ipsa fide valentiores facti, quod credimus, intelligere mereamur: non iam hominibus, sed ipso Deo intrinsecus mentem nostram firmante atque illuminante.* Hæc ille. Docet nos primùm hominum ministerio, Ecclesiæ scilicet, ad fidem induci, non tamen absque spiritu sancto intus quoque docente; sed initia fidei ab Ecclesiæ testimonio accipienda sunt: Iam autem credentes merito & beneficio fidei, valentiores & magis perspicaces esse ad ea intelligenda quæ credimus. Quem sanè intellectum magis perspicuum & clarum eorum quæ credimus, ipse Deus absque hominum doctrina & prædicatione frequenter suppeditat, quasi merito fidei, vt alibi ex Augustino explicatum est, mentem animumque nostrum in ijs quæ sunt fidei *firmans atque illuminans*, id est, fidei nostræ firmitatem adaugens, & fidei lumen maius infundens. Non hæc ergo ad ipsam fidem, sed ad intellectum eorum, quæ fides tenet pertinent. Nec hic negat Augustinus propter Ecclesiæ authoritatem seu solam seu cum Spiritu Dei coniunctam homines credere, sed docet homines iam credentes à Deo firmari atque illuminari, vt quod credant, intelligant. His etiam Augustini verbis Calvinus tuus hac ipsa in causa similiter abusus est, quem tu cæcum cæcus sequutus es, ambo-

Fidei initium ab Ecclesiæ voce accipiendum.

Instit. lib. 1. c. 7.

que in erroris foueam incidistis.

EXCOP.

VWhitakerus.

11. Sect.  
Nihil ad  
rhombū.

Secundò, dico hoc etiam cum ipsa ratione prægnare. Omnes enim fideles Spiritu sancto præditi sunt: eius autem maior est autoritas quàm Ecclesiæ. Igitur non est dubitandum quin eius potius quàm Ecclesiæ autoritate in vera fide teneatur.

Stapletonus.

Secunda quoque hæc tua responsio extra chorum saltitat. Non enim hic disputatur, an tantum propter Ecclesiæ autoritatem, an magis propter Spiritus sancti internam persuasionem fideles credant, de qua re tota suis in locis superius affatim disputatum est; sed an Augustinus propter ipsius Ecclesiæ autoritatem seu solam seu cum diuini Spiritus interna persuasionem coniunctam (de quo quis dubitare potest?) seu præcipuè seu secundariò Euangelio crediderit, & credere se professus fuerit in verbis ex eo citatis, de quorum nunc sensu agitur, crediderit inquam nunc Catholicus an olim Manichæus. Hæc est huius loci disputatio; quam tu totis viribus fugiens, & postremo meo ac sexto argumento nihil profus respondens, ad aliam te quæstionem conuertis, longa iam & varia disputatione ab utroq; nostrum agitatam atq; discussam. Hoc facit tuæ causæ miseria & turpitude, vt ab vna materia ad aliam profugias, quia de præsentia materia quod responderes, miser & inops non habebas.

VWhitakeri miseria ignauia

VWhitakerus.

13. Sect.  
Sibi contradicit.

Tertiò. Quid si fateamur fideles etiam Ecclesiæ autoritate commoueri vt scripturas recipiant?

Stapletonus.

Et tu nunc hoc in dubium vocas, qui præced. capite hæc verba dixisti? *Hæc ratio apud omnes vel pessimos homines maximi momenti & ponderis fuit. Ecclesiæ iudi-*

*si iudicauit semper hos libros esse Canonicos: ergo tu non debes eos reijcere nec de illis dubitare, Sanè impudentem esse oportet, qui hoc argumento non moueatur. Et rursùm paulò superius cap. 6. huius disputationis seu quæstionis tuæ. Quis tam audax atque impudens est, quem non Ecclesiæ Catholicæ authoritas magnopere permoueat? Quomodo ergo nunc id in dubium vocas, quod antea tam constanter asseruisti? Quomodo nunc dicis, Quid si fateamur fideles Ecclesiæ authoritate commoueri, qui antea fortissimè dixisti; Quis tam audax atque impudens est, quem non Ecclesiæ Catholicæ authoritas magnopere commoueat? An fortè solos fideles audaces & impudentes esse vis? Amice, mendacem oportet esse memorem.*

*VWhitakerus.*

Non tamen inde sequitur, eos hoc modo pe- 14 Sect.  
Perpetuū  
effugium.  
nitus persuaderi, aut nulla alia fortioreque ratio-  
ne duci.

*Stapletonus.*

In eadem semper chorda oberras, & eundem semper voluis lapidem, quasi hic quæreretur, an nulla alia aut nulla fortior persuadendi ratio esset quàm Ecclesiæ authoritas, quum illud nec hoc loco nec in tota disputatione ista à me quem tibi aduersarium delegisti, in dubium vocatum fuerit.

*VWhitakerus.*

Quis autem Christianus est, quem Ecclesiæ 15. Sect.  
Scipsum  
confutat.  
Christi commendans scripturâ Christi non com-  
moueat?

*Stapletonus.*

Quæ ergo hætenus dementia tua fuit, tam pertinaciter negare, Augustinum de se Christiano & Catholico loquutum fuisse, cum diceret, *Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ authoritas commoueret?* Cur tam longa disputatione contendis

cum de se olim Manichæo, non de se tunc Catho-  
lico ista dixisse, quum nunc ingenuè fatearis nemi-  
nem Christianū esse, quem Ecclesia Christi cōmen-  
dans scripturam Christi non commoueat? An alios  
omnes Christianos Ecclesiæ commendatio mouere  
debit, solum Augustinum commouere non po-  
tuit? Vides disputator absurde, quò tandem relabe-  
ris, vt aliquid demum respondisse videaris.

*VWhitakerus.*

16. Sect.  
Nihil ad  
rhōbum.

\* Simile  
parū aptū.

\* Impiū &  
Pelagianū  
\* Falsum.

Aliud est commoueri, aliud persuaderi. Fœmina  
illa Samaritana cuius mentio fit Ioan. 4. suo de  
Christo testimonio multos è ciuibus suis commo-  
uebat & excitabat, vt ad Christum confluerent,  
eumque docentem placidè libenterque audirent.  
At iidem postea, cum Christum audiissent, dix-  
erunt fœminæ, iam non credimus propter tuam lo-  
quelam, sed quia ipsi audiimus, & nouimus hunc  
esse verè seruatorē illum mundi Christum.\* Sic Ec-  
clesiæ auctoritas potest nos commouere, vt scri-  
pturas agnoscamus. Postea verò cum scripturas ipsi  
legimus, ac intelligimus, tum veram fidem con-  
cipimus, & credimus quidem,\* non quia Ecclesia  
credendum esse iudicat, sed cum ob alia multa cer-  
tiora argumenta, tum propter hoc potissimū, quod  
Spiritus sanctus nobis intus has esse Dei voces per-  
suadeat.

*Stapletonus.*

Tota hæc tua responsio nihil ad rhombum. Nō  
hic quæritur an Augustinus in illis verbis (quorum  
hic pertractatio agitur) *Ego Euangelio non crederem,*  
*nisi me Ecclesiæ Catholice auctoritas commoueret*, autho-  
ritate Ecclesiæ persuasus fuerit, sed an ea vt iam fi-  
delis commotus fuerit. Tu aliò te conuertis, & do-  
cere vis Ecclesiæ auctoritate homines commoueri  
quidem sed non persuaderi, quod siue verum siue  
falsum



472 AVTHOR. ECCLESIAST.  
lico latius hunc locum tractauimus. Illic plura vi-  
dere licet si libeat.

Samarita-  
nz exem-  
pli qua-  
tenus cō-  
ueniāt.

Fœmina tua Samaritana causam tuam nihil iu-  
uat. Non enim eius testimonium erat Ecclesiæ te-  
stimonium, nec auctoritatem illa habebat prædi-  
candi & testificandi sicut habet Ecclesia. Quare eius  
exemplum ad hanc rem idoneum non est, vt pro-  
bet videlicet Ecclesiam nihil persuadere, aut nul-  
lam persuadendi auctoritatem habere. In eo sanè  
hoc exemplum cōuenit, vt doceat præter externum  
Ecclesiæ testimonium, internam diuini Spiritus o-  
perationem accedere oportere; eamq; tantam esse,  
vt formalis ratio credendi illa potius sit quàm vox  
Ecclesiæ, quod & nos in hoc opere quod impugnās  
eodem prolato exemplo, studiosè comprobauimus:  
quæ si tu aduertisses, mecum hac de re vnum ver-  
bum non commutasses.

Lib. 8. c.  
22.

Vnum adhuc est quod in hac responsione tua  
absurdissimè dicis. Ais *Ecclesiæ auctoritatem nos com-  
mouere, vt scripturas agnoscamus; postea verò cum scri-  
pturas ipsi legimus ac intelligimus, tum veram fidem con-  
cipimus.* Quid tu narras? Lectis ac intellectis scriptu-  
ris, tum demum veram fidem de scripturis concipi-  
mus, easque diuinas esse scripturas credimus? At  
vide quot quantaque absurda hinc consequuntur.  
Primùm hac sanè ratione intelligi scripturæ absque  
fide & absque Spiritu sancto possunt. Dicis enim  
illis intellectis, tum demum veram fidem concipi.  
Ergo ante fidem & absque fide intelligi eas posse af-  
firmas. Hoc si tibi absurdum non videtur, plusquàm  
Pelagianus eris. Quis enim dubitat ad intelligen-  
das scripturas non secus Dei gratia opus esse, quam  
ad faciendum opus bonum? Deinde hac ratione  
scripturæ prius intelliguntur, postea creduntur: &  
sic alter Manichæus eris qui prius voluit omnia in-  
telligi

intelligi quàm credi; nec iam *fides præcedet intellectum* De verb. Domin. serm. 5.  
 ut sit *intellectus fidei præmium*, quod Augustinus docet, sed *intellectus præcedet fidem*, ut sit *fides intelligentiæ præmium*, quod VVhitakerus ait. Tertio ex Ecclesiæ prædicatione & testificatione nulla fides concipietur, contra Apostolum disertissime dicentem, *quomodo credent ei quem non audierunt, quomodo audient sine prædicante?* Rom. 10. Nec iam *fides erit ex auditu prædicantis Ecclesiæ*, sed ex intellectu lectionis priuatæ. Hæc tu absurda committis, & his te erroribus inuoluis, dum futes tuas & impertinentes responsiones ineptè multiplicas.

VVhitakerus.

Sed quia hoc testimonium Augustini, à Stapletono tam vehementer vrgetur, eum alij Papistæ, quàm id parum pro perpetua Ecclesiæ authoritate valeat, facile aut docebunt aut monebunt. Dico in lib. 4. cap. 4. Augustinum de Ecclesia primitiua Apostolorum loqui his verbis statuit. Nam si nunc Augustinus viueret, atque de Ecclesia loqueretur, qualis nunc est, sic potius diceret. *Ego huius Ecclesiæ homines non agnoscerem esse Ecclesiam Christianam, nisi docerent me quatuor Euangeliorum anthoritates.* Quare non nunc creditur Euangelio propter Ecclesiam; sed contrà Ecclesiæ propter Euangelium. Vnde quoq; esse Ecclesiæ verissimam notâ Euangelium sequitur.

Stapletonus.

Quod impijs Iudæis Christus dixit, *vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere*; ille homicida erat ab initio & in veritate non stetit; quia non est veritas in eo: cum loquitur mendacium ex proprijs loquitur: quia mendax est & pater eius, id est, mendacij; hoc totum ut omnibus huius ætatis hæreticis scriptoribus, ita & tibi VVhitakere dicendum est, qui ad

tot tua mendacia hæcenus à me notata, istud quoq; luculentissimū & cote dignum adijcere voluisti. Verè te filium diaboli esse, & desideria patris tui facere velle, id est, homicidā animarū esse (sicut ille ab initio vno puro mendacio primam parentē nostram occidit, dicens, *Nequaquam moriemini*) ita toties mētiendo ostēdis. Vis alios Cathol. scriptores cōtra meā sententiā proferre; & cum duos tantum proferas, in primo luculēter mētiris, in secundo quia nisi scripta dictata profers, etiam si mentiri te dicamus, dices tuū manuscriptū exēplar aliud habere. Sed quia primus tuus author excusus extat, & omnium manibus teripoteſt, ab illo tuo mendacio excusari non poteris. Citas Ioannem Driedonem quasi de hoc loco Augustini diuerſa à me sentientem, simulq; docentem quā parum hic locus pro perpetua Ecclesiæ autoritate valeat: Deinde quædam eius verba profers. Aio te in his omnibus mentiri. Primum quid ille de hoc Augustini loco censeat, hæc eius verba manifestum faciunt. *Manifestum est igitur (inquit) Christi Ecclesiam esse antiquiorem scripturis Apostolicis, atq; Evangeliorum libris: easdemque scripturas non esse factas nobis authenticas sine autoritate Ecclesiæ testificantis.* Hæc ille. Et rursum pag. seq. August. cum dicit, *Ego Evangelio non credere, nisi me Ecclesiæ cōmoueret autoritas,* intelligit de Ecclesia Cathol. quæ fuit ab initio Christianæ fidei secundam seriem successionis Episcoporum crescēs, ad hæc vsq; tempora. Paulò post sequuntur verba à te mutilatè & falsò prolata. *De Ecclesia quæ nunc est, intelligendo eā, ut precisam, seu abstractā, seu nudam, & absque coherentia in fide & moribus cum Ecclesiis quæ fuerāt in prioribus seculis, diceret August. Ego huius Ecclesiæ homines non agnoscerem esse Ecclesiam Christi, nisi doceret me quatuor Evangeliorum autoritas; ego Ecclesiæ non credere si aliud Euangeliū nobis*

Lib. 4. e.  
4 pag. 563

Driedo-  
nis vera  
sententia  
nostra  
cōformis.

Euange-

*Euangelisaret, si Apostolorum doctrinas non doceret. Quem-  
admodum ait Paulus, etiam si nos ipsi aut Angelus de celo  
Euangelisauerit vobis præterquam quod accepistis, anathe-  
ma sit.* Hæc Driedo. Docet Ecclesiam Catholicam  
de qua loquitur Augustinus esse Ecclesiam omni-  
um temporum non suæ ætatis tantum. Docet sen-  
tentiam Augustini esse, absque illius Ecclesiæ au-  
thoritate scripturas nobis authenticas factas non  
esse. An hoc diuersum à nostra sententia est? An  
non idem prorsus nobiscum docet?

Sed nunc vide quàm plagiararia fraude verba il-  
lius authoris peruertisti & corrupisti, vt falsam & à  
mente eius alienissimam ex eo conclusionem tra-  
heres. Pro eo quod Driedo dicit, *De Ecclesia qua nunc* Corruptio  
sententiæ  
Driedo-  
nis.  
*est, intelligendo eam vt præcisam seu abstractam seu nu-  
dam & absque coherencia in fide & moribus cum Ecclesijs  
que fuerunt in prioribus seculis, diceret Augustinus &c. tu  
ais & mentiris eum sic dicere. Si nunc Augustinus vi-  
ueret, atque de Ecclesia loqueretur qualis nunc est, sic potius  
diceret &c.* Ille explicationis causa intelligendo ab-  
strahit Ecclesiam præsentem ab Ecclesijs priorum  
seculorum, & fingit carere coherencia in fide &  
moribus cum huiusmodi antiquioribus Ecclesijs,  
ponit inquam ista intelligendo & fingit maioris  
explicationis causa, sicut dialectici vt primam sub-  
stantiam ab accidente distinguant ponunt & fin-  
gunt primam substantiam illam esse quæ per se sub-  
sistit, nullo vestita accidente, etsi non existat vlla  
prima & indiuidua substantia absque aliquo acci-  
dente; tu vero ponis in facto quod ille fingit, &  
quod ille solum abstrahendo intelligit, tu compo-  
nis vt rem sic existentem dicens, *Si Augustinus de Ec-  
clesia loqueretur qualis nunc est, quasi hoc Driedo dice-  
re vellet, Ecclesiam nunc esse abstractam & præci-  
sam ab Ecclesijs priorum seculorum absque cohæ-  
rentia*

rentia in fide & moribus cum illis; ideoque non ab eius nunc auctoritate cognosci scripturas, sed ex scripturis cognosci debere quæ sit Ecclesia. Istud verò nullo modo Driedo dixit aut sentit: quod quidē manifestissimè verba eius subsequenter docent, vbi se ita loqui sicut Apostolus ad Galatas de seipso & de Angelo loquitur affirmat. Nè pe ponendo per impossibile quòd Ecclesia præsens abstraheretur in fide & moribus ab Ecclesia maiorum suorum, certe tunc non ab Ecclesia scripturarum certitudo, sed à scripturis Ecclesia ipsa cognosci deberet: sicuti ponendo per impossibile quòd Angelus de cælo vel Paulus ipse aliud Euangelisaret præterquam quod fideles accepissent, profectò Paulus ipse & Angelus ille anathema essent. Nunc autem si quis hæc Pauli ad Galatas verba sic referret. Si Christus nunc in terris viueret & de Paulo loqueretur qualis nunc est, aliud videlicet Euangelisans præterquam quod accepimus, profectò ipsi Paulo anathema diceret. nonne tibi Whitakere impiè & sceleratè contra Paulum fingere & comminisci videretur? Planè sic tu contra Ecclesiam præsentem impiè fingis & comminisceris, quum dicis, *si Augustinus loqueretur de Ecclesia qualis uunc est*, occasione capta ex verbis Driedonis qui intelligendo tantum abstrahit & fingit, quod tu in factò ponis.

Conclusio igitur quam tu ex verbis Driedonis infers. *Quare nunc non creditur Euangelio propter Ecclesiam, sed contra*, tui male sanicerebri conclusio est, non Driedonis; ex quo istud tantum rectè concludi potest. Si Ecclesia præsens abstraheretur ab antiqua Ecclesia absque cohærentia in fide & moribus, tunc non crederetur Euangelio propter talem Ecclesiam sed contra. An ex Pauli verbis ad Galatas iam citatis esset hæc bona conclusio, Ergo nunc non

Whitakeri conclusio D. Paulo citat anathema.

non creditur Euangelio propter Paulum, sed contra Paulo propter Euangelium? An inquam propter verba illa hyporhetica, *si nos ipsi Euangelisaremus Gal. 1. vobis praterquam quod accepistis, anathema nobis*, concludes statim; Anathema Paulo? Planè sic tu hoc loco concludis. Driedo vt totius Ecclesiæ perpetuam vnitatem ostenderet, & totius Ecclesiæ auctoritatem illam esse quæ ad credendum scripturis nos commouet, abstrahit intelligendo præsentem Ecclesiã ab antiqua, & sic abstrahendo, ponit à sic abstracta ac seorsim accepta Ecclesia, abstracta inquam à cohærentia fidei & c. auctoritatẽ cognoscẽdi ac discernendi scripturas accipiendã non esse. Reuera enim talis Eccles. nulla esset Eccles. Christi sicuti Paulus aliud Euangelisans quam fideles acceperant, non esset Apostolus Christi. Sed neque Paulus sic à Christo electus potuit aliud Euangelisare quã par erat, neque (& multò quidem minus) Ecclesia præsens vel cuiuscunque ætatis, tota inquam & Catholica alicuius temporis Ecclesia potest abstrahi à cohærentia in fide & moribus ab Ecclesia antiqua, propter infallibilẽ Christi promissionem, *Porta inferi non præualebunt aduersus eam*, aliaque multa quæ in hoc Opere quod tu impugnastis & copiosè deduximus. Tamen sicut Paulus de seipso illud dixit vt acceptæ semel fidei firmitatem ostenderet, non vt suam instabilitatem aut errorem possibilẽ insinuatet, sic Driedo de præsentis Ecclesiæ hoc dixit, vt antiquæ Ecclesiæ firmitatem infallibilem doceret, non vt præsentis Ecclesiæ mutabilitatem & errorem vniuersalem possibilem persuaderet. Sic tu authores etiam modernos quos citas, aut non intelligis Doctor indoctus, aut studiosè corrumpis professor indignus, & præuaricator potius sacræ veritatis quàm eius professor legitimus.

*VWhitakerus.*

18. Sect.

\*Scipsum  
augulat.

\*Perpe-  
rnam ef-  
fugium &  
nihil ad  
rhombū.

Bellarminus ipse in dictatis manuscriptis in Aquinatis secundam secundæ quest. 1. art. dub. 1. docet Augustinum loqui de Ecclesia, vt de causa proponente, non vt de primo fundamento fidei. Non enim Enāgelio crederemus, nisi Ecclesia Catholica illud proponeret: quod sanè verum est. \*Nam nisi Ecclesia nobis libros sacros commendaret, atque ad fontes ipsos veritatis diuinæ, nos quasi manu deduceret, nunquam ex obscurissimis tenebris errorum emergeremus. Sed num proinde sequitur, \*non aliter libros apocryphos à Canonicis distingui, quàm per solam Ecclesiæ autoritatem? Atque de sexto hoc argumento non est quod plura dicamus.

*Stapletonus.*

Ecclesiæ  
authoritas  
infallibilis  
et aduer-  
sarij con-  
fessione  
probatur.

Bellarmini verba nihil contra nos faciunt; Imò vt tu ea ipsa tractasti & latius deduxisti, plurimum pro nobis faciunt. Agnoscis enim iam Ecclesiæ partes esse, vt proponat nobis quod credendum est! Ad- dis, nisi Ecclesia ad fontes veritatis diuinæ nos manu deduceret, nunquam ex tenebris errorum emergeremus. Est ergo Ecclesiæ proponentis doctrina & prædicatio, tua ipsius confessione, necessaria. Iam quæro ab te, an Ecclesia in proponendo veritates fidei possit errare an non? Si errare posse dixeris, non per eius manu ductionem è tenebris errorum emergeremus quod tu dixisti; sed in ipsis errorum tenebris magna hac Ecclesiæ autoritate magis confirmabimur altiusque immergemur, quod nisi impiè dici non potest. Si in proponendo errare non potest, sed libros sacros nobis commendâdo, & ad fontes istos veritatis diuinæ nos deducendo, infallibilem habet non errandi facultatem, & infallibiliter atque absque errore nos deducit, planè contra te concluditur, & quidem firmissimè; S. Scripturæ libros Ca-

nonicos

nonicos ab Ecclesiæ authoritate accipimus, & ut has esse scripturas Canonicas certò credimus, Ecclesiæ authoritas fecit. Quo enim infallibiliter nos docente aliquid credimus, eius haud dubiè authoritate credimus.

His accedit quod Ecclesia non proponit tantum idque infallibiliter, quasi certa veritatis magistra; sed etiam cum summa authoritate prædicat, ad hoc à Deo missa, quasi legitima & necessariò atque obedienter audienda veritatis magistra. Ac deum non prædicat tantum atque annuntiat, cum potestate prædicandi legitima, ne alienum à se munus usurpare videatur, sed prædicat veritatem, ut testis ipsius veritatis à Deo constituta, & ad testificandum missa, ut eius videlicet testimonio tãquam infallibili atque diuino credendum sit. Hæc omnia (quæ in superiori hac disputatione nostra ex varijs scripturis confirmauimus) maximam Catholicæ Ecclesiæ authoritatem, ut in alijs fidei dogmatibus ita in sacris & Canonicis scripturarum libris certò cognoscendis, manifestè demonstrant.

At enim non sequitur, inquis, non aliter hoc fieri quam per solam Ecclesiæ authoritatem. Hæc est tua perpetua & nugatoria exceptio, quam in præcedentibus satis superque refutauimus. Ecclesiæ authoritatem legitimè commendamus etsi non solam. Necessitatem huius authoritatis docemus, nõ perfectionem. Quum Paulus & Barnabas perambularent Ecclesias, docentes custodire præcepta Apostolorum & Seniorum, quum ipsi quoque Apostoli in epistola sua dicerent. Visum est nihil aliud vobis imponere quam hæc necessaria, & rursum, quidam exierunt ex nobis turbantes vos, quibus non mandauimus; in his sanè omnibus magna Apostolorum & Seniorum authoritas commendatur. Nam & præcepta eorum iubentur seruari, & ipsi imponunt

Authori-  
tatis Ec-  
clesiasticæ  
necessitas  
docetur.  
non per-  
fectio.  
Act. 15.  
& 16.

Ecclesiæ  
authoritas  
vera est,  
etsi non  
solo nec  
unica.

nunt quædam ab alijs obseruanda, & seditiosi magistri taxantur quod absque Apostolorum mandato turbauerint fideles. Iam rogo te VWhitakere, an eõtra hæc omnia hæc sit iusta exceptio. Atqui non propter solam Apostolorum & Seniorum auctoritatem fideles obedire debebant, aut etiam poterant. Nam nec absque Dei auctoritate Apostolis communicata obedire debuissent, nec absq; diuini spiritus assistentia obedire poterant, quum seruare Apostolorum mandata sit actus pietatis, non secus quam credere Apostolorum prædicationi. Sed quid? An quia hæc vera sunt, & quia Apostolorum auctoritas sola non erat, ideo Apostolorum auctoritas vera non erat? ideo contra eam licebit excipere, & iuxta perpetuam tuam cantilenam dicere, Num ergo sequitur propter solam Apostolorum auctoritatem posse aut debere fideles obedire? An hæc exceptio vana ac friuola, imò seditiosa & impia (vt quæ ab Apostolorum obedientia fideles retraheret) meritò iudicanda non est? Sic omnino vana ac friuola, seditiosa & impia hæc tua perpetua exceptio est, vtpote quæ sub prætextu persuasionis internæ per Spiritum S. quã nemo negat, imò quam diserte, profitemur & studiosè docemus, retrahit fideles ab Ecclesiæ obedientia & reuerentia; hæc inquam tua exceptio, Non propter solam Ecclesiæ auctoritatem hoc credimus. Vides nunc paulò apertius, & nisi pertinax hæreticus esse velis, perspicue vides Ecclesiæ auctoritatem ex eo nihil infirmari, quod non sola commoueat, nec sola persuadeat, quia in suo genere, & vt causa externa (qualis causa Apostolorum ipsorum prædicatione fuit) maxime cõmouet & maxime persuadet: vt meritò ac grauissimè dixerit Augustinus, idque de se iam fidei atque Catholico dixerit. *Ego Euangelio non crederem*

*deremissime Catholica Ecclesiæ autoritas commoueret.*  
 Atque hæc non de sexto nostro argumento vt tu  
 ineptissimè loqueris, sed de sensu verborum Augu-  
 stini, sic dicta sunt, vt plura dicere non sit opus.

DE ALIORVM PA-  
 TRVM TESTIMONIIS  
 PRO ECCLESIAE AVTHORITATE IN  
 consignandis Scripturis.

CAPVT. IX.

*VWhitakerus.*

SEPTIMUM argumentum habetur lib. 9.  
 Cap. 10. vbi alios Patres adiungit Augustino,  
 vt probet Canonem scripturæ esse Ecclesiæ autho-  
 ritate consignandum. Sed illi omnes Patres num  
 quid aliud probant, quàm scripturam recipendam *I. Sect.*  
 esse, quia ab Ecclesia semper recepta est, & quos-  
 dam libros rejiciendos esse, quia Ecclesia semper  
 reiecit. At hoc quidem nos libentissimè fatemur.  
 Concedimus enim Ecclesiæ autoritatem vnum  
 quidem esse, idque bonum argumentum; sed non  
 continuo sequitur aut hoc esse \*vnicum argumen-  
 tum, aut totam hanc causam ex Ecclesiæ autho-  
 ritate pendere. Possem ergo ista omnia testimonia  
 contemnere ac præterire tanquam aliena. *\*Perpe-  
 tuum  
 effugium.*

*Stapletonus.*

Possem & ego iustissimè totam huius capituli  
 disputationem tuam penitus contemnere ac præ-  
 terire tãquam alienam, & nihil ad rem facientem.  
 Quid enim ego aliud ex istis testimonijs quero aut

bare intendo, quam scripturam recipiendam esse, quia ab Ecclesia recepta est, & Ecclesiae auctoritatem vnum esse idque bonum argumentum, quod totum hic tu concedis, atque adeo libentissime fateri te ais. Nempe hoc caput est praecedentis assertionis cap. 8. positae confirmatio, in quo ut supra ex Augustini varijs testimonijs, sic nunc ex alijs Patribus probare contendo, *Repudiantibus haereticis aliquam diuinam scripturam partem, aut de libro aliquo Canonico controuersiam mouentibus, ex Ecclesia auctoritate & traditione refelluntur.* Haec est assertio ad verbum, quam ut antea ex Augustino, sic nunc ex alijs Patribus confirmare volo. Iam tu concedis hoc argumentum ab Ecclesiae auctoritate bonum esse. Concedis scripturas recipiendas esse, quia ab Ecclesia receptae sunt: alios item libros reiiciendos esse, quia ab Ecclesia reiecti sunt. Istud totum quum tu concedas, nec ego aliud probare contendo, nonne iustissime possem quae postea addis contemnere & praeterire, ut prorsus aliena? Ut prorsus dico aliena, quia exceptio quam adiungis, & qua sola vis euadere, omniaque Patrum testimonia eludere, non est assertio mea sed fictio tua: non est argumentum meum sed mendacium tuum. Haec inquam exceptio qua dicis. *Sed non continuo sequitur aut hoc esse vnicum argumentum, aut totam hanc causam ab Ecclesiae testimonio pendere.*

Solam  
Ecclesiae  
authori-  
tatem no-  
tuiffe as-  
sertam.

1.

2.

Stultissime sophista, an ego vnquam dixi aut dicere potui, hoc esse vnicum argumentum, qui in proximo capite aliud argumentum adfero de regula fidei, quod est distinctum ab Ecclesiae auctoritate argumentum, ut ipsemet postea fateris? An ego vnquam dixi aut dicere potui totam hanc causam ab Ecclesiae auctoritate pendere, qui in eodem opere quod tu impugnas, per multa capita, contra-

rium

rum docui, & adeò totum ab Ecclesiæ authoritate non pendere demonstraui, vt & absque externo testimonio sola diuini Spiritus interna persuasio fidem possit animis hominum ingenerare? & præterea quando Ecclesiæ testimonium & authoritas accedit, fidei tamen nostræ formalem rationem non Ecclesiæ vocem, sed Deum intus loquentem esse studiosè probaui. Prorsus ergo futiliter & ineptè, & vt aduersarius ignauus qui quod ad rem respondeat non habet, de vnico & solo ab Ecclesiæ authoritate argumento, hoc loco excipis. Sed age. *Quum possis (vt dicis) mea omnia hoc loco contemnerè & præterire, cur hoc non facis?*

*VWhitakerus.*

Sed ea tamen paucis attingam \*ne de industria aliquid prætermisisse videar.

*Stapletonus.*

Ridiculum caput. Ne de industria aliquid prætermisisse videaris, ista debes attingere? Quid? Hactenus ergo nihil de industria prætermisisti? Hactenus omnia Patrum testimonia à me prolata, Hactenus omnia verba disputationis meæ bona fide & integrè protulisti? In proximo præcedenti cap. 9. non nisi mediam partem eorum quæ dixi attigisti, & Caluini tui luculentam quandam refutationem de industria prætermisisti. In cap. 8. ex tot Augustini locis, in quibus citandis, vt ipsemet fatebaris, *multus fui*, non nisi vnum attigisti, quem luculentissimum atque acerrimum vocasti, vt delectus tuus laudaretur, quum tamen alia testimonia quæ prætermisisti, non minus fuerint luculenta. In refutatione cap. 7. vnum tantum Augustini & alterum Eusebii locum tibi refutandum sumpisti, quum in eo capite tum ex ipso Augustino atque Eusebio plura, tum ex Athanasio, Tertullia-

2. Sect.  
\* Mendacium hypocriticum.

VWhitakerus quæ multa prætermisit, qui se nihil prætermisurum iactat.

no, D. Hieronymo, & ex Nicæna Synodo 2. testimoni-  
 a protulerim, quæ altissimo silentio in-  
 uoluisti. Porro in refutatione tua cap. 6. an nihil  
 prætermiseris, tua illic verba docebunt. Sic ibi ais.  
*Citat deinceps Stapletonus multa Patrum testimonia, è qui-  
 bus ego tria tantum, quæ sunt præcipua, examinabo: aliena  
 præmittam.* Quid mi VWhitaker? In hoc capite  
 nihil de industria prætermisisti? At *aliena*, inquis,  
 fuerint. Verùm & hic diciste te posse hic *omnia præ-  
 termittere tanquam aliena.* Cæterum in defensione  
 nostra ostendi illa testimonia quæ prætermisisti  
 non magis fuisse aliena, quàm quæ attigisti. In  
 responsione tua ad capit. 5. non nisi quartam par-  
 tem eorum quæ scripsi attigisti; reliqua omnia  
 prætermisisti. In responsione tua ad cap. 4. etsi il-  
 lic copiosissimus fuisti, non tamen omnia attigisti.  
 Denique in nullo adhuc capite quod tibi refutan-  
 dum sumpisti, mea verba integrè ac fideliter po-  
 suisti, vt suis in locis ostendi. Postremò nec in hoc  
 ipso capite omnia posuisti, sed multa prætermisi-  
 sti vt mox ostendetur. Et tamen nunc homo reli-  
 giosus dicis. *Possem ista omnia contemnere atque relin-  
 quere tanquam aliena: ea tamen paucis attingam ne de in-  
 dustria aliquid prætermisisse videar.* Sed hoc est quod  
 Apostolus de hæreticis, id est, de te tuique simili-  
 bus prædixit, futuros illos *homines in hypocrisi loquen-  
 tes mendacia.* Hic enim non mendacium tantum,  
 sed hypocriticum mendacium, idemque crassissi-  
 mum loquutus es.

VWhitakerus.

3. Sect.

Testimonia quæ hoc capite adducit Stapleto-  
 nus, numero quinque sunt: nempe Theodoret, Tertulliani, Irenæi, Concilij Toletani, & Serapio-  
 nis Antiocheni Episcopi, de quibus singulis breui-  
 ter respondeamus. Theodoret. in argum. in epist.

ad

ad Hebræos contra Arianos, qui illius epistolam negabant, in hunc modum scribit. *Oportebat ipsos etsi nihil aliud, temporis quidem certè diuturnitatem reuereri, quo hanc epistolam in Ecclesijs perpetuò legerant veritatis alumni.* Respondeo. Quid hoc quæso ad \* nos? \* Ridiculum. Nihil planè. Nos enim hanc epistolam omni reuerentia complectendam esse, & argumento ab antiquitate ducto, aduersarios premi coercerique posse concedimus. \* Scisum ingulat.

*Stapletonus.*

Si hoc testimonium Theodoretii nihil ad vos, bone VWhitakere, si vos hanc epistolam omni reuerentia cõplectimini, &c. patere me tamè quæso propter alios hoc notare, qui & olim & hodie hanc epistolam reiecerunt, aut certè non debita reuerentia complexi sunt. Tuus perfectò Lutherus disertè scripsit hanc epistolam ad Hebræos *durum habere nodum*, capit. 6. videlicet, vbi de graui statu relapsorum post baptismum agitur. Magdeburgenses Centuriastæ boni & rigidi Lutherani hanc epistolam ad Hebræos quibus possunt argumentis conuellunt, ne Apostoli esse videatur. Centu. 1. lib. 2. cap. 4. pag. 55. An ego propter te VWhitakere tuosve sodales solos Calvinistas hunc librum de princip. fid. doctrinal. scripsi. Scripsi quidem illum contra hæreticos, non vnus tantum aut alterius, sed cuiusuis sectæ. Deinde si tu argumento ab antiquitate ducto aduersarios premi & coerceri posse concedis, quare te ipsum eodem premi & coerceri non vides, temporisque diuturnitatem & antiquitatem æquè non reuereris in libris Machabæorum, Tobix, Iudith, Hester, atque in epistola ad Hebræos? Nam & in illis libris temporis diuturnitatem reuereri te oportebat, quo in Ecclesijs Catholicis perpetuò lecti sunt. Hos tamè

libros, & tantam antiquitatē tu nihil reueritus, eos planē è numero Canoniorum librorum reijciendos censes. Prorsus igitur & te hoc antiquitatis testimonium premit atque coerces. Prorsus tuo te gladio Athleta fortis iugulasti.

*VWhitakerus.*

*A. Sect.*  
\* Antiquum est fugium.

Sed num quæso Theodoretus scripsit, \* nihil aliud huic Epistolæ authoritatē conciliare præter ipsam temporis antiquitatem? Minimè quidem, sed potius contrario planē modo, vt ex eius verbis patet. Ait enim, *etsi nihil aliud esset*, ipsa temporis diuturnitate eos moueri debere: Ergo alia fuisse argumenta innuit præter antiquitatem temporis, quibus huius Epistolæ authoritas confirmari possit. At fuit quidem inter hæc alia argumenta præcipuum procul dubio ipsa Epistolæ doctrina, quam " Ecclesia per Spiritum sanctum agnoscit.

o Seipsum contutat.  
\* Contra dicit sibi ipsi.  
\* Confirmatur nō diluitur.

Quæ \* enim alia afferri possunt? Sic ergo hoc primum quod Stapletonus affert testimonium facile ac nullo penē negotio " diluitur.

*Stapletonus.*

Virum te præstitisti, & egregiè diluisti testimonium Theodoreti à me allatum Doctor indocte. Testimonium concedis esse verum, & te quoque antiquitatem Ecclesiasticam ad scripturas cognoscendas venerari profiteris. Hoc & nihil aliud Theodoreti testimonium postulat. Hoc & nihil aliud in Theodoreti testimonio ego postulavi. An non egregiè diluisti, & quidem facile ac penē nullo negotio? Quidni verò omnia quæcunque argumenta prolata eadem facilitate dilueris? Quid enim facilius quàm totum concedere quod aduersarius adfert? Sed an hoc diluere vocas? An non potius confirmare est, & annuere, ac roborare quod allatum est? Planē hoc primum testimonium non diluisti.

luisi, sed confirmasti, id totum concedens quod intentum fuit. Nihilominus contra hæreticos & (si re in eorum numero ponis) etiam contra te quomodo valeat, in præcedenti sectione diximus.

Disputator ridiculus.

Atqui ostendisti Theodoretum testimonium non excludere alia argumenta, nec Theodoretum dicere, solam temporis antiquitatem huic epistolæ authoritatem conciliare. Ridiculum caput. Quis hoc negat? Quis de hoc dubitat? An ego propterea Theodoretum testimonium protuli; ut docerem nullum aliud argumentum pro hac epistola adduci posse quam temporis antiquitatem? Istud ergo quum probasti, quod argumentum nostrum non negavit, quomodo argumentum diluisti? An te disputante absurdius quisquam disputare potest?

Et tamen videamus sapientiam tuam, quæ alia argumenta proferas. Vnum certe quasi argumentum protulisti, & eo vno prolato, subiungis. *Quæ enim alia afferri possunt?* Si nulla alia afferri possunt, ergo tibi ipsi contradicis quæ & alia argumenta fuisse, ipsum Theodoretum innuere scribis, & inter hæc alia præcipuum quoddam te afferre profiteris. Et hoc quidē quod adfers, aliud argumentum esse potest, sed non alia, quum vnicum sit. Si ergo nisi vnum adfers, & postea subiungis, *alia adferri non posse*, tibi ipsi contradicis, qui prius dixeras, *posse adferri alia*.

Sed hac nunc inepta tua contradictione omissa, videamus hoc vnum quod adfers & præcipuum vocas. *Inter alia (inquis) argumenta præcipuum procul dubio fuit ipsa Epistola doctrina quam Ecclesia per Spiritum sanctum agnoscit.* Rectè addidisti, *quam Ecclesia per Spiritum sanctum agnoscit.* Ipsa enim nunc te veritas docuit, ipsam epistolæ doctrinam per se acceptam, & à quolibet lectam, argumentum sufficiens & certum facere non posse: sed Ecclesiæ iudicium ad-

Ecclesiæ auctoritas aduersarij confessione confirmatur.

esse oportere, quæ à Spiritu sancto edocta, doceat & testificetur huius epistolæ doctrinam diuinam esse, ideoq; librum ipsum seu epistolam ipsam inter scripturas diuinas annumerandam esse. An non igitur admiranda hoc loco sapientia tua est, quia aliud argumentum præter Ecclesiæ auctoritatem (argumentum enim ab antiquitate ecclesiastica, quale Theodoreti fuit, argumentum est ab Ecclesiæ auctoritate) idemq; præcipuum quoddam probaturus, nihil aliud protulisti quàm ipsam Ecclesiæ auctoritatem de doctrina librorum iudicantem? ideoque nostram sententiam de Ecclesiæ auctoritate ad scripturas certò cognoscendas imprimis necessaria, mirificè confirmasti? Enimuerò testimonium hoc primum facilè & nullo penè negotio diluisti, qui contra te ipsum tam facilè & nullo penè negotio conclusisti.

*Whitakerus.*

*S. Sect.* Sed secundum fortasse testimonium luculentius est, quod nobis iam proximo in loco est excutendum. Est verò illud Tertulliani in lib. de præscript. aduersus hæreticos, vbi hæc verba reperiuntur. *Quid Apostoli prædicauerint, præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt.* Respondeo. Fateor quidem verba manifesta esse, sed dico Tertullianum non de Epistolis Apostolorum, sed de \* doctrina Apostolica loqui.

Tertulliani impudens mutilatio.

\* Mendacium affectatum.

*Stapletonus.*

Hic verò Whitakere talem te plagiarium & falsarium præbuiti, vt tua impudentia impudentissima nullis satis verbis explicari queat. Respondes verba quidem Tertulliani manifesta esse, sed illum non de Epistolis Apostolorum loqui, verum de doctrina Apostolica. Atqui mortalium impudentissime, si integra Tertulliani verba à me citata posuisses, si vnum inte-

grum

grum membrum à tota periodo non refecasses, hæc tua responsio nullum locum, ac ne prætextum quidem, habuisset. Sequitur enim apud Tertullianum, vt à me hoc loco citatus est, statim post verba quæ tu posuisti, *ipsi eis predicando tam viua voce, quam per epistolas postea.* Ista verba tu prorsus refecasti, in quibus apparet euidenter eum loqui non solum de doctrina Apostolica, sed etiam de epistolis Apostolicis. Refecasti, inquam, professor plagiare, vt aliquo prætextu responderes, Tertullianum non de epistolis Apostolorum, sed de doctrina Apostolica loqui. An non in hypocrisi mendacium loquutus es, quum modo diceres, te hæc *testimonia à me citata velle attingere, ne aliquid de industria prætermisisse videare?* Vellico hic tibi auriculam asinine professor. Nihil hic de industria prætermisisti? Tanta sanè industria, tam dexterè postrema Tertulliani verba, à me posita, prætermisisti, vt ex illis solis prætermisissis respondendi materiam captaueris. Fuit sanè hoc testimonium succulentius, sicuti præfatus es, cui aliter respondere non potuisti, nisi bonam eius partem detruncando. Quid nunc ea quæ in tua responsione sunt, persequar, quibus probare vis Tertullianum non de epistolis Apostolicis, non de scriptura ipsa, sed de prædicatione Apostolorum viua voce facta, hæc verba à me citata dixisse, quum iam ex ipsis Tertulliani verbis à me prolatis & à te artificiosè refectis, contrarium euidenter constet? Ponenda tamen sunt, ne aliquid de industria prætermisisse videar.

VWhitakeri hypocrisis explanatur.

VWhitakerus.

Atque illud quidem ex verbis proximè præcedentibus satis constat. Sic enim scribit. *Hanc igitur dirigimus prescriptionem. Si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad predicandum, alias non esse recipiendos*

Hh 5

pradi-

predicatores, quam quos Christus instituit. quia nec alius Patrem nouit nisi filius, & cui filius reuelauit, & nec alijs videtur reuelasse filius, quam Apostolis quos misit ad predicandum, utique quod illis reuelauit. Tum hanc præscriptionem adhibet, nempe doctrinam quam Apostoli prædicabant non alia ratione probari debere, quam per Ecclesias illas quas illi fundarunt.

*Stapletonus.*

Ita est bone vir; sed sequitur in Tertulliano Apostolos Ecclesias fundasse, vel ut ille loquitur condidisse, duobus modis: *tam eis predicando viua voce, quam per Epistolas postea.* Quæ quidem verba illa sunt, quæ modo à te artificiosè resecta sunt. Ita semper genium tuum hæreticum nobis prodis, quem describit Apostolus, dicens hæreticos *ambulare in astutia, adulterantes verbum Dei* δολῶντες id est, dolosè tractantes, mala fide recitantes, addentes, detrahentes, quod tu hic in Tertulliani verbis fecisti. Nec in verbis citatis modo fecisti, sed rursus in alijs hoc ipso loco à me prolatis. Vide enim hypocrita, qui præfatus es *te omnia velle attingere, ne aliquid de industria prætermisisse viderere,* cur adhuc plura alia loca eiusdem Tertulliani à me prolata, in vniuersum dissimulasti & prætermisisti? Quid? An sic aliena prorsus tibi videbantur, ut ne commemoratione quidem digna essent? Id nunc Lector iudicabit. Prolato superiori testimonio cui per syncopen respondisti, adiungo, *Sed apertius lib. 4. aduersus Marcionem* quia Apocalypsim reiecit Marcion, ab Ecclesiæ autoritate illum librum defendit. Ait enim, *Habemus & Ioannis alumnos Ecclesias.* Nam etsi Apocalypsim Marcion respuit, ordo tamen Episcoporum ad originem recensitus in Ioannem stabit authorem. Et paulò post, defendens Lucæ Euangelium, ab Ecclesiæ quoque autoritate id copiosè facit, Cum enim

Heretici  
adultera-  
tores ver-  
bi Dei.

2. Cor. 4.

VWhita-  
keri hypo-  
crisis ex-  
plicatur.

Testimo-  
nia Ter-  
tulliani  
pro Eccle-  
siæ autho-  
ritate in  
S. Scriptu-  
ris discer-  
endis.

enumerasset varias Ecclesias Apostolicas, infert. Dico itaque apud illas, neque solas iam Apostolicas, sed apud vniuersas qua illis de Societate Sacramēti, id est fidei, confederantur id Euangelium Luca ab initio editionis sue stare, quod nos tuemur, Et paulò post. Eadem authoritas Apostolicarum Ecclesiarum ceteris quoque patrociniatur Euangelijs, quæ proinde per illas & secundum illas habemus. Et rursum paulò post. His fere compendijs vtimur, cum de Euangelijs, aduersus hereticos expedimur: defendentibus, & temporis ordinem posteritati falsariorum præscribentem, & authoritatem Ecclesiarum traditioni Apostolorum patrocinantem. Hæc ille. Iam mi Whitakere qui factum est, vt tu qui nihil prætermisurum te dixeras, hæc omnia loca prætermiseris? Ad hæc loca sanè luculentissima magis mutus factus es quàm piscis. Hic nullus tibi fucus, nullus prætextus ad manum aderat, quo aliquam responsionem honestam adornares. Maluisti igitur in vniuersum dissimulare. Laudo prudentiam tuam. Sed non laudo hypocriticum mendacium tuum, quo nihil te prætermittere velle polliceris, & mox tam multa prætermittis. Non laudo pertinaciam tuam qua in tam aperta veritate adhuc contra stimulum calcitrans, & Ecclesiæ authoritatem à tot Partibus tam studiosè contra sui temporis hæreticos pro scripturarum certa notitia, vt argumentum proprium, efficax, singulare, prolata, tu tamen negligere & non nisi minimo quodam loco habere pergas: quantumque in te est in hac disputatione tua, refutare, conuellere, & infirmare contendas. Videamus nunc quæ post Tertulliani testimonia vel profus è medio sublata vel mutilata, de mente adhuc Tertulliani in verbis à te prolatis disputas.

*VWhitakerus.*

Quibus quidem verbis non reijcit Tertullianus. 7. Sect.  
nus

\* Anti-  
quum  
effugium.

\* Suam  
vanitatem  
prodit.

nus omnia \*alia testimonia. Si enim hæc eius mens  
fuisset, sola approbatione Apostolicarum Ecclesia-  
rum constare nobis Epistolas Apostolicas, tum  
Spiritus S. testimonium reiecisset, quod certum est  
eum nunquam facere voluisse. Quin & hoc stare  
non posset cum \*aduersarij defensione. Ille enim  
vltimo Cap. huius noni libri vult Scripturæ Cano-  
nem ex regula fidei esse consignandum. Ergo præ-  
ter Ecclesiæ approbationem, vult etiam Regulam  
fidei esse necessariam. Est enim Regula fidei aliud  
quiddam ab externo Ecclesiæ iudicio.

*Stapletonus.*

Ad crambetuum toties repetitum redis, alia  
testimonia non excludi præter Ecclesiæ authorita-  
tem. Et hic me ipsum in testem adducis, qui à Re-  
gula fidei, re ab Ecclesiæ iudicio distincta, argumen-  
tum petendum esse doceo. Me autem cum in testem  
huius rei adducis, nonne te ipsum disputator egre-  
gie manifestè refellis & refutas? Quomodo enim  
semper contra me excipis, non propter solam Ec-  
clesiæ authoritatem scripturas recipi, & alia esse  
argumenta quibus hoc probetur, quum iam fatear-  
is, me tecum hac in re idem sentire? & ita ma-  
nifestè sentire, vt aliud argumentum ego ipse pro-  
feram? Te ipsum ergo manifestæ vanitatis conui-  
ctum dedisti, qui illa toties exceptione quasi ab ad-  
uersario negata euadere voluisti, quam nunc ab ad-  
uersario disertissimè positam agnoscis.

Sed vide rursum quàm negligens scriptor es  
planeque oscitabundus. Dicis me vltimo cap. hu-  
ius noni libri de Regula fidei pro scripturarum ap-  
probatione disputare. Atqui non hoc vltimum ca-  
put est, quum adhuc tria alia sequantur capita. Sed  
quia tu alia capita non refutasti, voluisti Lectori in-  
sinuare, hoc vltimum caput esse. Vtinam verò gra-  
uiora

uora in hac tua disputatione non peccasses. Negligentia tamen & incuria hæc tua in rebus minoribus, fecit haud dubiè vt & in grauioribus negligens fueris. *Qui enim modica spernit, paulatim decidit.*

Ecclesiæ.  
19.

*VWhitakerus.*

Sed Tertulliani sententia est, quemadmodum ex verbis sequentibus patet, omnem doctrinam veram esse, quæ consentiat ac conspiret cum doctrina Ecclesiarum quam illæ ab Apostolis, Apostoli à Christo acceperunt: quæ verò non consentiat, eam adulterinam atque falsam esse. Sic enim subiungit. *Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, & id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam verò doctrinam de mendacio præiudicandam.* Tantum abest vt hoc tollat testimonium Spiritus S. vt potius statuatur. Nam Spiritus S. est Apostolicæ doctrinæ iudex. Nihil ergo Ecclesiæ tribuit nisi eam doctrinam teneat.

*Stapletonus.*

An verò in hoc capite aut in vniterfo hoc libro nono quem impugnas, de eo disputatur, an testimonium Spiritus S. in causa fidei discutienda, aut in scripturis approbandis, excludi debeat? An sic Tertulliani & aliorum Patrum testimonia à me citata sunt, vt doceant Spiritum S. ab hac causa excludi, & solam Ecclesiæ authoritatem in hoc genere valere? Quum nihil tale hic agatur, imò quum econtra, in libro octauo proximè hunc quem refutas præcedente, per multa capita Spiritus S. testimonium diligenter docuerim, iudicet Lector qualis tu disputator censendus es, quàm ridiculus, quàm absurdus, qui quod non negatur, imò quod disertissimè ab aduersario affirmatur, id vnum & vni-

*VWhitakerus disputator absurdissimus.*

CUM

cum studiosè semper probas, & ad rem præsentem nihil respondes.

*VWhitaker us.*

9. Sect.  
Mendaciū  
splendi-  
dum.

Deinde aliud est. doctrinam probari per Ecclesiam, quod ait Tertullianus: aliud recipi duntaxat propter Ecclesiæ auctoritatem quod vult Stapletonus.

*Stapletonus.*

Sanè aliud est ad argumenta proposita respondere, quod disputandi ratio flagitat; & optaret Stapletonus; Aliud quod à nemine negatur disputando asserere, quod semper facit Whitakerus. Aliud est scripturas & omnem fidei doctrinam per Ecclesiæ auctoritatē & testimonium fidelibus innotescere, quod sustinet Stapletonus, aliud per Ecclesiæ duntaxat testimonium id fieri, excluso Spiritus S. testimonio, quod Stapletonum facere velle mentitur VWhitakerus. Nam & velle me illud hoc loco dixisti non dicere aut affirmare. Mea verò voluntas ex meis apertis verbis nō ex tuis iniquis suspicionibus constare debet.

*VWhitakerus.*

10. Sect.

\*Seipsum  
mendacij  
convicit.

Nos prius concedimus, præsertim de Apostolicis Ecclesijs: posterius autem nequaquam. Nam etsi per Ecclesiam cognoscimus doctrinam, tamen iam nos propter Spiritus S. auctoritatem credere, ipsi aduersarij \*concedunt ut postea audietis. Ergo Tertullianus cum de sana & Apostolica doctrina loquitur, etsi eam cum Ecclesiarum Apostolicarum fide conspirare debere dicat, non tamen propterea Spiritus S. testimonium remouet. Atque hæc de Tertulliani testimonio.

*Stapletonus.*

Et quare non de Tertulliani testimonijs, vis bone? Vide ergo quid aduersum te concludam.

Tametſi

Tametsi hoc testimonium quod vnicè tractasti, pro nobis nihil faceret; cætera tamen quæ nec primis digitis attingere ausus es, pro nobis faciunt. Tametsi ex vno minus appositè disputare potuimus, ex alijs tamen tribus vel quatuor optimè disputauimus, ipso aduersario consentente. Qui enim tacet, consentire videtur. Certè in hoc genere qui tacet, consentire conuincitur. In hoc inquam genere, in quo gloriosus aduersarius præfatur & profitetur *se omnia attingere velle, ne aliquid prætermisisse videatur.*

Cæterum tam hoc testimonium quod improbè mutilasti, quam alia testimonia ad quæ mutus fuisti, causam nostram aduersum te concluderunt, vt iam ostendimus. Quod enim nunc addis vt hunc locum concludas, nihil est; nisi quod variam tuam ineptiam & ista verba patefaciunt. Ais *te concedere per Ecclesiam probari doctrinam; tamen propter Spiritus sancti testimonium nos credere etiam ipsi aduersarij (inquis) concedunt.* Itane verò hoc tandem aduertisti acutissime disputator? Quòd si ergo nos tui aduersarij hoc iam concedimus (vt hic fateris) cur modo, cur toties prius dixisti à nobis excludi Spiritus S. testimonium, & quod propter Ecclesiæ duntaxat authoritatem homines credunt, nos affirmare? Cur inquam toties mentitus es in caput tuum? Sed bene est: quod tuum nunc ipse mendacium confiteris. Satis nobis est, quòd habemus consententem reum.

Iam verò quum concedis doctrinam probari per Ecclesiam, cur addis, *præsertim de Apostolicis Ecclesijs?* An etiam per Ecclesias quæ Apostolis successerunt, idem præstari non potest? Doceat te ergo Tertullianus etiam cuiuscunque temporis Ecclesias Apostolicas esse, quæ Apostolis succedentes doctrinam Apostolicam tenent. *Apostoli (inquit) primo per*

Lib. de  
prescript.

modo per Iudaam Ecclesiis constitutis dehinc in orbem profusa-  
Et, eandem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulga-  
uerunt; & proinde Ecclesias apud vnamquamque ciuita-  
tem condiderunt à quibus traduceret fidei & semina doctri-  
nae cetera exinde Ecclesia mutuata sunt, & quotidie mutu-  
antur vt Ecclesie fiant: ac per hoc & ipsa Ecclesie deputa-  
buntur vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne enim  
genus ad originem suam censeri debet. Erunt itaque tot &  
tante Ecclesie vna illa ab Apostolis prima, ex qua omnes.  
Sic omnes prima & omnes Apostolica, dum omnes vnani  
probant vnitatem.

Sed Tertullianus (inquis) quum sanam & Apo-  
stolicam doctrinam cum Apostolicarum Ecclesiarum fide  
conspirare debere docet, non propterea tamen Spiritus san-  
cti testimonium remouet. Quorsum hoc quæso aut in  
quem tandem finem à te dictum est? An vt nos re-  
prehendas qui Spiritus S. testimonium remoue-  
mus? At in verbis tuis proximè præcedentibus di-  
ferte dixisti, nos propter Spiritus sancti auctoritatem cre-  
dere ipsi aduersarij concedunt. Qua igitur cohærentia,  
qua consequentia de eo nunc crimine tacite ad-  
uersarium reprehendere vis, à quo in proximè  
præcedentibus verbis eum aperte liberasti? Sed  
hæc est tua disputandi solertia, qui & falsa at-  
que absurda affirmas, & inepte ac dissolutè con-  
ueris.

VWhitakerus.

II. Sect.

Nunc ad Irenæum accedo, ex quo nonnulla ci-  
tat Stapletonus, quæ certè perexiguam in se vim  
habent. Nos enim fatemur cum Irenæo Ecclesiæ  
auctoritatem esse firmam & compendiarium do-  
ctrinæ Canonice demonstrationem, à posteriori  
nempe, non à priori: sed negamus hoc esse \*vni-  
cum aut maximum aut firmissimum argumētum.  
Id ex Irenæo Stapletonus probare non potuit.

\*Anti-  
quam ef-  
fugium.

Staple-

*Stapletonus.*

Dicis Irenæi locum perexiguam in se vim habere. Cur igitur verba ipsa Irenæi non posuisti? Sed Ioan. 9. qui male agit odit lucem. Repetam igitur illa verba, ut ipsa loquantur quantum vim habeant. Lib. 4. cap. 63. Agnitio inquit, vera est Apostolorum doctrina, & antiquus Ecclesiæ status in vniuerso mundo secundum successiones Episcoporum, quæ peruenit vsque ad nos, custodita sine fictione, Scripturarum tractatione plenissima, neque ablationem recipiens lectio, neque falsationem. Hæc ille. Affirmat Agnitionem seu demonstrationem doctrinæ Apostolicæ esse antiquum Ecclesiæ statum in vniuerso mundo per successiones Episcoporum.

At nos, inquis tu, fatemur authoritatem Ecclesiæ esse firmam & compendiariâ doctrinæ Canonice demonstrationem, à posteriori nempe non à priori. Hoc sanè rectissime dixisti, ut & antea à nobis explicatum est. Ecclesiæ authoritas demonstratio à posteriori. Authoritas Ecclesiæ est testimonium & demonstratio veritatis à posteriori, sed in suo genere necessaria. Diuini spiritus authoritas testimonium & demonstratio veritatis est à priori & simpliciter necessaria. Vtriusque exemplum in scripturis habemus. A testimonio diuini spiritus necessariò tanquam ab argumento à priori, sic ratiocinatur cõtra incredulos Iudæos Christus. Ioan. 8. Qui ex Deo est verba Dei audit, vos propterea non auditis quia ex Deo non estis. Et rursus apud Ezechielem, Ezech. 3. Nolunt audire te quia nolunt audire me. Iterum quoque apud Ioannem. Ioan. 15. Si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Quo in loco causam à priori cur Ecclesiæ doctrina aut præcepta non seruentur, Christus assignat, quia eius doctrina & præcepta non seruântur, ut in promptuario nostro Catholico latè ostendimus. In festo SS. Simonis & Iudæ. Dei contemptus, diuini spiritus testimonium reiectum, causa est quòd Ecclesia non audiatur. dz.

Iam verò tū à priori, tū à posteriori sic ratiocinatur  
 1. Ioan. 4. **D.** Ioannes. *Qui novit Deum audit nos, qui non novit Deum, non audit nos* quæ est ratiocinatio à priori. Sequitur. *In hoc cognoscimus spiritum veritatis & spiritum erroris.* Probat, sed à posteriori, in eo esse spiritum veritatis qui audit Ecclesiam, in eo esse spiritum erroris qui non audit eam. Christus quoque quum dixit. *Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit,* à posteriori probat eos demum veros Christianos fore & Christum audire qui eius Ecclesiam audiunt, eos malos Christianos esse & Christum spernere qui eius Ecclesiam spernunt. Necessitas tamen audiendi Ecclesiam æquè demonstratur in argumento hoc à posteriori, atque necessitas interni testimonij quod Spiritus S. in cordibus facit, probatur ab argumento à priori. Sicuti quum à causa effectus, vel ab effectu causa demonstratur, maximè ubi causa & effectus conuertuntur. Ver. gra. Sol lucet, ergo dies est: & econverso dies est, ergo sol lucet. Sic in re proposita Ecclesia hoc dogma docet: ergo est de fide: & econverso. Hoc dogma est de fide: ergo Ecclesia sic docet.

*Sed negamus (inquis) hoc esse vnicum aut maximum aut firmissimum argumentum. Id ex Irenæo probare Stapletonus non potuit. Nugator stolide. Ecclesiæ auctoritatem esse vnicum argumentum, non solum negat Stapletonus perinde ac tu, sed & illud prolixè probavit quod non fecisti tu. Maximum & firmissimum hoc argumentum, esse in suo genere, id est in genere omnium argumentorum quibus ab extrinseco homo ad fidem inducitur (maximè cessantibus miraculis) iam in superioribus probatum est: Et ut nusquam à me probaretur, donec tu eo firmitus ac maius in eodem genere ostenderis, meritò haberi debet maximum atque firmissimum: præsertim*

Luc. 10.

Ecclesiæ  
 auctori-  
 tas quo  
 sensu fir-  
 missima  
 & maxi-  
 ma.

sertim quum tot Patres tam constanter eo maxime  
vsi fuerint: quos non nisi firmissimis argumentis  
potissimum contra hæreticos & religionis hostes  
vti, nemo nisi ipse hæreticus dubitauerit.

*VWhitakerus.*

Deinde quando concedit Stapletonus ex Ire-  
næo, hæreticos quasdam scripturas negantes, per <sup>12. Sect.</sup>  
scripturas quas iidem acceperunt refutari, nonne  
id affirmat quod \* nos volumus, scripturas nempe <sup>\* Mendacium.</sup>  
per scripturas probari posse, & aliter scripturas  
agnosci ac probari, quam per Ecclesiæ testimo-  
nium?

*Stapletonus.*

Cauillator inepte. An non (vt in præcedenti  
disputatione nostra luculenter apparet) in hoc ipso  
libro quem impugnas, & eiusdem libri cap. 4. quod  
tibi refutandum sumpisti, disertè docui quasdam <sup>Supra  
Lib. 1.  
cap. 9.</sup>  
scripturas ex alijs scripturis probari posse, videlicet  
de aliqua parte scripturæ prius scripta & tradita, ex  
alijs partibus posterius scriptis quas aliquis admit-  
tit hæreticus, eundem conuinci posse? Illud sanè  
disertissimè asserui, nec in ijs quæ posterius scriptæ  
sunt idem præstari posse, nec totam scripturam ne-  
ganti aut nescienti ex scriptura persuaderi posse af-  
firmari: & in hac defensione nostra contra omnes  
cauillationes tuas confirmaui. Sed vt eo in loco,  
hanc meam sententiam mutilasti & falsò retulisti,  
mea verba mutilando & resecando (sicuti ibi osten-  
sum est) ita nunc iterum eodem in luto hærens,  
idem mendacium repetis, & meam sententiam ite-  
rum falsò ac mendaciter commemoras. Posuisti  
mendacium spem tuam, vt eius ope atque subsidio  
aliquid vel apparenter responderes.

*VWhitakerus.*

Quattum eius testimonium est è Concilio To- <sup>13. Sect.</sup>  
letano

Letano primò desumptum: in quo Canon 21. est hu-  
 iusmodi. *Si quis dixerit aut crediderit alias scripturas re-  
 cipiendas esse, præter illas quas Ecclesia recepit, anathema  
 sit. Respondeo. Non video quomodo & mihi &  
 pijs omnibus liceat his verbis respondere, Amen.  
 Nos enim non aliter sentimus quam in hoc Cano-  
 ne præscribitur, & nullum librum vel recipimus  
 vel \* rejicimus \* sine Ecclesiæ Catholicæ testimo-  
 nio atque exemplo: quare nos ista anathematis de-  
 nunciatio minimè attingit,*

\* Menda-  
 cium ist-  
 culærum.  
 \* Canonis  
 sensum  
 pervertit.

*Stapletonus.*

Si tu VWhitakere non aliter sentis, quam in hoc  
 Canone præscribitur, si tu illi respondes, Amen, si  
 nullum librum vel recipis vel rejicis, nisi quem Ec-  
 clesia Catholica recipit, aut rejicit (hoc est enim  
 cum hoc Canone sentire, non ut tu verba Canonis  
 immutando sensum eius infirmaſti, dicens, te sine  
 Ecclesiæ testimo nio nullum recipere vel rejicere,)   
 cur igitur libros Machabæorum, Tobia, Judith,  
 Hester, tu disertè rejicis & respuis (vt in præceden-  
 tibus visum est) quos Ecclesia Catholica non hodie  
 tantum, sed & à multis iam seculis pro Canonicis  
 ac diuinis admisit atque recepit, nec vòquam reie-  
 cit aut reprobavit? Prorsus nisi sententiam muta-  
 ueris, ista anathematis denunciatio te intimè attingit  
 atque perstringit.

*VWhitakerus.*

14. Sect.

Sed miror Stapletonum adeò stupidum fuisse, vt  
 non intelligeret, aut non animaduerneret, quam in-  
 firmum sit \* hoc illius argumentum. Nullæ scri-  
 pturæ recipi debent, quæ non fuerint ab Ecclesiâ  
 receptæ & approbatæ: ergo propter Ecclesiæ \* tan-  
 tum testimonium recipiendæ sunt. Nullæ scripturæ  
 sunt rejiciendæ, nisi quas reiecit Ecclesia: ergo apo-  
 cryphæ scripturæ sunt eo tantum nomine rejicien-  
 dæ,

\* Menda-  
 cium pu-  
 dendum,  
 quia nun-  
 quàm ille sic  
 argumen-  
 tatus est.  
 \* Perpetuū  
 estugium.

de, quia Ecclesia eas reiecit. Atque de hoc testimo-  
nio satis multa.

*Stapletonus.*

Ego verò VWhitakere tuum nec stuporem nec  
furorem quicquam miror, qui iam toties te stupi-  
dum præbuiti, & toties infaniuisti. Mirabat certè  
in principio defensionis huius, nec satis mirari po-  
tui incredibilem stuporem & amentiam tuam, qui  
sententias mihi impingeres, quas ego non obiter  
negavi, nec simpliciter destruxi, sed longa & accu-  
rata disputatione refutavi, has inquam sententias: Effugium  
perpetuū  
VWhita-  
keri curab  
eo inuen-  
tum.  
quòd propter Ecclesiæ auctoritatem tantum scri-  
pturas approbati dicerem; quòd Spiritus sancti in-  
ternum testimonium aut remouerim; aut Ecclesiæ  
auctoritate minus atq; inferius esse statuerim: Sed  
video vel hunc tibi stuporem necessarium fuisse,  
vel hunc te stuporem & furorem artificiosè simu-  
lasse, vt sic perpetuum effugium atque latibulum  
haberes, quo argumentorum pondere pressus, quæ  
Ecclesiæ auctoritatem maximam stabilirent, quasi  
ad sacram anthonam confugeres; quasque ad asy-  
lum te reciperes, diceresque non propterea sequi  
quòd propter Ecclesiæ tantum auctoritatem cre-  
dendum sit, aut quòd propterea Spiritus sancti te-  
stimonium internum remoueri debeat; aut deniq;  
quod omni Ecclesiæ testimonio interna hæc diuini  
Spiritus persuasio non sit præponenda. Hæc enim  
omnia si à me agnita, approbata, confirmata, idque  
in eius operis libro 8. confirmata, cuius operis tu li-  
brum nonum tibi refutandum suscepisti, tu aut vi-  
disses aut videre voluisses, ista tibi perfugia, has ex-  
ceptiones nullo tibi vsui futuras esse, facile præui-  
disses. Ideoq; necessitate quadam adactus frontem Effugij ac-  
sumpti  
inpudden-  
tia.  
perfricare, & vnum splendidum mendacium splen-  
didè ac strenuè sustinere, repetere, inculcare, præ-  
mere,

Plutarch.  
in Caio  
Caesare.

mere, vrgere maluisti, quàm tanta elabendi facilitate destitutum esse. Meministi à primo illo orbis Romani monarcha dictum fuisse, *Si ius violandum est, imperij causa violandum est*, moxq; cum iacta alea suæ potestatis limites prætergressum, in Italiam irrupisse. Eodem hic tu planè modo, si parua licet componere magnis, quia ad aliquam in specie victoriã obtinendam nulla alia patebat via, & Stapletonum debellandi (quem omnino debellare decretum erat) alia sese ratio non offerebat; vel potius quia Ecclesiæ sacrosanctam authoritatem & fidelibus saluberrimam meliori modo subuèrtere aut certè declinare non potuisti; apud te quoque statuisti, si mentiendum est, & ius disputationis violandum est, certæ victoriæ causa violandum est; & ita semel violandum, vt eo vno perpetua fugiendi via pateat, quoties ab aduersario premor. Quare quod ignaui ac timidi duces in prælio faciunt, vt vnum tibi equum cursorium aut veredum seruent, quo quum opus fuerit celectrimè se è campo proripiant, & quã longissimè fugiant, idem tu ignaui ac timidus disputator tibi ab initio in ipso controuersie statu describendo statuisti, vt has tibi exceptiones (quas tamen scires vel certè scire debebas, esse falsissimas) quasi equum cursorium præparatas haberes, quibus argumentorum vi pressus ac profligatus, è disputationis præsentis campo fugeres, & diceres, quod hic dicis. Num propterea sequitur, Ergo propter Ecclesiæ tantum testimonium recipienda sunt scriptura? aut ergo eo tantum nomine reijcienda Apocrypha, quia Ecclesia ea reiecit? Hic est tibi cursorius tuus, disputator ignaui, quo fugis è prælio. Quare stuporem hic ego tuum, quia tam frequenter repetitus familiaris nunc mihi est, mirari sanè desino, sed taxare ac reprehendere, optimo sanè iure non desino.

Attamen

Attamen vt intelligas huius Canonis quanta vis sit, quia dicis *te non videre quo minus & tibi & p̄is omnibus liceat respondere Amen*, eam tibi paucis explicabo. Tu postea videris, an velis adhuc respondere Amen. Id si feceris, nostræ quoque & Catholicæ planè sententiæ respondebis, Amen. Dicit Canon, *Si quis dixerit aut crediderit alias scripturas esse recipiendas præter illas quas Ecclesia recipit, anathema sit.* Ex hoc Canone concludo in recipiendis scripturis Ecclesiæ authoritatem esse longè maximam, eamq; solam cuius fideli sufficere, diuina interim gratia ac persuasione interna non destituro: quæ sanè diuina gratia, vt in omni pietatis opere sic in quolibet actu fidei semper præsupponitur, nec quâdo Christiani & Theologi loquuntur, aliquando excludi aut remoueri existimanda est. Illa ergo præsupposita, dico ex hoc Canone probari, circa recipiendas scripturas maximum esse & infallibile atque supremum argumentum, Ecclesiæ testimonium. Illud si non intelligis, familiari exemplo cõmonstrabo. Hac propositione semel recepta atque admissa (quam qui recipere atque admittere recusa-uerit, læsæ Maiestatis reus erit) Si quis dixerit aut sustinuerit alias leges in regno recipiendas esse, præter illas quas Rex approbauerit ac receperit, capite plectetur; necessariò sequitur in approbandis & recipiendis legibus supremam & maximam esse authoritatem Regis. Si enim nullæ aliæ leges recipiendæ sunt, nisi quas Rex receperit, ita vt absque Regis consensu, nec omnium ordinum voluntas, nec aliqua alia legum in seipsis vtilitas & bonitas, vim legis faciet, extra omnem controuersiam est Regis authoritatem hac in parte longè esse maximam atque supremam. Similiter ergo maxima erit Ecclesiæ authoritas in scripturis re-

Ecclesiæ  
authori-  
tas maxi-  
ma exCa-  
none To-  
letano  
confirma-  
tur.

Ecclesiæ  
authori-  
tas per re-  
giam au-  
thoritatem  
in feren-  
dis legib.  
explica-  
tur.

recipiendis, postquam alias recipere quam quas illa  
 recipit nemini liceat. Cui sententia te & omnes  
 pios respondere posse Amen, dixisti. Iam verò ut  
 in hac causa, non obstante hac tanta Regis autho-  
 ritate, nihilominus adhuc alia sint, quæ leges  
 commendant, & sine quibus leges adhuc non ob-  
 ligant, nempe ipsarum legum æquitas & iustitia,  
 tum earum legitima & sufficiens promulgatio,  
 deinde ipsius populi aut personarum communis  
 sensus & ratio quæ leges intelligant (nec enim vel  
 pueros vel amentes vel moriones leges obligant)  
 sic omnino in Ecclesiæ autoritate circa scriptu-  
 ras recipiendas maxima, alia tamen sunt quæ ipsas  
 scripturas commendant, ipsa videlicet earum di-  
 vina veritas ac Maiestas; aliud quoque est sine  
 quo Ecclesiæ autoritas adhuc non persuadet,  
 nempe diuini Spiritus interna persuasio. Quod  
 enim est in legibus humanis ratio & sensus com-  
 munitis, sine quibus non percipiuntur nec intelli-  
 guntur, idem est in omni obiecto fidei diuini Spi-  
 ritus internum testimonium, sine quo nulla cre-  
 duntur. Porro sicut istis exceptionibus non ob-  
 stantibus, Regis tamen suprema & maxima au-  
 thoritas in legibus approbandis esse censetur, quia  
 vtrumque illud præsupponitur, ut & Rex alias le-  
 ges non approbet, nisi quæ æquitate nitantur, &  
 non nisi ab intelligentibus recipi debeant; sic om-  
 nino his exceptionibus de ipsarum scripturarum  
 diuina veritate, & diuini Spiritus interno testimo-  
 nio non obstantibus, Ecclesiæ tamen autoritas  
 in recipiendis scripturis longè maxima est, quia  
 vtrumque hoc necessariò præsupponitur; eo quod  
 nec Ecclesia approbare scripturas voluerit, nisi  
 quarum diuina est & explorata veritas, nec Eccle-  
 siæ approbatio absq; diuini Spiritus interno testi-  
 monio

monio fidem facere queat. Nunc ergo si huic Canonis respondes Amen, huic quoque propositioni, Ecclesie auctoritate in recipiendis & approbandis scripturis longè esse maximam atque supremam respondere debes Amen. Id si feceris, tuas nobis exceptiones consuetas, vt prorsus impertinentes, amplius non obtrudes; sed nostræ planè atque Catholicæ sententiæ respondebis, Amen.

VVhitakerus.

Sequitur iam quintum & vltimum testimonium, 15. Sect.  
 quod est Serapionis cuiusdam Antiocheni Episcopi, de quo Euseb. lib. 6. cap. 11. ex epistola quadam eius. *Nos (inquit Serapion) libros quosdam Apostolorum nomine falso inscriptos recusamus, scientes nos talia non accepisse.* Loquitur autem de Euangelio Petri quod in Ecclesijs quibusdam legebatur. Respondeo propter falsa multa quæ in illo libro reperiabantur, repudiatus liber à Serapione fuit, vt constat ex verbis subsequenter. Ergo non propter Ecclesie \* tantum auctoritatem. Nam hoc loco \* fraudem Stapletonus, vt \* sæpe solitus est, insignem adhibuit. Nos (inquit Serapion) librum non recepimus, *ὡς ἐμπειροὶ* vt periti atque experti, *ἐγινώσκοντες ὅτι τὰ τοιαῦτα ἔπαρελάβομεν.* Et Eusebius ait illum refutasse *τὰ ψευδῶς ἐν αὐτῷ εἰρημένα.* Erat ergo liber mendacijs & falsis nonnullis aspersus. Tum verba quædam omittit Stapletonus, quæ \* magnam in se vim habent, vt facile cuius patebit, qui locum ipsum intuebitur. Dicit enim Serapion in fine illius capitis se plurima *ορθῶς λόγου*, sincera in eo libro inuenisse, sed quædam etiam *προδιεσαλμμένα*, à fide orthodoxa aliena ac dissentientia, ac proinde librū reiecisse. Non ergo reiecit propter Ecclesie \* dūtaxat iudiciū, de quo nulla hic metio \* Antiquū effugium iam satis explosū. \* Mendacium. \* Calūnia ridicula. \* Mendacium.  
 I i 5 habetur, \* Antiquū effugium.

habetur, sed propter doctrinam etiam in ipso libro traditam.

*Stapletonus.*

Hoc in loco ut me falsi infimules, & ad meum argumentum nihil respondeas, alia Serapionis verba profers, quæ ad hanc meam disputationem non pertinebant, & testimoniū à me prolatū contentus recitasse, non discitis. Disputator inepte. Aliud est querere & explicare propter quas causas Ecclesia libros supposititios reiecit, aliud verò docere, quod Ecclesia sua auctoritate, tametsi non sine iusta causa, tales reiecerit. Ego Serapionis verba protuli, ut hoc posterius docerem. Alia eius verba non protuli, quia illud huius loci non erat. Scripsit Serapion se *libros Apostolorum nomine falso inscriptos omnino repudiasse* ut videlicet hominē eius rei, id est, suppositorum sepe librorū satis experte: quod verbū à me studio prætermissum tu cauillaris, cum tametsi addatur, nihil planè vel cōtra me faciat, vel eorū quæ sequuntur, quæq; ego allegavi veritatē imminuat. Nā præter suā experiētiā librorū supposititorū quā allegat Episcopus addit adhuc: *idq; pro certo cognoscetes nos eiusmodi (libros) ab illis (Apostolis) non accepisse.* Hæc ille traditioni ab Apostolis acceptæ innitens, non solū suæ experiētiæ aut doctrinæ. Quod autē falsa quædā in illis libris deprehenderit, hæc alia causa est ob quā nec Apostoli tales libros tradiderint, nec ille acceperit. Quā sanè causam cur Serapion illos libros reiecerit, in proximo capite ubi proprius eius rei locus erat recitavi. Vna causa aliam non destruit, nedum causa inferior superiorē abolet. Ecclesia est quæ de falsis ac veris, de germanis & supposititijs libris iudicat. Sed ut non sine ratione iudicat, ita illam rationē certò cognoscere ac videre, non cuiusuis sed Ecclesie

Traditioni Apostolicæ magis innitendum quā nostro iudicio quantumlibet apparenti ratione fundato.

elefæ est. Regis est de libris in suo regno Reip. salutaribus & perniciosis iudicare; Sed vt perniciosos nō reijcit nisi certas ob causas; ita de illis causis nō est quorūlibet, sed Regis iudicare. Nec etiā cuiusuis ea de re iudicium tales libros abrogandi aut interdiciendi potestatem habet, sed solius regis aut quibus ille hanc potestatem delegauerit: sicuti in superioribus latius diximus. Atq; hæc de re ipsa.

Nunc de ridicula mei accusatione tua paucis respondebo. *Hoc (inquis) loco fraudem Stapletonus vt sepe solitus est, insignem adhibuit.* Ridiculus  
accusator  
refutatur. Quænam illa tandem? Non explicas quidem diserte, magis tibi accusanti credi potulans, quam accusationem probas. Sed vnum verbū omisissum video in ea quâ allegavi sententia, *ut periti videlicet atque experti.* Proh Deum immortalem. Nouum & inauditum facinus. Insignis Stapletoni fraus. Verbum prætermisit, quod vbi adieceris, nihilo vel sua causa deterior vel aduersarij melior reddita fuerit. Næ tu insignis cauillator es, qui sic de musca elephantem tollere noris. Addis enim ad criminis exaggerationem. *Vt sepe solitus est facere.* At vbi gentium, vbi locorum? Si aduersarius non esses, si nō sepe in mēdacio deprehensus, si hereticæ sectæ non adhereres, aliqua tibi fides adhiberi posset. Nunc tibi simpliciter accusanti, & accusationem generalem absque vlla probatione proferenti, tibi inquā & aduersario, & hæretico, & tã sepe in hac disputatione mentito, ne quidem amici opinor tui fidē adhibebunt; sed aut non accusasse, aut accusationem tuam melius probasse optabūt. Hactenus sanè in tota hac tua contra me disputatione, de nulla huiusmodi fraude me cōvincere potuisti; ac nisi semel aliquid mihi simile obiecisti, in quo tua scæda mentiendi libido, mea innocentia probata

bara fuit. Visum tamen tibi est, vt grauiter accusare viderere frequēs crimen obijcere: qua in re ridiculum te accusatorem præbuiſti, qui niſi ſemel hæcenus obieciſti, & probare nunquam potuiſti.

Accusator  
magis ma-  
leuolus  
quàm for-  
tis.

Sed & aliam accusationem ſubiungis. Tum verba quædam omittit Stapletonus quæ magnam in ſe vim habent, vt facile cuius patebit qui locum ipſum intuebitur. Ergo ad locum ipſum lectorem tuum remittis, vt ibi videat quæ à me prætermiſſa ſunt, & quidem quæ magnam in ſe vim habeant? Non remitto, in- quies, verba enim prætermiſſa ſtatim ſubiungo. Si ſubiungis verba, quid ad locum ipſum lectorem remittis? Illa igitur verba expēdamus. Dicit enim (inquis) Serapion in fine illius capituli ſe plurima ſyncera in eo libro inueniſſe, ſed quædam etiã à fide orthodoxa aliena & diſſenti- entia ac proinde librũ reieciſſe. Verba audio, ſed quàm magnam in ſe vim habeant, non audio. Ego vero iam oſtendi hoc totum ad inſtitutum meum, cuius ergo Serapionis verba citauì, nihil profuſus facere, nec cauſam vel meam deteriorem vel tuam meliorem efficere: Ac proinde nullam in ſe (ad rem præſentem quod attinet) vim habere; ſed te accusatorem magis eſſe maleuolum quàm fortem, vt canes magis latrantes minus mordere ſolent.

*VWhitakerus.*

16. Sect.  
Epiphonema hæ-  
retico di-  
gnum.

Hoc ſeptimum argumentum fuit humanum, vt & ſextum etiam quod proximè præceſſit; quæ quàm leuia ſint in cauſis fidei omnes intelligunt.

*Stapletonus.*

Egregium vero epiphonema & hæretico dignum quo hoc ſeptimum ac ſextum quoque argumentum claudis: addere debueras & quintum, quum illud non ſecus à multis Auguſtini testi- monijs petitum fuerit, quàm ſextum ab vno eius testi- monio ſingulari, ſeptimumque ab aliorum Patrum testi-

testimonijs. At hoc totum argumentum tum humanum vocas, ideoque in causa fidei leue. Si humanum & leue hoc totum à Patrum testimonijs argumentandi genus est, quàm tu leuis ac futilis disputator es, qui in eorum testimonijs examinandis tot verba fudisti, tot capita scripsisti? Aut enim eorum testimonia in causis fidei apud fideles magnam aliquod pondus habent, & tu hic vanissimè garris splendideque mentiris, & sanctissimis ac doctissimis Ecclesiæ luminibus iniquè detrahis, aut si non nisi leue & humanum argumentum faciunt, ridiculus tu hæcenus disputator fuisti, qui leuia & humana argumenta tanto molimine, cura, ac labore refutare & conuellere molitus es.

Deinde dic nobis obsecro quare humanum argumentum vocas à Patrum consensu & testimonijs petitum? An perinde humanum, ac si Horatij aut Terentij Plautiue dicta proferrentur? aut an ita humanum vt sunt Aristotelis & Platonis, aliorumue philosophorum placita? Non sic opinor desipies aut insanies potius. Sanctos Dei homines, Ecclesiæ veteris Episcopos, Pastores, Doctores, qui magna & eruditionis & sanctitatis gloria à tot seculis claruerunt, à profanis illis hominibus & quibuscunque tandem secularis sapientiæ magistris longè latèque distingues, eosque illis longissimè antepones. At, inquit, solius diuinitus inspiratæ Scripturæ testimonia diuina censenda sunt, aliorum quorumlibet humana quidem sic esse quorumlibet doctorum testimonia, vt diuinitus inspiratis scripturis æquiparari non debeant, nemo negauerit. Atqui sic humana illa esse vt etiam leuia sint, & vel nullius vel parui momenti, nemo nisi hæreticus affirmauerit. Quemadmodum igitur in scripturis quosdam homines etiam Deos appellari legi-

Seipsum  
futilitatis  
condemnat.

Argumentum à Patrum consensu non est tenè, aut merò humano.

legimus, quum nisi vnus sit Deus, eo quod diuinæ  
 vel authoritatis ac potestatis vt Reges ac Principes  
 terræ, vel sapientiæ vt prophætæ, participes erant;  
 sic in rebus fidei sapientum virorum testimonia,  
 qui diuinis charismatibus pleni, fidei dogmata tra-  
 ctauerunt, plusquam merè humana, & humanis  
 tantum rationibus nitentia, suoque quodam modo  
 diuina quatenus ab Ecclesia Dei approbata sunt,  
 certè à quouis fidei magna reuerentia suscipienda,  
 vtque magnum pondus ac momentum habentia,  
 singulari fide digna iudicamus; etsi solæ scripturæ  
 diuinæ testimonium prorsus, infallibile pureque  
 diuinum suppeditent. Qua de re tota in hoc opere  
 de principijs fidei latius disseruimus, & Patrum ac  
 Doctorum testimonia quo loco habenda, quibus-  
 que ex causis magni facienda sint, pro nostro mo-  
 dulo ostendimus. Tu interea homo planè leuis imò  
 leuissimus es, qui argumenta nostra à grauissimo-  
 rum Patrum testimonijs grauissimis perita, & tan-  
 quam leuia denigras, & tanquam grauiora refutas: in  
 vno iactator superbus, in altero disputator ridi-  
 culus.

Lib. 7.  
 cap. 12. &  
 seqq.

---

QVOD

QVOD REGVLA  
FIDEI VNVM MEDIVM SIT  
QVO ECCLESIA RV M MAGISTRI  
Scripturas veras à falsis dijudicauerint.

## CAPVT. X.

*VWhitakerus.*

V ENIO nūc ad octauū & vltimū argumentū, <sup>1. Sect.</sup> quod Stapletono grauissimum & \* augustissimū videtur. <sup>\* Mendacium.</sup> Habetur verò 11. cap. 9. lib. & à regula fidei sumitur, hoc modo Regula fidei quæ penes Ecclesiam est, quæque ab Ecclesia traditur, est medium quo magistri & Pastores Ecclesiarum veras scripturas a falsis discernūt. \* Ergo Ecclesia sola de <sup>\* Conclusio conclusa.</sup> Canonicis scripturæ libris statuere debet.

*Stapletonus.*

Video hanc mentiendi consuetudinem, iam in <sup>Mentien-</sup> naturam tibi versam esse, nec fieri posse vt Aduersarij sententiam quam impugnare contendis, sincerè <sup>di consue-</sup> & integrè proferas: in quo vno tamen totius legitime <sup>tudo in</sup> disputationis cardo vertitur. Omitto illud fri- <sup>naturam</sup> uolum hic mendacium tuum, quod mihi *hoc argu-* <sup>VWhita-</sup> *mentum grauissimum & augustissimum videtur*, quum <sup>kero vet-</sup> ego nihil tale scripserim. Taceo quod assertionem <sup>sa.</sup> meam, quam tu argumentum vocas, mutilatè protulisti. In ipsa argumenti conclusione quare mentiris? Quare sic me concludere & disputare fingis? *Ergo sola Ecclesia de Canonicis scriptura libris statuere debet.* Ego huiusmodi conclusionem non facio. Pono primum & assero, *adeò penes Ecclesia iudicium esse, Canonem scripturarum consignare, vt ipsa Regula fidei ab Ecclesia nobis tradita, & fidelibus omnibus notissima scripta*   
*videlicet*

*videlicet in cordibus eorum, (quod tu membrum integrum resecasti) hac in re consulta atque adhibita, scripturas veras à falsis discernere valeat, atque olim discreverit. Hæc est tota assertio seu propositio mea quam in hoc capite prosequor & probare contendo, absq; vlla huiusmodi quam tu fingis cōclusionē adiecta. Nunc quid respondeas videamus.*

*VWhitakerus.*

2. Sect.  
\* Affecta-  
ta ignorā-  
tia.  
\* Suum  
cōmmentum  
expugnat.  
\* Nostram  
sententiā  
cōfirmat.

Respondeo, \*si per Regulam fidei intelligat, articulos fidei, tum non sufficit hæc Aduersarij ratio, nec sequitur omnino argumētum \*Nulla enim hæc ratio est. Iste liber ea docet quæ cum articulis fidei consentiant, ergo est Canonicus. Multi enim libri eam sanam doctrinam explicant, quæ cum articulis fidei præclare conueniat; qui tamen nō sunt in Canonem recipiendi. Valet quidem ratio in alteram partem \*negatiuè. Iste liber tradit aliquid quod articulis fidei repugnet: ergo non est Canonicus. Affirmatiuè non tenet.

*Stapletonus.*

Hoc commodum nactus es ex manca & mutila atque infida disputationis aduersariæ tractatione, verborumque recitatione, vt ad respondendum quiduis tibi liceat comminisci & fingere. Non enim positus aduersarij verbis nec sententiis, sed alia aliqua conficta, ignatissimo cuius aliquid respondere, nodumque à seipso fabricatum dissoluere, in promptu erit. Primum fingis me per Regulam fidei articulos fidei intelligere. Atqui obese naris homo, quid tandem obstaculi inter oculos tuos & librum meum interuenit, vt nō videres quid per Regulam fidei à me hoc loco intelligatur? Cur non aduertisti quid statim in principio huius capituli ea de re dixi, hunc in modum? *Quid autem per Regulam fidei hic intelligamus, & quantum in alijs dogmatibus probandis illa*

VWhitakeri vel olentia, vel ignouia sada.

*illa semper valuerit, satis copiosè explicuimus in Controversia tertia.* Moxque ad marginem anuotatum habes. Lib. 7. cap. 1. & seq. Quodnam quæso interstitium oculos tuos impediuit, quo minus ista cerneant? Aut si vidisti quæ demum pigritia & sorordia digitos tuos occupauit atque possedit, vt in eodem libro pauca folia vertere non posses, locumque designatum inspicere? Aut si inspexisti tandem & longam ibi de Regula fidei disputationem vidisti, tum quid eo nomine significetur quamque latè pateat, & multo plura quam articulos fidei complectatur, tum quantam vim in fidei dogmatibus iudicandis apud totam antiquitatem habuerit, cur hic dubitas & quæris, an per Regulam fidei articulos fidei intelligam? Cur illud totum dissimulas? Aut ea non vidisti Professor somnolentus, aut dissimulare voluisti disputator ignauus.

Deinde quam vanè in eo contra me laboras, vt probes hoc argumentum negatiuè quidem valere, non item affirmatiuè? Si Patrum loca à me citata in medium protulisses, quorum ne vnum quidem roto hoc capite reſponſionis tuæ proferre es ausus, facile tecum lector vidisset huius argumenti vsum non nisi negatiuè simpliciter & absolutè valere. Sic enim Patres à me citati ad vnum omnes disputarunt, Clemens Alexandrinus, Eusebius Pamphili bis citatus, Augustinus, & demum Serapion ille Antiochenus Episcopus, cuius verba à me in superiori capite prætermiſſa vehementer vrges, & me qui prætermiserã ineptè reprehendis, nūc autē hoc loco, suo ac proprio, posita, nec minimo digito attingis. Quare ego citatis istis Patribus sic concludo. *Ostendunt ista ex Regula fidei tanquam amissi certissima dijudicatōs & deprehensos fuisse de rebus diuinis confictos libros, id est, ex eo quod reliqua continebant*

quæ Regulæ fidei repugnarent. Hactenus ergo nihil respondisti, sed meam sententiam ex varijs Patribus collectam, quasi tuam meæque contrariam impostor ridicule recitasti. Sed videamus quæ adhuc toto hoc capite tuo nugaris.

*VWhitaker us,*

3. Sess.

\* Mendacium, non sic inquit.

Sed quæ nam est ea Regula fidei? Certè Regula fidei est ipsa scriptura. Si ergo per Regulam fidei consignetur Canon scripturæ, tum scriptura per scripturam confirmatur: quod nos volumus. Sed ille longè aliter. Regula fidei (\*inquit) non est scriptura, sed præuia quædam & præsupposita & præexistens Ecclesiæ fides, quæ cum prior sit scripturis, nec includitur in scripturis nec cõuertitur cum scriptura. Hoc certè \*impiè ac blasphemè à Stapletono fingitur.

*Stapletonus.*

Verba mea ex quibus hanc meam sententiam more tuo fabricasti, hæc sunt. Hæc assertionem demonstrata sequetur Ecclesiam per præuiam & existentem fidem suam de scripturis determinasse. Vnde etiam sequetur non tam ipsius fidei Regulam in se esse scripturam, quam ipsarum scripturarum Regulam (quoad acceptationem nostram) esse fidem Ecclesiæ præsuppositam & præexistentem: esseque propterea fidem ipsam scripturis priorem, & distinctum quid à scripta doctrina, neque conuerti cum ea, neque concludi in ea. Ex his verbis hoc primum mendacium fabricasti. Regula fidei (inquit Stapletonus) non est scriptura. Hoc ego tam crudè & simpliciter non dixi. Illud dixi & dico non tam ipsius fidei Regulam in se esse scripturam quam ipsarum scripturarum Regulam esse fidem Ecclesiæ. Vtramque esse fidei Regulam agnosco, tum scripturas tum Ecclesiæ fidem; sed magis Ecclesiæ fidem, esse scripturarum Regulam quoad acceptationem nostram, quam scriptura ex se sola

totius

Scripturã esse Regulam fidei non negatur.

totius fidei est Regula, Id est magis cognosci à nobis quæ sint scripturæ diuinæ, per fidem Ecclesiæ quæ latissimè patet & nihil quod ad fidem attinet ignorat, edocta semper omnem veritatem à Spiritu sancto in æternum; quàm ipsæ scripturæ in se, id est quatenus liber scriptus qui interprete indiget nec omnia ad fidem quoquo modo pertinētia concludit, totius fidei Regula sunt. Deinde cætera à me impiè atque blasphemè fingi proclamas. Sed tantam accusationē (qua nulla atrocior in causa fidei de homine theologo proferri potest) firmis ac solidis, opinor, argumētis cōfirmabis. Ea videamus.

*Whitakerus.*

Certò enim tenendū est, vt post cumulatè docerimus, verbum Dei reuelatum & scriptum, esse vnicam Regulam fidei, quod quidem fide Ecclesiæ prius est. 4. Sect.

*Stapletonus.*

Hic ergo nihil probas, sed te probaturum affirmas. At ego in hoc ipso Opere quod impugnas libro 12. multis argumentis probaui verbum Dei scriptum non esse vnicam regulam fidei, nec scripturam, fide Ecclesiæ priorem esse; quod vel ex eo patet, quod perspicuè constet multos ex fide Iesu Christi seruatos fuisse ante omnem scripturam, nō solum veteris testamenti vt Abraham omnesque Patriarchas, sed & ante scriptos noui testamenti libros: qui nec statim prædicantibus Apostolis, nec omnes scripti sunt ac demum post scripturas promulgatas, multas non personas tantum priuatas, vt idiotas ac indoctos omnes, sed & gentes integras teste Irenæo absque scripturarum lectione vel cognitione per fidem Iesu Christi ab Ecclesia acceptam saluatas fuisse. In hoc ergo pares sumus, quod tu tuam insanam sententiam docuisti in hac

*Ecclesiæ  
fidem esse  
Scriptura  
priorem  
liquida  
probatio.*

*Lib. 3.  
cap. 4.*

disputatione tua contra P. Bellarminum, ego orthodoxam & Catholicam sententiam docui in hoc opere meo contra hæreticos huius temporis omnes. Sed quid? Nihil in præsentis argumenti adferes quo aliquè saltem admirabilis sapientiæ tuæ gustū nobis præbeas? Nullum ante amplum illud tuum conuiuium & apparatus splendidum, dulciarium dabis, quo interea temporis Lectoris tui expectationem & desiderium lenias? Non quidem adeò inciuilis es. Argumētum attulisti perpulchrum, quod huiusmodi est.

*VWhitakerus.*

5. Sect.  
Argumē-  
tum con-  
tra leip-  
sum for-  
tissimum.

Nam fides omnis ex auditu, auditus verò per verbum Dei. Roman. 10. 17. hoc est, auditus noster respicit Dei verbum tanquam suum obiectum: & obiecta sunt priora sensibus: ergo verbum prius fide.

*Stapletonus.*

Dialecticè admodum & Laconicè, & qui compressa manu multa constringas. Sed hanc tuam compressam manum aperiamus non nihil, & hunc Laconismum tuum aliquo Atticismo dilatemus. Aio te in caput tuum acutissimum telum strinxisse & dulciarij loco foetidissimum bolum porrexisse.

Pauli vet-  
ba, fides ex  
auditu, ex-  
planât r.

Verbum  
Dei &  
verbum  
Christi nõ  
conuer-  
suntur.

*Fides* (inquis) *omnis ex auditu*. Certissimum id quidem & irrefragabile Apostoli verbum est. *Auditus verò per verbum Dei*. Primùm religiosè te rogo cur pro eo quod Paulus dixit, *Verbum Christi*, tu ponis, *verbum Dei*? Idem est inquis. Nam & Christus Deus est. Verbum igitur Christi verbum Dei est: Hoc quidem vtrumq; verissimum est. Sed an propterea omne verbum Dei verbum Christi est? An ita latè patet verbum Christi quàm verbum Dei? An non verbum Christi in scripturis illud dicitur quod vel Christus ipse viua voce prædicauit, vel per

per eos quos ad prædicandum misit loquitur? An verbum Christi vocatur quicquid scriptura continet? An quæ ante Christum natum in scriptura veteri habentur, Christi doctrina aut verbum vocatur? An per Christum Deus loquutus est, antequam in mundum Christus veniret? An vana est illa Apostoli distinctio? *Multifariam multisque modis olim Deus loquutus est Patribus in prophetis, nouissimè diebus istis lo-* Hebr. r.  
*quutus est nobis in filio?* Sicut ergo olim verbum Dei erat verbum prophetarum, sic nunc verbum Dei est verbum Christi. Non ergo temerè aut sine magna causa, Apostolus hoc loco dixit. *Auditus autem per verbum Christi: & non vt tu ais, Auditus autem per verbum Dei.* Verbum enim Christi propriè vocatur, quod missi à Christo prædicatores annunciant & euangelizant. Illi enim adeò verè ac propriè verbum Christi loquuntur, vt talibus Christus dicat. *Qui vos audit me audit.* Sed siue verbum Dei siue verbum Christi legamus, tu nunc vt hæc verba exponas, audiamus. *Hoc est, inquis, auditus noster respicit Dei verbum, tanquam suum obiectum.* Expositionem tuam in terminis admitto. Sed quia termini tuæ explicationis adhuc dubij sunt, eos à te explicatiùs positos fuisse optassem. Et quidem de auditu externo te hic loqui non de auditu interno, subsumptiù tuum manifestè ostendit, quum ais, *& obiecta sunt* Luc. 10.  
*priora sensibus: ergo de auditu sensibili & externo lo-* Verbum Christi quid significet.  
*queris: atq; id quidem rectissimè.* Nam de tali Apostolum loqui totus contextus ad oculum declarat. Nunc igitur quum auditum intelligas externum, qui aurium organo percipitur, de quo verbo Dei loquaris perspicuum quoque foret, nempe de verbo prædicato, quod solùm auribus percipitur, & quod solùm obiectum est sensus auditus, nisi hic de scripturis disputares, & nisi totum hoc argumentum

tuum descripto verbo procederet. Hic igitur te interrogo; vtrum verbi Dei nomine hoc loco, verbū scriptū seu scripturas intelligas, an verbum prædicatum? Si verbum scriptum & scripturas intelligis, ineptissimè subintulisti: & *obiecta sunt priora sensibus*. Verbum enim scriptum quatenus scriptum, non est obiectum auditus sed visus, nec auditur sed legitur. Si verbum prædicatum hoc loco intelligas, nihil hoc pro scripturis facit, quas tu ex hoc loco esse vnicam fidei regulam probare contendis. Verbum enim prædicatum est verbum loquentis & prædicantis Ecclesiæ.

Verbum  
Christi ex  
cuius au-  
ditu est fi-  
des, sit  
verbum  
prædicatis  
Ecclesiæ.

Sed quoquo modo tu intelligas id certo certius est, verbum Christi hoc loco, de quo Paulus dicit, *Auditus autem per verbum Christi*, esse verbum prædicatum, ipsiusque Ecclesiæ verbum, ex quo sanè audito tanquam externo & ordinario medio, cui interna Dei gratia cooperatur, fides est. Alioqui si tibi Whitakere absurdum videtur, Apostolum dixisse, fides est ex auditu Ecclesiæ, eo quòd vox Ecclesiæ nisi externum quiddam est, & absque diuini Spiritus interna persuasione nihil efficit, absurdum quoque tibi videri debet eum dixisse, Fides est ex auditu scripturarum, vel ex auditu per scripturas, quas tu vis esse hoc loco verbū Dei. Nam & scriptura audita externum quoq; quiddam est, & absque diuini Spiritus persuasione nihil efficit. An tam absurdus & impius es, vt solis auditis scripturis, absq; interno diuini spiritus testimonio & adiutorio, ingenerari fidem posse affirmes? Non opinor. Sed nunc per verbū Christi hoc loco, verbum Ecclesiæ prædicatū Paulum intellexisse, contra tuam ignorantiam, tuorumq; omnium pertinaciam, ex ipso Paulo totoq; eius contextu ostendemus. Præmiserat Paulus vt fidei Euangelicæ necessitatem

fitatem ac virtutem (præcipuum illius epistolæ ar-  
 gumentum) commendaret; *Omnis qui credit in illum*  
 (Christum) *non confundetur.* Et rursum. *Omnis qui* Esaï. 28.  
*inuocauerit nomen Domini non confundetur.* Ioel. 2. Vtraq; hæc  
 propheta de Christo est. Nunc autē docere volēs  
 qui ad hęc inuocationem & fidē perueniatur, sub-  
 iungit. *Quomodo ergo inuocabūt in quē nō crediderūt.* Er-  
 go inuocationem præcedere debet fides, & inuoca- Rom. 10.  
 tionis fundamētū est fides. *Aut quomodo credent ei quē*  
*nō audierunt?* Ergo fidē præcedit auditus, & fides ex  
 auditu est, vt postea concludit: Sed nunc quē auditū  
 intelligat, vide & aduerte. *Quomodo autē audiet sine præ-*  
*dicante?* Ergo auditū præcedit prædicatio, & auditus  
 ex quo fides generatur, est auditus prædicantis. At  
 cuius prædicantis, nisi Ecclesiæ, aut eius quem mit-  
 tit Ecclesia, vel per Ecclesiam mittit Deus? Sequi-  
 tur propterea. *Quomodo verò predicabunt nisi mittan-*  
*tur?* Ergo prædicationem præcedere debet missio;  
 & radix legitimæ prædicationis est missio & voca-  
 tio legitima. Vbi verò illa aut per quam illa missio  
 est, nisi in Ecclesia & per Ecclesiam? De qua re  
 in Promptuario nostro Catholico contra hæreti- In festo S.  
 cos multa disputauimus. Pergamus nunc cum Andræ  
 Apostolo vr ad verba à te citata veniamus. *Sed non* & S. Mar-  
*omnes (inquit) obediunt Euangelio:* haud dubiè præ- ci, & feria  
 dicato. *Isaias enim dicit,* hoc est, de futura prædica- 1. Pētech.  
 tione prædixit. *Domine quis credidit auditui nostro?*  
 id est, quotus quisque credidit doctrinæ quam  
 audiuit à nobis? Ergo fides ex auditu: *auditus au-*  
*tem per verbum Christi:* vtique prædicatum à nobis  
 quos Christus misit. An hæc conclusio Apostoli di-  
 screpare potest à tota præcedenti disputatione?  
 An de alio auditu verbi in præcedentibus loquu-  
 tus est, quàm de auditu verbi prædicati? An non do-  
 cuit disertissimè fidem esse ex auditu prædicantis?

An non postea conqueritur, quòd pauci crediderunt auditui ipsorum, id est, auditæ eorum prædicationi? An concludens statim Apostolus, *fides ex auditu*, de alio auditu intelligi villo modo potest, quàm de quo hæcenus tam multa loquutus est? An adiungens, *Auditus autem per verbum Christi*, aliud verbum significare potuit, quàm de verbo Christi prædicato, ab ijs quos Christus misit? Quid? An post tam longam & perspicuam de verbo prædicato disputationem, subito & derepentè ad aliud verbum, scriptum videlicet, se transtulit? An in sequentibus aliquid est quod hanc tam repentinam & abruptam transitionem probabilem faciat? An non contra eandem materiam adhuc prosequitur, dicens. *Sed dico, nunquid non audierunt?* id est, gentes incredulæ non audierunt prædicationem verbi? *Et quidem in omnem terram exiit sonus eorū, & in fines orbis terra verba eorum.* Vtique Apostolorum & Apostolicorum virorum. Per omnia igitur Apostolus de verbo prædicato, & de auditu verbi prædicati loquitur, quum dicit, *fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi?*

Per verbū  
Christi  
scripturā  
intellige-  
re Paulus  
non po-  
tuit.

Et quænam tandem scriptura, bone VWhitaker, erat, quam Apostolus per verbum Christi hoc loco intelligere potuit? An veteris Testamenti scriptura? At illa, prophetarum verbum, Deo per illos loquente erat, non verbum Christi, si bene Apostolus distinxit in principio epistolæ ad Hebræos à me iam citato. An noui Testamenti scriptura? At Paulo hæc scribente, nec D. Ioannis Euangelium, aut Apocalypsis eius, nec aliæ epistolæ Apostolicæ adhuc scriptæ erant; & quæ scripta iam fuerunt, seu Euangelia seu alia, an sic putas in manibus omnium tunc fuisse, sicut hodie sunt, aut ita vulgaria passim extitisse, vt fides credentium ex earum lectione hauriri

tunc

tunc posset? Non te tam dementem arbitror vt sic existimes. Certè vt Paulus in suis epistolis & concionibus ex veteri Testamento quàm plurima testimonia diligenter profert, ita ex noui Testamenti literis nulla prorsus eum protulisse animaduerti potest. Et si enim verba Cœnæ Dominicæ in epist. ad Corinthios recitat, tamen vt ex traditione accepta, non vt in Euangelio scripta, ea commemorat. Ego, inquit, *quod accepi à Domino, hoc tradidi vobis.* Est igitur omnibus modis absurdissima hæc tua tuorumque omnium sententia, qui *per verbum Christi* hoc loco, *ex cuius auditu fides est*, verbum scriptum & ipsas scripturas perpetua & pertinaci cæcitate intelligere vultis. Contra verò ipsa luce meridiana clarius est, de verbo Christi prædicato, & de voce prædicantis Ecclesiæ Paulum loqui, quando dicit, *fides est ex auditu: auditus autem per verbum Christi.*

Quibus ita constitutis, nunc vt tuum argumentum contra teipsum fortissimè faciat, attende. Fides omnis est ex auditu; auditus verò per verbū Christi: hoc est, auditus noster respicit verbum Christi ab Ecclesia prædicatum tanquam suum obiectum, & obiecta sunt priora sensibus: ergo verbum prædicatum est prius fide. Hoc est tuum argumentum in forma, mutatis terminis quibusdam, prout ex Apostolo mutari debere demonstrauimus. Nunc porro ex hac conclusione sic adhuc infero. Verbum prædicatum seu Ecclesiæ prædicatio est prior fide, id est fides generatur ex Ecclesiæ prædicatione. Ergo vt aliquid credatur, verbi gratia, has esse scripturas Canonicas, aut aliud aliquod fidei obiectum, Ecclesiæ prædicantis & testificantis autoritate opus est: & hæc autoritas regula nobis & mensura esse debet, quid sit credendum, quid non. Quare & in scripturis approbandis & consignandis præsuppo-

Hæretico-  
rum per-  
tinax er-  
ror.

In lib. de  
utilit. ere-  
dendi c. 16.

ni & præexistere necessariò debet Ecclesiæ fides, do-  
ctrina, prædicatio, & confirmatio, qua velut certo gradu  
*authoritatis nisi* (vt Augustin. loquitur) ad huius tam  
necessariæ veritatis de veris scripturis cognitionem  
perueniamus. Atq; ita ex argumento tuo institutù  
nostrum principale magis ac magis confirmatù est.

*Whitakerus.*

6. Sect.

\* Satis pro  
imperio.

Si aliam fidei regulam præter verbum Dei scri-  
ptum fingat, \* nos eam reijcimus, repudiamus, &  
talem nullam agnoscimus; totamque regulam Ca-  
tholicæ fidei ad vnicam scripturam reuocamus.

*Stapletonus.*

Act. 17.

1. Cor. 14.

Epist. 1. ad  
Sympron.

Fortiter, & satis pro imperio. Nos, inquis, reijcimus,  
*repudiamus & talem nullam agnoscimus.* At qui vos tan-  
dem? Certè Iesum scio, & Paulum noui, vos autè qui estis?  
Christù cognoscimus, & Apostolos, prophetas, pa-  
stores, doctores ab eo missos nouimus; vos autè qui  
estis? In Christum credimus, & Ecclesiam Catholicã  
in symbolo profiteamur, vos qui estis? vnde venitis  
aut quò vultis? *An à vobis verbum Dei processit, aut ad  
vos solos peruenit?* An vos estis primi magistri fidei  
vt vos tandem primùm audire debeamus? Aut  
vos soli eam didicistis ac tenetis, vt in vestra sola so-  
cietate ac cõmunionem veritas fidei inueniri queat?  
Superbe heretice, cur tu vna pars, imo (vt cū doctis-  
simo Paciano loquitur) *insolens aliqua portiuncula, tuber-  
que collectum, & à reliquo corpore separatum,* præscribis  
toti? contradicis Patribus? resistis Ecclesiæ? Ego enim  
in hoc opere quod impugnas, quæ sit regula fidei,  
nec in solis scripturis comprehensa, ex multorù pa-  
trum testimonio, variaque totius Ecclesiæ praxi de-  
monstrauit, locis in hoc ipso capite quod impugnas  
citas. Superbè igitur & arroganter, ridiculè pro-  
fus & muliebriter nunc protestaris, bonus prote-  
stans: *Nos reijcimus, nos repudiamus, nos non agnoscimus.*

Si ali-

Si aliquis Romanus Pontifex sic loqueretur, Antichristum illum proclamares.

*VWhitakerus.*

Sed quæro vtrum Ecclesia sine hac regula fidei <sup>7. Sect.</sup> an per hanc regulam discernat veras scripturas à falsis. Respondet Stapletonus in fine capit. in hunc modum. Regula fidei, inquit, ab Ecclesia tradita & accepta, est vnum idemque certissimum mediū, quo pastores & magistri Ecclesiæ discernunt veras scripturas à falsis. \* Ergo sine hac regula genuinæ <sup>\* Consequencia</sup> scripturæ ab adulterinis discerni non possunt. <sup>ridicula & conficta-</sup> Ex his ego quatuor propono obseruanda.

*Stapletonus.*

Hoc est quod dici solet, ab ouis ad mala. Huius capituli refutationem aggressus postquā principiū eius leniter attigisti, nunc ad finem eius te cōuertis omnibus intermedijs prætermisis. Hæc enim mea verba, quæ nunc tibi refutanda sumpsisti, prorsus vltima sunt huius cap. verba, ipsaq; conclusio. Sed ex mea cōclusionē tu aliam deducis nō meā, eamque mihi mendaciter affingis. Hanc videlicet. *Ergo sine hac regula genuinæ scripturæ ab adulterinis discerni nō possunt.* Hæc verba, hæc conclusio tua sunt, magister mendax, nō mea. Nec ego illā conclusionē scripsi; nec ex ijs quæ hoc capite scripsi colligi illa potest. Tametsi enim cōcludam ex variorum Patrum testimonio, alijsq; argumentis, quorū nihil hic attingere ausus es, ipsam regulam fidei ab Ecclesia traditam & acceptam, vnum esse idemq; certissimū mediū, quo pastores & magistri Ecclesiarū veras scripturas à falsis discernūt, non tamē infero sine huiusmodi regula scripturas veras à falsis discerni nō posse. Non quia vnū est medium, ideo sine illo medio fieri nō potest, imo contra quia vnum esse mediū dico, ideo alia esse media in finuo, per quæ  
idem

idem fieri posset, ac propterea sine hoc medio: Si vnicum & solum medium esse dixissen, at neque ita sequeretur sine illo medio fieri rem non posse, aut sic me intelligere. Nam & absque aliquo externo medio, soloque diuini spiritus instinctu, Ecclesiam veras scripturas à falsis discernere posse, nihilominus sequeretur, & ego nihilominus sic intelligere possem. Nunc autem non vnicum sed vnum esse hoc medium dico: & quidem certissimum, non tamen necessarium. Si necessarium dixissem, sequeretur aliquo modo conclusio à te conficta. Nunc autem necessarium non dixi, aut vnicū, sed vnum idemque certissimum. Vides magister mendax, quam ineptè & absurdè mendacem illam conclusionem tuam, mihi falsò & mendaciter affinxeris.

*VWhitakerus.*

8. Sect. Primum. Si per Regulam fidei scripturæ veræ à falsis discernatur, tum non minus pertinet ad totum Ecclesiæ corpus scripturæ Canonem consignare, quàm ad ipsos Pastores & magistros Ecclesiarum. Omnes enim fideles habent hanc Regulam fidei, non tantum Pastores, Præpositi & Prælati: quia fides tam laicis quàm ministris communis est.

\* Probatio  
infallis &  
à seipio  
refutata.

*Stapletonus.*

Huic tuo argumento tu ipse Whitakere respondebis, meque hoc labore leuabis. Non vis in tam longa defensione mea hanc vnam mihi gratiam facere? Non es tu quidem adeò inciuilis. Faciens facies. Hæc sunt igitur tua verba cap. 6. huius q. 3. *Quis tam audax atque impudens est, quem non Ecclesiæ Catholicæ authoritas magnopere permoueat? Ea hos libros vidit & examinauit, & melius de illis iudicare potest, quàm priuatus quispiam, quia maiorem & amplioem copiam Spiritus sancti ac iudicij habet.* Gratiam habeo hu-

Ecclesia

manitati

manitati tuæ. Fateris nunc ingenuè Ecclesiam de  
 libris dubijs *melius iudicare posse, quàm priuatum quem-*  
*piam.* & addis causam fortissimam. *Quia maiorem &*  
*ampliozem copiam Spiritus sancti ac iudicij habet.* Vanum  
 est igitur planeque vanissimum quod nunc dicis,  
 quia omnes fideles habent Regulam fidei & fides  
 omnibus est communis, propterea per Regulam fi-  
 dei veras scripturas à falsis discernere, non minus  
 pertinere ad totum corpus Ecclesiæ quàm ad Pa-  
 stores, præpositos, & Prælatos. Nunc enim tecum  
 tuisque verbis respondeo. Etsi omnes Regulam fi-  
 dei teneant, fidesque omnibus communis sit, tamē  
 Ecclesia id est, eius Pastores, Præpositi, Prælati de li-  
 bris dubijs *melius iudicare possunt quàm priuatus quispiam.*  
 Et ratio est, quia etsi fidem communem habent, ta-  
 men *maiorem & ampliozem copiam Spiritus sancti ac iu-*  
*dicij habet Ecclesia,* id est, Ecclesiarum Pastores, Præ-  
 positi ac Prælati. Quia enim de libris quibusuis, &  
 consequenter de Regula fidei per quam libri veri à  
 falsis discernuntur, melius iudicare potest Ecclesia  
 quam priuatus quispiam, Item quia ampliozem  
 copiam tum Spiritus sancti tum iudicij habet, id-  
 circo melius & certius & infallibilius quàm laici  
 aut totum inferius corpus Ecclesiæ, de ipsa com-  
 muni fide fideique Regula iudicare, & secundum  
 illam vera à falsis discernere possunt. Magister men-  
 dax, meminisse debebas, quod mendacem memo-  
 rem esse oporteat.

Sed & præterea, ne tibi nimium pro hac re-  
 sponse obstrictus videar, illud quoque memi-  
 nisse poteris, iam in præcedenti hac disputatione  
 nostra docuisse me, varium esse de fide rebusque fi-  
 dei iudicium, vnum omnibus commune quod fi-  
 dei iudicium est, aliud paucis & doctissimis propri-  
 um, quod iudicium discretiuū vocari potest, aliud  
 demum

Suprà  
 lib. 1.  
 cap. 8.

cur me-  
 lius iudi-  
 care po-  
 test, quàm  
 vulgus fi-  
 delium,  
 qui fidei  
 regulam  
 tenent.

demum Ecclesiæ Magistris proprium quod authoritatis vim habet: iuxta quam distinctionem etsi omnium sit fides, tamē nō omnium est iudicare de fide.

*VVhitakerus.*

9. Sect.  
Confe.  
quentia  
in pra &  
puerilis.

Secundum. Si Ecclesia non sua autoritate, sed per Regulam fidei discernat veras scripturas à falsis, \*tum superiora illa omnia Stapletoni argumenta, ab autoritate Ecclesiæ ducta nihil valent. Quia Ecclesia non simpliciter nititur sua autoritate, sed certa quadam Regula fidei; quando scripturas dijudicat atque distinguit. Sic superiora argumenta quæ posita sunt in nuda autoritate Ecclesiæ prorsus abiudicantur, atque omne Ecclesiæ iudicium ad fidei regulam alligatur.

*Stapletonus.*

Ecclesiæ  
authoritas  
non ideo  
minor,  
quia Re-  
gulam  
fidei con-  
tulit.

Hic ingenium & iudicium, nō professore tantum regio ac doctore theologo, sed quolibet liberaliter instituto dignum in te desidero. Quid enim? An tam hebes & obtusi cerebri es, vt existimes autoritatem Ecclesiæ in scripturis dijudicandis in eo violari aut imminui, quod per Regulam fidei consultam, aut per alia media adhibita hanc autoritatem exercet? Si vllius ingenij aut iudicij esses, nonne Ecclesiæ autoritatem eo impensius laudares & libentius amplecterere, quod certis medijs eisque maximè laudabilibus circa veritatis discussionem ac definitionem vtatur? Age Doctor indocte. Eodem disputandi genere ac modo, hoc est, eadem dementia ac stultitia, contra Apostolorum autoritatem disputa, & nega Apostolos sua autoritate decretum de non seruandis legalibus emisisse, (quum tamen summa autoritate vtantur, dicentes, *visum est Spiritui sancto & nobis &c.*) eo quòd ad illud decretum faciendum, *conuenerunt cum Senioribus*, id est, presbyteris *videre de verbo hoc magnamque conquisi-*

*conquisitionem fecerunt, id est multum diuque ea de re*  
*disputarunt, vt Syrus paraphrastes vertit. Aut si nec*  
*hoc exemplum tuam adhuc traditatem instruere*  
*potest, age, disputa contra Reges ac principes qui*  
*leges ferunt atque promulgant summa ratione ni-*  
*rentes, multorum prudentum virorum adhibitis*  
*consilijs, consulta etiam laudabili patriæ populi-*  
*que consuetudine, & dicitis huiusmodi Reges ac*  
*principes in suis ferendis legibus nulla authoritate*  
*vti, eo quod rationem consulant, prudentum viro-*  
*rum consilia sequantur, aut laudabiles locorum*  
*consuetudines inspiciant. An non potius si vel mi-*  
*cam salis haberes, huiusmodi Principum ac Re-*  
*gam authoritatem eo magis laudabilem, eoque*  
*firmius ac procliuus à populo amplexandam præ-*  
*dicares? Quod si in Regum, & Apostolorum au-*  
*thoritate hoc vides, cur & in Ecclesiæ authoritate*  
*idem non aduertis, quando in illa sua Authoritate*  
*exercenda, suo testimonio atque iudicio circa scri-*  
*pturarum approbationem proferendo, vel Regu-*  
*lam fidei, vel alias scripturas, vel maiorum suorum*  
*testimonia consulis, & legitima conquisitione*  
*facta, ita demum concludat? Quid, homo inepte,*  
*itane à nobis Ecclesiæ authoritatem in prioribus*  
*argumentis assertam & sic nudam vt loqueris con-*  
*firmatam putasti, vt pro solo suo libito ac bene-*  
*placito, aut etiam solo immediato Spiritus sancti*  
*afflatu impulsa, scripturas Ecclesiam diiudicare*  
*doceremus? Si tam hebes ac tardus fuisti, vt aliter*  
*existimare nescires, at certè disputatio alia nostra in*  
*libro proximè præcedenti eiusdem operis quod*  
*impugnas, aliud te docere potuisset. Eo enim in li-*  
*bro de hac Ecclesiæ authoritate in genere disputan-*  
*tes, docuimus Ecclesiæ authoritatem in fidei do-*  
*gmatibus definiendis & proponendis sic esse infal-*  
*libilem*

Lib. 2.  
Cap. 14.

VWhitakeri igna-  
nia.

libilem, vt sola reuelatione Spiritus sancti non vtatur, sed facta inquisitione, & causa meritis expensis, adhibitis quoque medijs & subsidijs ad rem propositam idoneis (vt ante omnia scripturis ipsis, deinde summorū Pontificum & Conciliorum decretis, Patrum sententijs, Regula fidei consueta, & similibus) ad veritatis certitudinem perueniat. Debui- sti Domine Doctor aduersarium quem tibi delegi- sti & ad certamen prouocasti, antequam eum ag- gredereris, bene intelligere, eiusque mentem & sententiam exploratam habere: atque ita demum apud te expendere, tui quid humeri valeant quid ferre recusent. Quod quia non fecisti, in tam mul- tas & crassas absurditates incidisti, tuam in rebus theologice infantiam prodidisti. teque prudenti lectori deridendum, amicis tuis commiseratione prosequendū, aduersario tuo miserè flagellandum exposuisti.

VWhitakerus.

10. Sect.

\* suam  
iustitiam  
Doctor  
indoctus  
procla-  
mat.

\* Nihil ad  
rhombū.

\* Menda-  
cium.

Tertium. \* Quomodo hæc inter se conuenire aut omninò stare possunt? Ait Pastores & magistros Ecclesiarum per Regulam fidei traditam & acceptam ab Ecclesia, discernere veras scripturas à falsis: & hoc Ecclesiæ nomine intelligit Pastores tantum & Præpositos & Magistros (vt vocat) Ecclesia- rum. Ergo nihil aliud dicit, quàm Pastores per Regulam fidei à Pastoribus traditam & acceptam, scripturas discernere. Sed primò Pastores non semper idem sentiunt \* de Canonicis scripturis, si per Pastores, Doctores & Episcopos intelligat, vt ex antiquitate probari potest. Si ergo hæc regula à Pasto- ribus tradatur, varia erit ac incerta. Imò ne Pasto- res quidem huius temporis \* de libris Canonicis idem sentiunt. Necesse est ergo vt tandem ad vni- cum Papam tanquam ad summum (vt vocant) Pa- storem

storem sese referant, eum Ecclesiam faciant, atque ex illius arbitrio omnia suspendant.

*Stapletonus.*

Componere ac diuidere, vnde discursus ortum capit, proprium esse, rationali creaturæ, annotatut Philosophi: Quæ rationis vis vt magis excitetur ac iuuetur, dialectices & ratiocinandi ars inuenta est, quæ & generalia in suas partes distribuere, & dispersa membra in suum corpus ac totum colligere, & sibi aduersantia discernere ac segregare, inter se coherentia, affinia, cognata, vnire & coniungere, denique quid ex vnoquoque sequitur vel non sequitur, quomodo vnum alteri conuenire vel non conuenire queat, distinctè tradere & explicare doceat. Hac tu ratione & arte destitutum te hoc loco profiteris, qui supremæ tamen Scientiæ cui hæc altera ancillatur Professore idque Regium in Academia celebri scribis. Non vides, non capis, non intelligis quomodo hæc inter se conuenire aut omnino stare possint, quod Regula fidei ab Ecclesiæ Pastoribus & præpositis populis tradatur, & ex eadem fidei Regula Præpositi & Pastores scripturas veras à falsis discernant, aut aliquod aliud fidei dogma examinent. Ita non vides, non capis, non intelligis, quod omnis artifex suam ipse regulam vel facit, vel ab alijs traditam accipit, & ex eadem regula opus artis educit. Non vides non capis, non intelligis quod fidei Regulam & summam & totam plenitudinem, Ecclesiæ Pastores, Præpositi ac Magistri à maioribus suis acceptam, populo sibi subdito tradunt, & ex eadem Regula noua de fide dubia, vbi opus fuerit, expendunt, probant, iudicant, quasque artis suæ opus educunt; id est potestatis sibi datæ officium exercent, definiunt & proponunt ea quæ sunt fidei. Non vides, non capis, non intelligis,

VVhita-  
keri insci-  
tia Profes-  
sore Regio  
indigna.

Regulam  
artifex fa-  
cit & se-  
cundum  
eam alia  
facit.

Act. 16.  
Apostoli  
Regulam  
fidei à  
Christo  
acceperunt  
& iuxta  
eam dogmata de-  
finierunt.

Gal. 5.  
& 6.

Marc. 16.

Matt. 16.

Ecclesiæ  
antiquis  
Regulis  
nova dubia de-  
terminat.

Apostolos ipsos in magna illa controuersia de legalibus vel abrogandis vel retinendis tum Regulam fidei habuisse quam à Christo & Spiritu S. acceperunt, & ex veteribus scripturis confirmarunt, tum ex eadem Regula fidei quam & D. Petrus & post eum Iacobus ex parte explicarunt, controuersiam illam terminasse. Regula fidei, quod ad præsentem controuersiam attinebat, tunc erat legales ceremonias iugum importabile fuisse, quia non nisi seruiliter signa non intellecta exercebantur, per fidem autem & gratiam Messiae in quem & veteres iusti venturum credebant, tam gentes saluandas fore, quam ipsi olim veteres saluerant. Ex his fidei fundamentis inferebant gentes non esse ad legalia cogendas, sed per fidem in Christum quæ per charitatem operatur esse saluandas: Vnde Apostolus ad Galatas eandem controuersiam tractans, eandem regulam bis inculcat. Cap. 5. dicens. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur.* In 6. cap. idem iterum repetens ac dicens, *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet neque præputium, sed noua creatura;* moxque addit statim & subiungit. *Et quisunque hanc regulam sequuti fuerint, pax super illos &c.* Hæc fuit Regula seu certum ac definitum fidei dogma, quod à Christo Apostoli acceperunt, quum illos in mundum mittens diceret, *Prædicate Euangelium &c.* quod ad fidem pertinet, & rursus, *docentes eos seruare omnia quaecunque mandauit vobis:* quod ad omnium mandatorum obseruationem spectat. Sic in omni de rebus fidei controuersia ac dubio, habet Ecclesiæ certos articulos & dogmata fidei iam definita, certa & indubitata ex quibus tanquam ex principiis notis accertis, alia dubia dissoluat atque concludat. Tu ergo non vides non capis non intelligis Philo-  
sophos

sophos omnes certa habere scientiæ suæ principia quæ vel ab alijs demonstrata acceperunt, vel ipsi certis & firmis argumentis demonstrarunt, ex quibus postea plurimas alias conclusiones eliciunt, & quæstiones propositas dissolunt? Idem accidit in Ecclesia Christi. Habet illa sua principia, sua axiomata, suos fidei articulos, non solum in Symbolo Apostolico comprehensos, sed & postea summa ac certa authoritate definitos, certa denique indubitata dogmata, quæ tanquam Regulam sequuntur, ne illis vnquam contraria doceant vel admittant, & ex quibus tanquam ex Regula, noua dubia de fide expendunt atque discutiunt; vnde antiqua & indubitata fidei dogmata, Regulam fidei frequentissime antiqui Patres vocant, vt pluribus exemplis in hoc opere quod impugnas commonstrauit.

Lib. 7.  
Cap. 3. &  
seqq.

Sed videamus tandem tuæ hebetudinis & tarditatis causas, cui ista tibi nullo modo conuenire nec omnino simul stare posse videantur. Duas adfers, quarum prima hæc est. *Pastores non idem semper sentiunt, de Canonicis scripturis: ergo Regula ab illis accepta erit incerta. Veniendum est igitur ad Papam.* Nihil miror si nostra tibi doctrina pugnare videatur; quia eam non intelligis. Sed testimonia Patrum quæ proculi si ea expendere voluisses, vt melius rem intelligeres, effecissent. Ostendunt Patres, à me citati, aliquos libros supposititios ideo reiectos esse pro non Canonicis sed apocryphis, eo quod cum Regula fidei non conueniebant, id est eo quod aliqua continebant receptis fidei Catholicæ dogmatibus contraria. Regula igitur fidei quam sequuti sunt illi Patres, non fuit Regula de certo numero librorum Canonicorum, de quo numero aliquandiu dubitatum fuit, (vt tu ineptè rem accipis, quum allegas, *Pastores non idem semper sensisse de Canonicis scripturis*)

sed fuit regula de alijs fidei dogmatibus, quibus isti supposititij repugnabant. Quare tota tua obiectio de veterum pastorum circa libros Canonicos dissentiente aliquando sententia, evanescit. Sed & illud quoque intelligere debes de regula fidei Pastores nunquam dissentire; aut vbi dissentiunt pertinaciter, non Pastores amplius sed lupos esse. Hoc ipso enim quod quis à regula fidei dissentiat, hæreticum deprehendi, nos in hoc opere ex multis antiquitatis testimonijs docuimus. Ita tu temerè ac dissolutè multa fingis, multa mendaciter asseris. Quale enim hoc mendacium tuum est, quo dicis? *Imo ne Pastores quidem huius temporis de libris Canonicis idem sentiunt.* Si Pastores sunt, de ea re iam dissentire non possunt, post Concilij Tridentini manifestam definitionem. Quare si Catholicos pastores intelligis, qui soli Pastores sunt, mentiris splendide. Si Pastorum nomine tuos sectarios intelligis, seu Lutheranos seu Calvinistas seu alterius cuiusque sectæ, lupi sunt, Pastores non sunt. Nunc alteram tuæ dubitationis causam videamus.

*Whitakerus.*

II. Sect.  
Doctor  
indoctus  
nō intel-  
ligit quod  
impugnat

Deinde quàm absurdum est, Pastores accipere à Pastoribus, hoc est \* à seipsis, certissimum medium discernendi scripturas? Hæc eiusmodi sunt vt nullo modo conciliari possint.

*Stapletonus.*

Absurda fanè & indigna res est te Professore Regium & doctorem Theologum, vt te scribis, scriptum quod impugnas non intelligere. Pudere te oportuit, si quis in te pudor esset, tam pudendè ignorare, quid illa propositio affirmet, quam impugnare contendis. Quia dixi, *Regulam fidei ab Ecclesia traditam & acceptam vnum esse medium quo Pastores Ec-*

*tes Ec-*

*res Ecclesiarum vtuntur ad scripturas dijudicandas*, somnias me velle dicere Pastores Ecclesiarum (qui nomine Ecclesiæ, quum de Ecclesiæ potestate disputatur, intelliguntur) Regula fidei ab Ecclesia id est, à seipsis tradita vti. Itane hebes & obtusus es, vt quod traditum & acceptum dicitur, aliunde traditum & aliunde acceptum esse non intelligas? vel illa igitur verba hunc tibi somnum, hanc capitis grauedinem excutere non poterant, vt vigilares & videres Ecclesiam illam à qua Regula fidei traditur & accipitur, antiquam esse & Maiorum Ecclesiam, Pastores autem ipsos qui eam acceperunt eaque vtuntur, præsentem esse Ecclesiam? Hoc tu videre non poteras, nec aduertere vocem Ecclesiæ tam veteri quam præsentis Ecclesiæ, quæ veteri successit eiusque vestigijs inhaeret æquè competere? Ita tamen altè obdormiisti, & hoc tuo hebetudinis & ignorantiae somno tam arctè compressus es, vt quasi inter somnia fabulando dicas: *Hæc eiusmodi sunt vt nullo modo conciliari possint*. Sed nunc vt spero euigilasti, iamq; vides quàm facile ac nullo penè negotio conciliatio facta sit.

Ecclesia præfens regulam fidei ab Ecclesia antiqua accipit.

Aut si adhuc non euigilasti satis, excitabo te magis vt demum expergeas. Hanc propositionem Domine Professor non intelligis? Ipsa statuta ab Academia Cantabrigiensi accepta & tradita vnū medium esse possunt, quo doctores & magistri Academici, æquum ab iniquo, rectum ab obliquo, honestum à turpi multis in rebus dijudicare ac discernere possint. In hac enim propositione nec adhuc vides, quum doctores & magistri Academici, Academia ipsa vocentur, quando de Academia potestate & authoritate agitur, non tamen intelligi, istos magistros & doctores à seipsis, sed à maioribus & antecessoribus suis, statuta illa ac-

VWhitakeri hebetudo familiaris exemplo docatur.

pisse, quæ ab Academia Cantabrigiensi tradita & accepta dicuntur? Familiare tibi exemplum ac domesticum proposui, vt tuæ tarditati omninò consulerem, teque prorsus expergefacerem. Quod quia factum iam existimo, ad alia pergamus.

*VWhitakerus.*

12. Sect.

\*Nihil ad  
rhobum.

Quartum. Quæro quænam tandem hæc regula sit? & vbi eam inueniamus, \* quæ certum & definitum numerum librorum habeat? Vtrum scripta sit an non scripta? Si scriptam dixerit, quæro vbi sit scripta? Si non scripta sit, eam facile contemnemus, vt rem nullius fidei vel momenti. Neq; enim traditiunculas non scriptas moramur.

*Stapletonus.*

Quod in singulari certamine accidere solet, vt qui arte & viribus inferiorem se videt, quum rectà iugulum petere, aut lætale vulnus infligere nequit, ad omnem se aduersarij partem vertat, ictus ingeminet, ad latus, ad crura, ad pedes ipsos si aliter non potest, telum dirigat, & quem lædere nullo modo potest, ei tamen negotium quantum potest, faceffit; idem tibi prorsus VWhitakere, ignauo & imbelli aduersario in hac tua mecû cõflictatione (cuius tu author esse voluisti) accidit. Argumenta à me posita pro Ecclesiæ autoritate amplissima, nulla arte, nullis viribus, conuellere aut refutare potes. Vana tua est sine viribus ira. Id quia intelligis, responsiones tuas multiplicas, ictus ingeminas, ad omnem cauillandi artem ac modum (in quo crassum te artificem præbuidisti) te vertis, & magis negotium faceffis, quàm vlla in parte vel me vel argumenta mea lædis. Tres respondendi vias tentasti. Nulla hæctenus successit, sed cum magna vel contradictionis vel ignorantia tuæ nota atque ignominia exceptus fuisti. Nunc quartam viam aggrederis

grederis non minus cæteris ineptam, vanam ac friuolam. Stultissimè enim à me quæris *vbi hanc regulã fidei inueniemus, quæ certum & definitum numerũ librorum habeat.* Quid? an adhuc in hac quoque responsione dormis? adhuc stertis? An de huiusmodi regula hic disputatur de qua tu quæris? An de regula certa librorum Canonorum ego disputo, quando de regula fidei hoc loco disputo? An non de illa regula fidei disertissimè ago, ex qua & secundum quam libri verè Canonici tales esse deprehédantur? Nò igitur de regula & certo numero Canonorum librorum, sed de regula per quã libri Canonici à suppositiis discernantur me disputare, si vel micam salis & ingenij habuisses, facile intellexisses. Regulam fidei hoc loco, definita & indubitata orthodoxæ fidei dogmata à me intelligi, à quibus discrepare nulli libri verè diuini atque Canonici possunt, nemo arbitror qui librum meum legit præter te ignorauit aut ignoriare potuit. Hoc enim facillimè vel ex Patrum testimonijs quæ hoc loco produxi, alijsque in hoc capite argumentis, vel certè ex præcedenti disputatione nostra ad quam hic in eodem Opere Lectorem remitto, quilibet Lector intelligere poterat, & haud dubiè intellexit; nisi alter fortasse VWhitakerus, cui aut crassa ignorantia caliginem offudit, aut cæca maleuolentia mentem eripuit. Quicquid nunc igitur ex hac tua quæstione in crassa ignoratione fundata sequitur, de scripta vel non scripta quam fingis regula, vt merũ nugamentum prætereo. Quæ tamen sequuntur expendemus.

VWhitakeri crassa  
hebetudo

VWhitakerus.

Sed dicit scriptam esse in cordibus fidelium, & huc adducit testimonia Ieremiæ, Esaie, & aliorũ, vbi Dominus dicit se legẽ suam in cordibus fi-

13. Sæp.

lium scripturum. Hæc probamus quidem: Sed ille interim nō animadvertit se id euertere quod prius statuerat. Dixit enim suprà, testimonium Spiritus sancti ideo esse \* reijciendum, quia non fuit externum sed internum.

• Menda-  
cium cote-  
dignum.

*Stapletonus.*

Dixi sanè regulam fidei fidelibus omnibus notissimam, in cordibus fidelium scriptam esse iuxta veteres hac de re prophetias. Sed quum hæc dicerem, regulæ fidei nomine, non aliquam regulam de certo numero librorum Canonicorum intellexi ( ut iam ante explicitum dedi) sed fidei communis dogmata communia, firma & indubitata, & à nemine Christiano bene instituto ignorata. Iam hanc regulam fidei in cordibus fidelium esse scriptam tu non negas, imo probare te affirmas. Sed ex eo inferre vis me mihi contradicere, & quod prius statueram euertere. Quinam obsecro? *Dixit enim suprà* (ais de me tu) *testimonium Spiritus sancti ideo esse reijciendum quia non fuit externum sed internum.* Quid ais? quid audio? Ego Spiritus sancti testimonium reijciendum esse quacunque tandem ex causa dixi? Vbi tandem? *Suprà*, inquis. At vbi suprà? Itane tam atrox & definitum crimen obiectas, nec locum definitum vbi de crimine constet, designas? Ea nunc est hodie scriptorum & tractatorum laudabilis diligentia, ut vix aliquid alienum seu alterius authoris proferant, nisi loco designato, vbi id author dixerit. Et tu tam indiligens ac negligens es, ut atrocissimo obiecto crimine, nullum locum perpetrati criminis designes? Ego verò nego prorsus, vel suprà in hac disputatione, vel in alia aliqua viquam mea, huiusmodi me verba dixisse.

Mentiendi  
libido aut Nescio profectò maior ne tibi sit mentiendi li-  
bido quàm necessitas, aut necessitas quàm libido.

Necessi-

Necessitatem mentiendi video, quia nisi egregiè & <sup>necessitas</sup> frequenter mentiaris, frequenter quod respondeas <sup>in VWhitakero</sup> non habebis. Libidinem quoque mentiendi tot & <sup>magna.</sup> toties reperita mendacia tua manifestè arguunt. Hæc doctorem & Professore Theologum in Academia & Repub. hæretica decere fortasse possunt, ut similes habeant labra lactucas; sitque dignum patella operculum. Sed in Ecclesia Catholica & in schola veritatis, mendaces scriptores ac magistri, ut infames ab omnibus exploduntur, & è scholis exhibilantur. Non est quòd hoc loco de huius vitij turpitudine atque infamia te admoneam. Satis tibi esse debet quod scriptura dicit. *Deus perdet omnes loquentes mendacium.* <sup>Psal. 5.</sup> Audiamus te adhuc, & an mentiri pergas, videamus.

*VWhitakerus.*

At si hæc regula fidei in cordibus fidelium scripta sit, quomodo quæso \* certior erit testimonio <sup>14 Sect.</sup> Spiritus? <sup>\* Aerem verberat.</sup>

*Stapletonus.*

Et quomodo pergis tu semper mentiri, novas mihi semper sententias falsò & mendaciter affingere? An ego vsquam dixi, testimonio Spiritus certiozem esse regulam fidei in cordibus fidelium scriptam? ego, inquam, qui hanc fidei regulam, totumque quicquid fidei est, per ipsam diuini Spiritus operationem & gratiam in cordibus fidelium scribi, hoc ipso in Opere quod impugnas, accuratè <sup>Lib. 2. c. 2. & 3.</sup> docui? Aut si hanc mihi sententiam non affingis, contra quem tandem hoc argumentum formas? Quomodo id rogas quasi assertum, quod nemo asseruit? Aut si non id rogas quasi assertum, quomodo tandem & quare rogas? Cur ita sæpe in incertum pugnas & aerem verberas? Hic te dexterè expedias velim.

*VWhitakerus.*

25. Sect.  
Suo se re-  
lo iungat

Et quid quæso differt à testimonio Spiritus, quando fides sit opus & effectum in cordibus fidelium, ex verbo Dei conceptum, quo omnis salutifera veritas nobis persuadetur & confirmatur?

*Stapletonus.*

Nonne vt in principio huius quartæ tuæ responsionis prædixi, crebros hic ictus ingeminas, in omnem te partem vertis, multa quæris, multa vibras, circa multa saragis, sed nullum adhuc certum ictum inferre potuisti? An hic fortè rem acu tetigisti, aut recto vulnere aduersarium pupugisti? Omnino vt hæctenus. Quæris quid differt regula fidei scripta in cordibus à testimonio Spiritus, & subiungis vt quæstionis tuæ rationem, quando fides est opus & effectum Spiritus sancti? Sic igitur quæris, & sic subiungis, & adhuc differre nescis? Itane Doctor indocte, effectum à sua causa nihil differre arbitraris? Calidum à calore nihil differt, quia effectum caloris calidum est? Tui

Regula fidei differt à testimonio Spiritus interno, vt effectus à causa.

discipuli à te nihil differunt, quia id docentur quod tu doces? Etsi sanè à te ignoranter & erranter instituti, iisdem tecum erroribus & ignorantijs laborabunt, tamen facile vides aliud esse Doctorem erronea docentem, & aliud esse discipulum erroribus imbutum; quia ille vt causa erroris grauius plectetur, & sanguinem errantis discipuli de manu eius requirit Dominus: alter in suo quidem errore peribit, non ita grauius tamen plectendus. Cogit me tua tarditas & hebetudo hoc tibi familiare exemplum proponere; etsi aptius, magisque accommodatū sit quod de calido & calore diximus; vbi causa & effectus propriè cernuntur. Sic enim regula fidei in cordibus fidelium per ipsum Spiritum sanctum (quem *digitum Dei scribentem in cordibus* Apostolus 2. Cor. 3. vocat) scripta ab ipso testimonio Spiritus sancti sic scribentis

scribentis in corde differt sanè sicut effectus à sua causa : ideoque testimonio quidem sancti Spiritus nullo modo certior ipsa fides in corde est respectu eiusdem, id est, respectu eius qui iam credit, & in cuius corde fidem ipsam Spiritus sancti testimoniū scripsit : sed respectu alterius secundum omnia credentis, necdum testimonio diuini spiritus circa omnia illustrati, ipsa fides communis medium esse potest, vt magis illustretur, cooperante semper diuino Spiritu cum Ecclesiæ ministerio quæ ex hac communi fide dubium & errantem informat.

Prædicatio & testificatio Ecclesiæ est opus & donum & charisma Spiritus sancti, ipsoque Spiritu S. inferius. Placuit tamen Deo per Ecclesiæ testificationem homines ad fidem inducere, huic Ecclesiæ testificationi ac ministerio cooperari, suoque operi atque effectui quasi communem manum admouere. Sic enim Apostolus de sua prædicatione dixit. *Plus omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Paulus laborans erat haud dubiè opus & effectum Spiritus sancti, sine cuius dono & adiutorio in eo genere laborandi, nec legitimum officium, nec idoneam facultatem habuisset. Et tamen ei sic laboranti, id est, suo ipsius operi Deus cooperabatur, vnde se Paulus *Dei cooperatorem & adiutorem* vocat. Sic igitur Ecclesia sua auctoritate vtens in scripturis dijudicandis, adhibet inter alia media etiam ipsam regulam fidei quam in corde suo habet, beneficio gratiæ Dei, & opere Spiritus sancti, vt ex ea regula fidei, seu ex ea fide quam iam habet, de certis libris iudicet, an diuini & Canonici sint, an cum ea fide quam iam acceperunt & habent conueniant. Ex qua fidei regula quando iudicant & libros adulteros reiciunt, non absque Dei gratia speciali id faciunt, nec absque interno Spiritus sancti testimonio,

Prædicationi Ecclesiæ est operi suo Deus cooperatur ad alios docendos

1. Cor. 15.

1. Cor. 3.

Ab. 15.

monio, sed per tale nihilominus medium: sicuti Apostoli certissimè dixerunt, *visum est Spiritui sancto & nobis, tametsi ut ad illud decretum venirent, magnam prius acquisitionem faciebant & Regulam fidei consulebant.* Nihil igitur obstat quod regula fidei sit opus & effectum Spiritus sancti, quodque eo nomine & distinctum & inferius quiddam sit Spiritus sancti testimonio, quo minus illa medium sit per quod Ecclesiam Spiritus S. docere vult. Ista quia tu non intelligis doctor indocte, multa quæris, multa proponis, quasi qui de via aberrans ubi sit aut quid agere debeat nescit: sed nihil firmum aut stabile adfers quo argumentum propositum euertas. Et tamen concludis quasi te præclarissimè gesta.

*VWhitakerus.*

26. Sect.

\* Cōclusio  
remotissi-  
ma.

\* Menda-  
cium ro-  
tundū &  
plenum.

\* Ergo sua sponte Stapletonus tandem in \*no-  
stram sententiam totus transijt.

*Stapletonus*

Inter hanc conclusionem tuasque anteceden-  
tes propositiones tantam distantiam esse arbitror,  
quantam inter cælum & terram. Ego scilicet in tu-  
am sententiam transij, & totus transij, & mea spon-  
te transij. Laudo artem tuam quod mentiri volens,  
plenum & rotundum suisque omnibus numeris  
perfectum & absolutum mendacium pro totius  
huius disputationis contra cap. 9. colophone & cō-  
clusionem fabricare voluisti. Non enim satis erat se-  
mel aut bis, sed etiam ter in vna sententia mentiri,  
vnoque halitu tria mendacia effundere. Sed cur  
tandem obsecro in tuam transij sententiam? An  
quia Spiritus sancti internum testimonium ad scri-  
pturas veras à falsis discernendas nunc demū agno-  
sco? At nec illud vnquam negavi, sed à multis an-  
nis antequam tu fortasse res theologicas attinge-  
res publicè docui, posteaque typis dedi, nec quia

Regula

Regula fidei vnum medium ad scripturas cognoscendas ponitur, (quæ opus Spiritus sancti est in corde eam credentis) ideo eam ponendo, Spiritus sancti testimonium in corde eius qui docetur necessario poni consequitur. Quare non ego in tuam totus transij sententiam, sed tu meam totam ignorasti sententiam: aut si ignorasse te negas, totam dissimulasti. Interim manet firmum quod in hoc Cap. 10. probare volui, Regulam fidei esse vnum medium ad veras scripturas à falsis discernendas, ideoque Ecclesiam quæ hanc Regulam fidei à suis maioribus acceptam optimè tener, suisque subditis fidelissimè tradit, hac mediante Regula de veris aut falsis scripturis optimè posse iudicare.

---

## AN PRO ABSVRDO

HABERI DEBEAT, ECCLESIAM PRÆSENTEM POSSE ALIQVEM librum ad S. Scripturæ Canonem addere.

### CAPVT. XI.

*VWhitakerus.*

**D**VAS res deinceps ad finem huius libri tractat Stapletonus. Prima est, non modo Apostolicam antiquam, sed & hanc præsentem Ecclesiam posse scripturæ Canonem consignare & constituere. Qua quidem in re habet aduersarios Durandum & Driedonem doctissimos Papistas, qui hoc ad Apostolicam tantum Ecclesiam spectauisse contendunt: huius verò Ecclesiæ officium esse dicunt, vt Canonem ab illa antiquiore consignatum recipiat. 1. Sett.

recipiat. Cum his gravem admodum cōventionem  
dimicationemque instituit: cuius ego nō particeps  
sed \*spectator ero.

\* Sirenuē  
& forti-  
ter.

*Stapletonus.*

Generosi pectoris es, & acerrimus disputator,  
qui in hac disputatione tua contra me suscepta, pu-  
gnæ spectator vis esse non particeps. Rectè tibi  
consulisti, quia tutius & prudentius iudicasti stare  
post principia, quam in aciem prodire. Sed heus tu?  
An historiam nunc scribis, vel disputationem insti-  
tuis? Si historiam non scribis, quid aliena facta  
narras? Si disputationem instituis, & hunc titulum  
libertus habet, quare non disputas? Existimasti  
fortasse si in hac te pugna misceres, quod ab vtra-  
que parte plagas & ignominiam reportares. Aut  
ergo foriter disputare aut prudenter tacere debuis-  
ses. Sed in sequentibus fortasse maiores tibi ani-  
mos ac novos spiritus sames. Videamus.

*Whitakerus.*

2. Sect.

Secunda est, posse etiam nunc Ecclesiam hodi-  
ernam alios libros ad scripturæ Canonem addere,  
vt librum Pastoris, & Constitutiones Apostolicas à  
Clemente scriptas, & alios etiam libros dubios  
olim, sed nunquam reprobatos quod quidem ab-  
surdè ab eo dici ac disputari \*constat.

\* Quo-  
modo aut  
quibus?

*Stapletonus.*

Hic ergo disputabis haud dubiè acriter, & meam  
sententiam bonis & idoneis argumentis absurdam  
esse comprobabis. Id si feceris, laudabo certè pru-  
dentiam & eruditionem tuam, planeque totus in  
tuam sententiam idque perlibenter transibo. Ne-  
que enim hæc mea sententia vt omnino certa asse-  
ritur sed tantum vt mihi probabilis magis visa à me  
computatur. Quæ disputandi libertas de rebus non-  
dum in alteram partem ab Ecclesia definitis, viris  
doctis

doctis & sacrarum scripturarum tractatoribus semper relicta fuit. Videamus quam hoc fortiter & dexterè impugnes, vel mea refellendo argumenta, vel aliter sentientium argumenta corroboranda.

*VWhitakerus.*

Sed eò scilicet \*impudentiæ isti progressi sunt, ut nihil tam dictu tetrum sit, quod illos pudeat affirmare.

3. Sect.  
\* Conuicari facilius quam probare.

*Stapletonus.*

Illud adhuc nisi alterum conuicium est, & hæretici tui pectoris effusum venenum. Quò autem procacias initio debaccharis, eò fortius postea ac solidius disputabis; ut tam atrocia conuicia non nisi ex iusto sacræ veritatis zelo effudisse videaris.

*VWhitakerus.*

Liber certe Pastoris indignus prorsus est tanta authoritate. Clementis Constitutiones Apostolicæ nullam habet Apostolici spiritus \*micam. Ecclesia ergo nec potest nec debet hos libros in Canonem recipere. Stapletonus verò dum \*posse statuit, pugnat & cum plurimis Papistis, (exempli gratia cum \*Thoma Waldensi & alijs) atque etiam secum: quippe qui antea testimonium ex Augustino adduxerit, ex quo constabat scripturæ Canonem, ab Apostolis consignatum fuisse, qui hunc librum è Canone excluserunt.

4. Sect.  
\* Ignorantia audacè facit.  
\* Mendacium cauillandi studio.  
\* Mendacium stupidum.  
\* Mendacium sine fronte.

*Stapletonus.*

Magnum fumum excitasti, sed per quem fugeres, non è quo flammam eliceres. Multa debaccharus es quasi fortiter disputaturus; sed tua disputatio merum mendacium est, mera temeritas & arrogantia, nulla ratio, argumentum nullum. Sic tuis auditoribus fumos & verba vendidisti. Caue illud seuerissimi Imperatoris tum dictum tum factum.

*Fumo.*

Alius  
Lamprid.  
in Alexan.  
Seuero.

*Fumo pereat qui fumos vendidit.* Affirmas librum Pastoris hac tanta autoritate prorsus indignum esse. Nec ego tanta autoritate eum dignum esse dixi, nec tamen ita prorsus indignum esse affirmare auserim: sed eius rei cognitionem atque iudicium Ecclesie relinquo: quæ ut rute falsus es, melius nouit de libris iudicare quam priuatus quispiam, & maiorem ac amplio rem copiam spiritus & iudicij habet.

Clemen-  
tis Con-  
stitutio-  
nes Apo-  
stol. c.

Addis Constitutiones Apostolicas Clementis nullam habere Apostolici spiritus micam. Hoc uero non arroganter modò & temerè, sed & ineptè planeque impiè à te dictum esse totus ille liber loquitur Apostolico spiritu plenissimus. Videat lector quæ in illos libros præfatus est Carolus Bouius ad eorum ex græco versionem: & quæ post eum Franciscus Turrianus scripsit in libro pro Canonibus Apostolicis ex harum Constitutionum libro octauo desumptis sanè doctissimo, & totius antiquitatis testimonijs refertissimo ac demum in quo Magdeburgensium tuorù mendacia multa & magna dereguntur. Sed nemo audacius condemnat libros optimos, quàm qui eorum maximè ignarus est: sicut dici solet. Scientia neminem habet inimicum nisi ignorantem.

Adiungis postea *me statuere posse hos libros Ecclesiam in Canonem recipere.* Hoc est merum mendacium tuum de quo dixi, quod altero postea mendacio eoque duplici confirmas, dum ais me hac in re cum Thoma Waldensi atque adeò cum meipso pugnare, propter Augustini quendam locum à me supra citatum &c. Sed melius est ut tua mendacia seorsim explicem. Quicquid enim hic respondendo dixisti, mera mendacia sunt, à te magno mendaciorum artifice cumulatè fabrefacta. Primum de istis libris à te prolatis, nò dico absolutè & definitè posse Ecclesiam

Ecclesiam illos in Canonem recipere. Nec meum hoc est dicere nec cuiusquam, ut qui Ecclesiae non magister sed filius sum, eroque dum vixero. Quod autem hac de re dixi, huiusmodi est. *Manet ergo firmum &c. ut sit penes Ecclesiam Catholicam huius temporis, tum contra haereticos praesertim epistolam Iacobi &c. sua autoritate confirmare; tum etiam praeterea (si id ei Spiritus S. suggereret) librum aliquem nondum in Canonem receptum, Apostolorum tamen tempore conscriptum, & nunquam haecenus Ecclesiae iudicio reprobatum (exempli causa, librum Pastoris & Constitutiones Apostolicas à Clemente editas) in numerum sacrorum librorum & certo Canoniconum referre posse. Quod ut non temerè unquam Ecclesia faciet, sic si faceret auctoritatem divinam haberent &c.* Vides magister mendax & cauillator nugacissime, quomodo mea verba libraui & temperaui, ne vobis haereticis (quod facile fore suspicabar) vlla cauillandi ansa daretur? Non dixi, non statui (ut tu mentiris) posse Ecclesiam hos libros in Canonem recipere. Sub conditione dixi, si id ei Spiritus S. suggereret. Quare hanc conditionem, quare haec verba mea subticuisti, disputator ignaue, & aduersarij tui verba reformidans? Haec sane conditio apposita, haec sola verba te mendacij conuincunt. Non aio simpliciter multò minus statuo, quod est definitè dicere & affirmare, posse Ecclesiam hoc facere. Id vnum dico, si hoc ei Spiritus S. suggereret tunc posse facere. Imo satis insinuo hoc Ecclesiam non facturam, quādo addo. *Quod ut non temerè Ecclesia unquam faciet.* Caetera tua mendacia compendiò expediam. Etiam si dixissem posse Ecclesiam hos libros in Canonem recipere (quod me non dixisse iam satis ostendi) non tamen propterea pugnarem cum Thoma Waldensi. Nusquam enim Thomas Waldensis de his libris sic disputauit ut illos Ecclesiam in Cano-

nem recipere non posse diceret. Tu locum ostende & me hoc negantem mendacij conuince. Deinde nec mecum pugnarem si hoc dixissem. Contrarium enim de his libris nusquam dixi. At probare hoc vis, quia antea testimonium ex Augustino adduxi, ex quo constabat scripturæ Canonem ab Apostolis consignatum fuisse, qui hunc librum è Canone excluserunt. Alterum est hoc mendacium. Neque enim ille locus Augustini de hoc libro vel verbum loquitur. Quomodo autem & quo sensu Augustinus dixerit scripturæ Canonem ab Apostolis confirmatum, vel ut tu hic loqueris, consignatum fuisse, eo in loco explicui; & confirmationem illam contra alios libros post Apostolorum tempora in Canonem receptos aut recipiendos nihil facere nihil probare eodē in loco docui. Hactenus ergo nihil nisi mentitus es.

Supra  
cap. 4.  
Sect. 13.

*Whitakerus.*

5. Sect. Sed velim ut respondeat, utrum scripturæ Canon fuerit antea constitutus, nec ne. Constitutum fuisse negare non potest. Nam & prius \* confessus est ex Augustino, & Concilia etiam quædam obijciunt nobis Papistæ in quibus aiunt scripturæ Canonem consignatum fuisse. Si ergo fuerit scripturæ Canon antea cõsignatus, certè nec mutari Canon, tanta autoritate stabilitus ac constitutus, nec iste, aut alius liber quisquam in Canonem introduci potest.

\* Mendacium addax.

*Stapletonus.*

Hoc demum in loco satis probabiliter & aptè disputas. Sed antecedentem tuam propositionem tibi negamus, videlicet S. Scripturæ Canonem vel Apostolorum temporibus, (quod me ex Augustino confessum fuisse, iterum falsò narras) vel postea in alijs Concilijs sic plenum & integrum consignatum

Canon  
Scripturæ  
plenus  
Apostolorum  
tempore  
consignatus

tum esse ut novum aliquem librum Apostolorum tempore scriptum, & nunquam ab antiquis Ecclesijs approbatum in Canonem referre Ecclesia non poterit. Et certè mutari Canon semel consignatus non potest, id est, nihil ei detrahi potest. Sed alium librum in Canonem introduci absurdum nõ est, quum certum sit Epistolam D. Iacobi & alia quædam tam veteris quam novi testamenti volumina in Canonem redacta fuisse, & à vobis ipsis pro Canonicis haberi, quæ in Canone Apostolorum tempore confirmato (ut Augustinus loquitur) pro Canonicis habita vel in Canonem redacta non sunt. De qua re tota supra copiosius diximus.

*VWhitakerus.*

Quam enim absurdum esset aut librum in se Canonem tam multis seculis in Canonem receptum non fuisse, aut posse iam eundem in hac ultima mundi ætate tam serò recipi.

*Stapletanus.*

Huic etiam argumento loco iam citato respondendi, non magis absurdum hoc esse in Canone scripturum, quam in alijs fidei dogmatibus, quæ olim dubia & incerta, aut certè non definita, propter hæreticos alijsque ex causis in varijs Concilijs definita & tanquam iam de fide recepta fuerint. Sed & nunc addo, memor eius quod tu antea constantè affirmasti, quosdam libros Canonicos interijisse. Sic enim scripsisti. *Canonica quedam periisse credo esse neminem qui dubitet.* Hoc enim respondes de Salomonis scriptis quæ perire; quæ quum ego proferrem ut probarem non omnia à Prophetis scripta in scripturæ Canonem redacta esse, tu ibi respondes hæc Salomonis scripta Canonica, scripturas fuisse, sed periisse. Quo à te concessio, nunc tibi respondeo. Non est magis ab-

*VWhitakerus sibi ipsi contra dicit. Suprà lib. cap. 1. Sect. 10.*

furdum aliquem librum in se Canonicum multis seculis receptum non fuisse, quam aliquem librum in se Canonicum multis seculis petiisse. Aequè enim & magis eo caret Ecclesia quod omnino petijt & nusquam extat, quam eo quod semper extitit quidem sed inter libros dubios & primi generis apocryphos habitum est. Deinde tibi rursus respondeo, si absurdum est librum in se Canonicum tam multis seculis in Canonem non esse receptum, aut posse iam eandem hac vltima mundi ætate tamque serò recipi, quanto absurdius est multa noua dogmata de fide, in se (vt vos vultis) diuina atq; Euangelica, tam multis seculis in Ecclesia non esse recepta, aut in vlllo Concilio definita, aut vllis antiquitatis testimonijs roborata, aut posse iam eadem hac vltima mundi ætate tamque serò per quosdam nouos dogmatistas promulgari & à populo fideli recipi? Multa inquam noua dogmata, non olim dubia aut probabilia, vt libri de quibus ego loquor dubij libri sunt & probabiles, sed profus inaudita & noua, vt verbi gratia hæretica ac pestilentissima dogmata vestra, de sola fide iustificante atque saluante, de imputatiua iustitia, de certitudine gratiæ, de canali Caluiniano totque portentosis, circa venerabilem Eucharistiam, vestrorum sententijs, de laico in causis spiritualibus regimine, eodemque fœmineo, de clero coniugato, de legis ac mandatorum impossibilitate, aliaque permulta.

Rursus quàm absurdum est tam multa hæretica dogmata tam multis seculis in fidem communem non recepta, sed pro hæreticis nominatim damnata, posse nunc hac vltima mundi ætate tamque serò recipi, vt negare orationes pro defunctis, tollere inuocationem sanctorum, imaginum vsum, reliquiarum cultum, votorum obligationem, ieiuniorum,

rū præcepta, aliaq; quàm plurima reijcere ac damnare, quæ qui olim damnarunt à multis iam seculis pro hæreticis habiti ac damnati sunt. Ista sanè, Whitakere, sunt absurdissima. & hanc te absurditatem quanta & quàm immanis sit, videre, votis omnibus exopto.

*VWhitakerus.*

Clementis verò constitutiones quorundam etiã 7. *Secd.*  
 Conciliorum iudicio \* damnatæ sunt, vt supra pa- \* *Falsum.*  
 tet. Indignæ ergo prorsus visæ sunt, quæ numerum *vt alij*  
 vllum aut locum in Canonicis scripturis obtine- *scriptores*  
 rent. Imo recipi eorū in Canonem ab Ecclesia nun- *ostende-*  
 quam possunt. Non enim potest Ecclesia ex libris *runt, quo-*  
 non Canonicis Canonicos facere; sed efficit tantum *rū tu ar-*  
 vt ij libri pro Canonicis recipiantur, qui re vera & *gumentis*  
 in se sunt Canonici. *suprà non*  
*respon-*  
*diti.*

*Stapletonus.*

Ad Clementis iam constitutiones sermonem iterum conuertis, de quibus supra respondi, me non dixisse quod tu de me sifaxisti, posse nunc Ecclesiam eas in Canonem recipere. Id tantum dixi, si id Ecclesia Spiritus S. suggereret, tunc Ecclesiam id posse. Tu nunc acriter disputas omnino hoc Ecclesiam non posse, eo quod indignæ sunt &c. Siue sint dignæ siue indignæ, nihil hoc ad meam assertionem, qui nec posse nec non posse Ecclesiam eas in Canonem recipere, simpliciter affirmo; sed tunc demum posse, si id ei Spiritus sanctus suggereret. Hoc negare, hoc impugnare VWhitakere debebas, vt meam sententiam (quam hoc loco impiam & blasphemam vocas) huiusmodi esse comprobares. Cæterum has constitutiones à Clemente editas non ad eò indignas esse, vt tu clamitas, sed omni sapientia plenas esse, atque à tota antiquitate magno in honore habitas, aucthores à me supra citati copiosè probant, & post eos

Cæsar Ba-  
ronij an-  
nales Ec-  
clesiastici  
tom. 2. in  
Clemēte.

Cæsar Baronius in suis annalibus accuratissimè, omnesque contra illas obiectiones, quas tu ex parte attingis, studiosè & eruditè solunt. Quod verò ad- dis Ecclesiam non posse ex libris non Canonicis Canonicos facere &c. De ea re in præcedentibus copiosè contra te (eadem enim hic repetis) disputa- uimus. Non potest sanè Ecclesia libros Ca- ronicos facere, hoc est, in Canonem redigere, & pro Canonicis approbare, commendare, promul- gare, qui in se sacri ac diuini non sunt. Hoc sanè compertissimum est, vt est antea multis ostensum. Quod autem tu dicis Ecclesiam id tantam effice- re, vt ij libri pro Canonicis recipiantur, qui re ve- ra & in se sunt Canonici, improprie à te dictum est. Neque enim liber Canonicus est aut vocari potest nisi in Canonem Ecclesiasticum receptus. Hinc enim Canonicus dicitur, quòd in Canonem Ecclesiasticum receptus & annumeratus sit. Est igitur liber in se quidem sacer & diuinus antequàm in Canonem recipiatur. Canonicus autem nõ est, nec proprie ac verè loquendo dici potest, nisi qui in Canonem receptus fuerit.

*VVhitakerus.*

8. Sect.

August. certè adeò non est opinatus posse hunc augustissimum Canonem mutari, aut noua ali- qua librorum accessione augeri, vt in sermone 129. de tempore, non dubitarit illis omnibus Anathe- ma denunciare, qui scripturas aliquas in authori- tate habendas crederent, aut venerarentur, præ- terquam eos quos Ecclesia receperat. Ergo \* Ec- clesia si novos aliquos libros in Canonem recipe- ret, contra fidem ipsam faceret, & maximã repre- hensionem, imò execrationem mereretur. Posse verò Stapletonus audacter disputat. Vnde quan- tam Ecclesiæ iniuriam faciat, satis liquet.

o Telo suo  
scriptum  
ingularit.  
\* Confe-  
rentia  
dissoluta  
& miri-  
mè colu-  
rens.

*Staple-*

*Stapletonus.*

Hæc verba Augustini quæ citas, siue illius siue cuiuspiam alterius sint, verissima verba sunt, & contra te VWhitakere plurimum, contra me nihil faciunt. Contra te luculenta sunt, quia ex illis Ecclesiæ authoritas in recipiendis & approbandis scripturis, quam in tota hac disputatione tua contra me totis ingenij viribus impugnasti, luculentissimè ostenditur & probatur. Si enim Anathema illis omnibus dicendum qui scripturas aliquas in authoritate habendas credunt, præterquam eas quas Catholica Ecclesia receperit; ergo receptio & approbatio scripturarum per Ecclesiam facta maximam authoritatis vim habet. Quemadmodum enim si sic dicerem, *Anathema sit qui aliud evangelizat Evangelium, præterquam quod Paulus cæ-*

Præter authoritatē Ecclesiæ nulli libri pro Canonis recipiendi.

Gal. 1.

terique Apostoli evangelizauerunt, certissimum & fortissimum argumentum est, Pauli & cæterorum Apostolorum authoritatem in Evangelio prædicando summam & maximam fuisse; & à qua recedere non licuit, sic omnino quia anathema illi dicendum est, qui alias scripturas credit præterquam eas quas Ecclesia recipit & credenda's proponit, iniuste sequitur in recipiendis scripturis quas credere oportet, ipsius Ecclesiæ maximam authoritatem esse, & à qua recedere non licet. Porro sicut Pauli & Apostolorum aliorum supremæ authoritati in prædicando Evangelio nihil derogat, nihil præiudicat, quòd non sola illa authoritas ad credendum Evangelio homines inducere potuit, sed præterea interno Spiritus S. testimonio & persuasionè opus erat vt homines Evangelio crederent, quòd etiam ipsum Euangeliũ quod prædicabant, diuinum esse omniq; cœlesti sapientia plenum ex

alijs quoque argumentis probari potuit, & vel miraculis confirmari, vel ex veteribus scripturis magna ex parte demonstrari, vel ex ipsa doctrinæ Evangelicæ puritate, ac Maiestate, commendati; nihil inquam hoc totum eorum supremæ & maximæ autoritati derogabat, quo minus eorum Autoritas, testimonium, atque iudicium de doctrina Evangelica maximam vim ad persuadendum in suo genere haberet, alios ad sibi credendum obligaret, omni denique & infallibili certitudine polleteret; sic omnino in re præsentis Ecclesiæ autoritati nihil derogat, nihil præiudicat, vel quòd illa sola sine diuini Spiritus interno testimonio non persuadeat, vel quòd aliæ etiam media sint, quibus diuinæ scripturæ commendentur & cognoscantur. Atque ita ista Augustini verba quanto pere contra te VWhitakere faciant, qui Ecclesiæ autoritatem in approbandis scripturis hætenus infirmare, illisque exceptionibus prædictis refutare voluisti, ipsemet nunc aduertere ac videre potes.

Contra me nihil faciunt, quia si Ecclesia nouum aliquem librum in Canonem reciperet, profectò ille quoque liber tunc ab Ecclesia receptus censeretur, ideoque qui illum in autoritate haberet & veneraretur, non nisi ab Ecclesia receptum veneretur; nec ad eum hoc Anathema Augustini perxingeret. Quod enim tu inferis, *Ergo Ecclesia si novos libros reciperet, contra fidem faceret & execrationem mereretur*, ex illis Augustini verbis nullam consequentiam habet. Non enim illa verba prohibent Ecclesiam ne novos libros in Canonem recipiat, sed prohibent fideles ne ab Ecclesia non receptos venerentur. Anathema non dicitur Ecclesiæ recipienti

in Ca-

VWhitakerus disputator dissolutus

in Canonem nouos libros, sed singulis fidelibus anathema dicitur, qui ab Ecclesia non receptos venerantur. Ita parum aduertis quid ex quo consequatur, præclare te disputasse existimans, si aliqua vicinitate verborum veritatis fucum facere, & sub eo fucum falsum obtrudere imperito Lectori possis.

*VWhitakerus.*

Sed de Stapletoni argumentis iam satis multa, *9. Sect.* respondimus.

*Stapletonus.*

Hic ergo finis totius tuæ disputationis est contra argumenta mea ut vocas, id est, contra varias illas propositiones & assertiones, quas ponendas & comprobandas existimaui, ut tota ac varia Ecclesiæ autoritas in sacris scripturis approbandis, discernendis, ac recipiendis, contra horum temporum hæreticos confirmaretur. Illa omnia tu tibi refutanda sumpsisti, & ad ea omnia te iam satis multa respondisse concludis. Certè satis multa & nimis multa respondisti, non quibus illa refutentur, aut infirmentur quæ ego disputavi, sed quibus multiplex tua in respondendo vanitas, absurditas, ignorantia, ac perpetua quædam mentiendi ac fallendi libido ostenderetur, & ad perpetuam nominis tui ignominiam toti orbi propalaretur. Cuius sanè rei quemlibet æquum & prudentem lectorem iudicem facio.

Nunc argumenta multa nouam disputandi viam ingressus, pro tua contraria sententia, & contra Ecclesiæ autoritatem in sacris scripturis consignandis & approbandis, in medium adfers. Quæ sanè ego ad verbum omnia examinabo, tum & imprimis ut veritas ipsa in re tanti momenti à

Tuis paralogismis defendatur, tum vt meam quorundam huiusmodi argumentorum refutationem (quam medio ferè in loco in fasisti) à tuis cauillationibus eximam, tum denique vrvideat Lector, fortior ne ac felicior sis in tuis cõfirmandis, quàm hæcenus fuisti in alienis refutandis. Solent enim hæretici (quod de Manichæis notauit Augustinus) *plus in refellendis alijs disertis & copiosi esse, quàm in suis probandis firmi & certi manere.* Quam in me refellendo fueris hæcenus disertus & copiosus, mea defensio docuit. Quàm in tuis probandis parum firmus ac certus manear, sequens disputatio, fauente Deo, demonstrabit.



A R G V.



# ARGUMENTIS

## VVHITAKERI CONTRA

## ECCLESIÆ AVTHORITATEM IN APPROBANDIS

SCRIPTURIS VNDE QVAQVE  
CONGESTIS RESPONDETUR

### LIBER III.

*VWhitakerus.*



ACTENVS de Papistarum argumentis diximus ac respondimus, quæ possunt æquis omnibus satisfacere. Sequuntur iam nostræ defensionis argumenta.

*Stapletonus.*

Quæ tu nostris argumentis respondisti, debeant ne æquis omnibus satisfacere, an non, perlecta hac refutatione nostra, omnes æqui lectores iudicabunt. Sed cur te Papistarum argumentis respondisse iactitas, quum mea solius argumenta attigeris, meque vnum in tota hac quæstione tua refutandum tibi sumpseris? An vel omnia Catholicorum argumenta me vnum attulisse existimas, vel me quum vnus sim, plures esse Papistas dices? Nec ego prius illud arrogare mihi debeo, nec tu hoc posterius nisi barbarè & ineptè affirmare potes.

RESPON.

556 A VTHOR. ECCLESIAST.  
RESPONSIO AD  
PRIMUM ARGUMENTVM.

C A P. I.

*VWhitakerus.*

1. Sect. **P** R I M U M verò argumentum nostrum in hunc modum sese habet. Si scriptura diuinam authoritatem habuit ante publicum aliquod Ecclesie iudicium, tum ex se, \* quoad nos authoritatem

\*Colle-  
ctio vana.

Canonicam habet, & eius authoritas ab Ecclesia non pendet. Sed primum verum est: ergo & secundum. Maior propositio manifesta est. Minor verò quatuor rationibus confirmatur.

Menda-  
ciū quia  
non con-  
firmatur  
omnino.

*Stapletonus.*

In hoc syllogismo tuo hypothetico, Maiorem propositionem per se manifestam asseris. Minorem quatuor te rationibus confirmaturum ais. In utroque mentiris. Nam sola maior tua propositio est, quam in sequentibus probare contendis, quia illa sola probatione opus habebat, quum apertè falsa sit. Tàmetsi enim verum sit, quod scriptura diuinā authoritatē habet ante publicum aliquod Ecclesie iudicium, non tamen inde sequitur; ergo quoad nos authoritatem Canonicam habet. Deinde hanc ipsam consequentiam hypotheticam, seu maiorem tuam propositionem non quatuor rationibus, sed vna tantum probare conatus es: quum reliquæ tres probationes quas vocas, noua potius argumenta sint, quam huius tui argumenti aliqua probatio. Ita nec quid sit quod probare contendis satis aduertis; vt minus mirum sit, si probationes ipsæ penitus deficiant.

*VWhi-*

VWhitakerus.

Prima. Ipsi Papillæ fatentur Ecclesiam non 2. Sæc.  
facere scripturam authenticam sed tantum de-  
clarare.

Stapletonus.

Quia ex hac propositione tota hæc tua prima probatio dependet, eam seorsim examinabo. Planè verborum ambiguitate teipsum & lectorem fallis. Fatemur sanè nos scripturas, diuinam authoritatem habere ante publicum aliquod Ecclesiæ iudicium, quia ex authore suo Spiritu S. habent, quod sint diuinæ literæ; fatemur quoque quod Ecclesia hanc illarum authoritatem diuinam non facit sed declarat. Non tamen fatemur quod Ecclesia scripturam non facit authenticam sed tantum declaret. Imo asserimus per Ecclesiam fieri scripturam authenticam, id est per Ecclesiam approbari scripturas, videlicet quoad nos. Authenticum quum sit vox græca, à latinis vsurpatur, pro eo quod comprobatum est à pluribus quasi dicas, authoratum. Ludis ergo planè pueriliter in voce, Authentico. Ais nos fateri quod scriptura per se sit authentica. At illud in mea disputatione non inuenies. Si alibi inuenisti, authorem proferre debuisti. Scriptura est per se & ex se, sacra, diuina, summaque authoritate digna; sed authentica id est publicè comprobata & vt sic loquamur authorata non est nisi per Ecclesiam. An non hoc illud est quod toto lib. 9. quem frustra impugnasti, confirmare studuimus? Et qua fronte nunc dicis, fateri nos contrarium? Hinc etiam apparet quomodo in antecedente tua propositione quam maiorem vocas, in æquiuoco ludis. Illic enim dicis. *Si scriptura diuinam authoritatem habuit &c. moxque inferis, tum ex se authoritatem Canonicam habet quoad nos.* Atqui authoritas diuina & authori-

Ecclesia  
facit scri-  
pturam au-  
thenticam.

Authenti-  
cum quid  
significat.

VWhita-  
keri im-  
pudentia,

Autho-  
ritas diui-  
na & Ca-  
nonica  
differant.

tas Canonica plurimum differunt. Authoritas di-  
uina eius rei est quæ per se talis est. Authoritas Ca-  
nonica eius rei est, quæ certo Canone & Regula ab  
Ecclesia declarata & definita talis est. Vnde enim  
Canonica, nisi à Canone? & vnde Canon nisi ab  
Ecclesia? Sed vt tu hanc consequentiam proba-  
res, ab authoritate transis ad authenticum? & quia  
authoritatem diuinam literis diuinis per se inesse  
fatemur, idcirco & authenticas esse diuinas literas  
ex se, à nobis concedi affirmas. Ita & in prima tua  
consequentia male collegisti, & in eius hac prima  
probatione falsum posuisti.

*VWhitakerus.*

3. Sect.

Quòd si scriptura sit prius authentica ex se, tum  
certè necesse est, vt nobis quoque authentica sit.  
Authenticum enim dici nihil potest, quod nulli  
authenticum videatur. Illud enim authenticum  
dicitur quod sibi sufficit, quod se commendat su-  
stinet, probat: & ex se fidem ac authoritatem habet,  
cui contrariatur *ἀδιστατόρον & ἀνεργον*. quod scilicet  
incertum est, & nullam ex se authoritatem habet.  
Ergo si scripturæ in se authenticæ fuerunt, prius-  
quam Ecclesia authenticas eas esse declarauit, &  
nobis quoque fuerunt authenticæ: alioqui declara-  
ri authenticæ non puerunt.

*Stapletonus.*

Tota hæc tua collectio quia falso præsupposi-  
to nititur, vt in præcedenti sectione ostendimus,  
propterea per se corrumpitur, & falsa conuincitur. Quod  
autem definitis, authenticum illud esse quod sibi  
sufficit, quod se commendat, sustinet, & probat; ta-  
meti hunc sensum vox illa habere potest, vt ab  
*ἀυθεντιο* deriuatum quod dominari; seu potesta-  
tem ex se habere significat, (quo forte sensu Authē-  
tica ab aliquibus Catholicis dicta fuit) tamen in

Authen-  
tici signi-  
ficatio du-  
plex.

com-

communi nunc latinorum usu, authenticum illud dicitur non quod seipsum probat, sed quod ab alijs probetur, & aliorum testimonio corroboretur. Ultima hominis voluntas quam testator scripsit, decretum aliquod in comitijs regni aut Reipub. conclusum, narratio rei gestę fideliter conscripta, multaque huiusmodi tum primum authentica vocantur, quando testimonio aliquo publico consignantur; non quia seipsa commendant, sustinent & probant; tamen si antequam authentica fierent talia prorsus erant qualia postea declarantur, nec alioqui declarari authentica potuerunt. Sic omnino scripturarum sacrarum libri utcumque in se & ex se veritatem diuinam complectantur, sibi que plane quoad ipsam rerum in se veritatem sufficiant, se ipsos commendent, sustentent & probent; authentici tamen, id est, publicę authoritatis testimonio non prius confirmati sunt quam per Ecclesiam approbentur. Denique tota hæc tua argumentatio, quam sic infirma, fallax, ac vana, ex præcedenti disputatione facile deprehendere lector potest, ubi ostensum est, quantum hæc inter se differant; Ex Ecclesię iudicio pendet quanta Reuerentia scripturę debeat: & Ex Ecclesię iudicio pendet, qui libri in Canonem recipiendi sunt.

Lib. 1.  
Cap. 1. ad  
Sect. 2.

*Whitakerus.*

Secunda. Patrum, Conciliorum & Ecclesię recens est iudicium, si scripturę antiquitatem spectemus. Si ergo scripturę authoritas ex Ecclesię iudicio publico pendeat, tum multis certe seculis nullus fuit certus scripturę Canon.

4. Sect.

Collectio  
falsa.

*Stapletonus*

Certus scripturę Canon ab exordio nascentis Ecclesię, propagato semel per varias gētes Euāgelio aliquis semper fuit, tū quoad veterē scripturā tum quoad

Plenus  
Scriptura-  
rum Canō  
ab exor-  
dio Eccle-  
siae non  
fuit.

quoad novam. Nam neque de Moyſis Pétareucho,  
de pſalmis & Prophetis, alijsque Regum & Iudi-  
cum libris; nec de 4. Euangelijs, Actis Apoſtolicis,  
& plærifque Epiftolis Apoſtolicis, ita vnquam du-  
bitatum fuit vt non pro certò Canonicis agnoſce-  
rentur, idque Eccleſiæ iudicio & authoritate quæ à  
principio huiusmodi libros pro Canonicis pro-  
mulgavit. Atqui non multis vt tu affirmas, ſed ali-  
quot ſanè ſeculis plenus & conſummatus ſcripturæ  
Canon, qualis poſtea fuit, conſtitutus non erat. Ne-  
que hoc abſurdum eſſe, in præcedentibus oſtendi-  
mus. Certus Canon nullis ſeculis deſuit. Plenus  
canon aliquot ſeculis deſſe potuit. Quare Eccle-  
ſiæ iudicium hac in re recens non eſt, ſed ipſis ſcri-  
pturis infra primum à Chriſto ſeculum contempo-  
raneum. Interim hæc ſecunda probatio nec ma-  
iorem nec minorem tui ſyllogiſmi hypothetici  
probat.

*Whitakerus.*

*s. ſect.*

Patres reuera, & Concilia libros Canonicos  
recenſent; ſed illi tamen prius authentici & Cano-  
nici, & ſacri, & erant & habiti ſunt, vt ex ipſis Patri-  
bus & Concilijs patet. Proferant illi publicum ali-  
quod Eccleſiæ iudicium, & facile conſtabit ſcriptu-  
ras ante illud iudicium Canonicas iudicatas fuiſſe.

*Stapletonus.*

Concilia  
& Patres  
quomodo  
libros Ca-  
nonicos  
declara-  
uerunt.

Dici ſolet. Dolofus verſatur in generalibus.  
Tu multa generaliter affirmas; ſed nihil in ſpecie  
& particulari proferſ. Quare eadem generalitate  
tibi reſponderetur. Patres & Concilia libros Cano-  
nicos recensent; nec recensent modo, ſed & tales  
eſſe ſuo iudicio declarant atque deſiniunt. Et illi  
ſanè libri ſacri haud dubiè prius erant, ſed authen-  
tici & Canonici vel omnino non fuerunt, vel cer-  
tè ab illis populis ac in illis locis, pro authenticis  
adhuc

adhuc & certò Canonicis habiti non fuerunt, vel deniq; præcedentem maiorū suorū fidem suis decretis & testimonijs roborarunt. Iubes proferri aliquod publicū Ecclesiæ iudiciū. Nos verò hoc lib. 9. tam multa prorulimus. Cur non eorū aliqua delegisti, vt ostenderes, quod hic affirmas, ante huiusmodi Ecclesiæ iudicia scripturas illas Canonicas iudicatas fuisse? Hoc non est (quod hic te facere profiteris) certa ratione institutum tuum probare, sed tentando & palpando magis incertam veritatē reddere. Deinde quid hoc totum ad illam maiorē propositionem probādam. Si scriptura ante publicum Ecclesiæ iudicium diuinam auctoritatem habet; tū & quoad nos Canonicam auctoritatem ante idem iudicium habet? Prorsus nihil.

*VWhitakerus.*

Tertia. Quæro, quodnam sit hoc Ecclesiæ iudicium, aut vbi tandem reperiri possit. Si respondeant in Patrum libris & decretis conciliorū, quæro vnde certius nobis cōstet de auctoritate Patrū & Conciliorum, quā de scriptura? Exempli gratia: vnde certius cōstat hos esse August. libros, illos Hieronymi, quā hos esse libros Moysis, illos Pauli: hoc esse huius aut illius Concilij decretū, quā hoc esse Euāgelium Matthei, illud Marci? Si vrgebunt necessariā esse viuā Ecclesiæ vocē, \* tum præsiidiū illud quod in veteris Ecclesiæ auctoritate ponere solent, relinquāt necesse est. Si dicant hoc ex Ecclesiæ voce quæ nunc est, cōstare; rursū quæro " quomodo constet hanc esse veræ Ecclesiæ vocē: Id verò ex scriptura probēt necesse est. Vera enim Ecclesia \* non potest nisi ex scripturæ auctoritate probari. Atqui inde sequitur certiorē esse scripturæ quā Ecclesiæ auctoritatē.

\* Ridiculum & impium.

" Quæstio infidelis.

\* Apertè falsum.

*Stapletonus.*

Tota hæc tua Academica incertitudo & quæstio-

N n

num

Matt. 18.

Disciplina  
Ecclesia-  
sticam  
VWhita-  
keri dis-  
puratio e-  
nerget.

2. Cor. 3.

1. Cor. 13.  
Gal. 5.Iustit. lib.  
4. c. 10.

num multiplicitas quã sit vana & impia, quanque suum atheon & ethnicum redoleat, vno atq; altero simili explicabitur. Dicit Christus in Evangelio. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Hoc Christi præceptum per omnes ætates, per omnia tempora militat. Est ergo hodie frater aliquis, qui de peccato aliquo inter me & ipsum solũ posteaq; adhibito adhuc vno aut duob. etiam testibus correptus, nec me, nec illos audit. Iuxta Christi præceptũ volo hunc fratẽ Ecclesiæ denuntiare, vt illius iudicio ac disciplina corripatur. Dicat nunc tecum VWhitakere hic frater improbus ac proteruus, & quærat. *Quodnam est hoc Ecclesiæ iudicium ad quod me vocas? aut vbi tandem reperiri potest?* Si ad antiquã Ecclesiam me remittis, & in Patrum libris ac decretis Conciliorum facti huius mei condemnationẽ contineri respondes, quæro vnde certius mihi constet de authoritate Patrum & Conciliorum quã de scriptura? Quare ego solã scripturam iudicẽ agnosco, quæ me libertatem docuit, & ab omni legum humanarum obedientia absoluit. Vbi enim spiritus, ibi libertas: ait Paulus. Et iterum: *Nolite fieri serui hominum.* Et rursus: *State & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Ex his enim scripturis vir Dei Caluinus, me ab omni legum humanarum vinculo solutum esse, sapienter docuit. *Si vrges necessariam esse viam Ecclesiæ vocem, quæ mihi has scripturas exponat, & cuius disciplina ac legibus contineri debeã, tum præsidium illud quod in veteris Ecclesiæ authoritate posuisti, relinquantur necesse est.* Si dicas hoc ex Ecclesiæ voce que nunc est, constare, & me Ecclesiam que nunc est audire debere, eiusque iudicio stare & disciplina corripì, Rursum quæro quomodo constet hanc esse verã Ecclesiæ vocem? hoc esse verã Ecclesiæ iudicium? Denique hanc esse verã Ecclesiã, ad cuius iudiciũ me vocas?

Id verò

*Id verò ex scripturis probes, necesse est. Vera enim Ecclesia non potest nisi ex scripturae autoritate probari. Atqui inde sequetur certiorē scripturæ esse quàm Ecclesiæ autoritatem. Quare ad scripturam ego appello, eiusque iudicium tanquam hac in re certius. An non vides disputator absurde, vt ethnicismum & atheismum doceas? vt omnem Ecclesiæ disciplinam hac tua ratiocinatione subuertas? vt denique proteruos ac rebelles instruas, atque informes, ne Ecclesiam audiant, eiusue iudicio aut disciplinæ sese subijciant? An non istæ tuæ quæstiones contra omnem Ecclesiæ autoritatem perinde valent, quàm aduersus hoc vnum autoritatis Ecclesiasticæ obiectum de approbandis & cõsignandis S. Scripturarum libris? Denique an non æquè concludunt, Ecclesiæ vocem omnino non esse audiendam, sed solas scripturas tanquã illis certiores, quàm in scripturarum approbatione nõ esse audiendam? Pulchrè igitur contra Christi præceptum conclusisti, dicentis. Dic Ecclesiæ. Qui Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

Sed nunc in doctrinæ materia aliud exemplum accipe, sicuti in disciplina Ecclesiastica iam accepisti. Pauli doctrina est, ad suum Timotheum. *Hac tibi scribo vt scias quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis. Ostendens causam cur tam multa & præclara præcepta ei in præcedentibus dederat; videlicet vt rectè & laudabiliter in domo Dei conuersaretur, & explicàs quæ sit hæc domus Dei, subiungit eius commendationem longè maximã, vt in ea eiusq; vnitatem tanto sollicitius Timotheus perseveret, quæ est (inquit) columna & firmamentum veritatis. In hac te conuersari, huic te adhærere oportet quia hæc est ipsius veritatis colūna, id est, in ea veri-*

1. Tim. 3.

Pauli doctrinã de Ecclesiæ firmamento VVhitakeri dissipatio exploit.

tas ipsa firmissimè inuenitur & tenetur: est quoque firmamentum quia per eam eiusque certissimam veritatis cognitionem alij firmanantur: & vt ad Ephesios idem Paul. scripsit, huius Ecclesiæ pastores ac doctores dedit Christus ad consummationem sanctorum, *περὶ τοῦ ἁγιασμοῦ*, id est, ad confirmationem & corroborationem fidelium, *ne sint sicut paruuli fluctuantes, & circumferantur omni vento doctrinæ, &c.* Nunc verò qui contra hanc Ecclesiæ firmitatem & alios confirmandi potestatem obgannire velit, eiusque in doctrina fidei iudiciũ & sapientiam contemnere; verbi causa, Anabaptista aliquis paruulorum baptismum ab Ecclesia per omnes ætates receptũ & vsitatũ, sed in scripturis minus expressum, reijcere volens, per istas tuas Whitakere quæstiones instructus ita ratiocinabitur. Quid mihi ecclesiæ firmitatem & confirmandi potestatem obtrudis? *Quæro, quanam est hæc Ecclesiæ firmitas, quæ confirmandi potestas, vt propter illam paruulorum baptismum admittam ac probem; Si respondes in Patrum libris & decretis Conciliorum, quæro vnde certius mihi constet de authoritate Patrum & Conciliorum quam de scripturæ? Si vrget necessariam esse viuam Ecclesiæ vocem, quia illa est columna & firmamentum veritatis, & per eius pastores ac doctores cõfirmari debemus, tum presidium illud quod in veteris Ecclesiæ authoritate & antiquitatis testimonijs pro hoc baptismo paruulorum ponere soles, relinquantur necesse est. Si dicas, Hoc ex Ecclesiæ voce quæ nunc est constare, rursum quæro, quomodo constet hanc esse Ecclesiæ vocem? Id verò ex scriptura mihi probes necesse est. Vera enim Ecclesia non potest nisi ex scripturæ authoritate probari. Atqui inde sequetur certiorẽ esse scripturæ quàm Ecclesiæ authoritatem. Quare ego ad scripturam me teneo, quæ paruulorum baptismum non solum nusquam docet, verum*

Ephes. 4.

etiam

etiam manifesta ratione excludit, quum in ea Christus dicit. *Qui crediderit & baptizatus fuerit,* Mar. 16. *saluus erit.* Hic enim vult Christus vt fides baptismum præcedat, quæ quum in paruulis nulla sit, nec ad baptismum recipi debent. Quid tu VWhitakere ad hunc Anabaptistam, quid ad proteruum illum & libertinum fratrem respondebis, vt Ecclesiæ hæc in re necessariam auctoritatem apud vtrumque defendas? Sanè nisi in vtraque causa suprema & infallibilis Ecclesiæ auctoritas defendatur, nec contra Libertinos Ecclesiastica disciplina, nec cõtra Anabaptistas baptismus paruulorum defendi poterit. Nisi enim Ecclesiæ iudicium & interpretatio audiatur, tum quòd illa Christi verba, *Dic Ecclesiæ, &c.* omnium temporũ præceptum sit, tum quòd illa Pauli loca de spiritali quadam libertate loquantur, quæ legibus obtemperare non recusat, Libertinus temporaneum fuisse mandatum Christi docebit & solis credentibus Iudæis proprium, apud quos illa forma iudicij erat, ad quam Christus hic alludit, & ad alias de libertate sententias iuxta sensum Caluini exponendas se tenebit. Rursum nisi Ecclesiæ iudicium & interpretatio audiatur, quæ illa Christi verba, *Qui crediderit & baptizatus fuerit,* vel de solis adultis exponit, vel etiam ad paruulos propter fidem Ecclesiæ & parentum in qua credunt pertinere ostendit, Anabaptistæ nunquam persuadebitur, paruulos esse baptizandos. Quicquid igitur ad Ecclesiæ auctoritatem tuendam in his duobus exemplis, atque in vniuersum in omni doctrina quæ per Ecclesiæ ministerium accipienda est, his tuis quætionibus tute ipse VWhitakere responderes, idem tibi in hac causa quam tractas responsum putato.

Itane verò? Ad eò à scripturis approbandis Ec-

**Ecclesie  
authori-  
tas in vni-  
uersum  
ab aduer-  
sario  
impugna-  
tur.**

clesiæ auctoritatem remouere contendis, vt eius vocem, iudiciũ, ministerium, auctoritatem, penitus & in omnibus similiter explodas? An ita in hac vna causa Ecclesiæ auctoritatem persequeris & exturbas, vt etiam in omni causa ac loco eandem cupias exturbare? Sanè talia sunt tua argumeta, vt non solùm in præsentis causa, sed etiam in vniuersum totam prorsus Ecclesiæ auctoritatem, imo & ipsum quoque Ecclesiæ nomen, penitus exturbarent, si firma & valida essent. Hoc igitur in loco vel totius Ecclesiæ totiusque auctoritatis Ecclesiasticæ hostem iuratum agis, & ἔθνη te atque ethnicum proclamas; vel vnã huius auctoritatis particulam dum conuellis, totum ædificium in ruinam trahis, & disputatorem te ineptissimum & præposterum præbes: ac si vel malus medicus dum vnum corporis prauum humorem expellit, totum hominem occideret, vel stultus architectus dum vni parieti ruinam minanti occurrere vult, totum ædificium à fundamentis subuertit.

**Ecclesiæ  
veteris ac  
præsentis  
vox ne-  
cessaria.**

Questionum igitur tuarum impietate demonstrata, nunc ad eas breuiter respondeo. Ecclesiæ iudiciũ & auctoritas tum in veteri Ecclesia est, eiusque testimonijs, tum in præsentis Ecclesia eiusque viua voce. Quod igitur quæris vnde certius tibi constet de auctoritate Patrum & Conciliorum quã de scripturæ, V. G. hos esse Augustini vel Hieronymi libros, quàm hoc esse Euangelium Matthæi vel Marci, facile responderetur vtrumque tibi constare per præsentem Ecclesiam eiusque viua vocem, quæ tibi vtrumque attestatur. Quod autem ex hac responsione inferis, tum præsidium veteris Ecclesiæ relinquendum est, per ridiculè inferis. Vtrumque enim necessarium est: viua vox præsentis Ecclesiæ mittit nos ad

nos ad veterem, tum ut ex ea veritatem discamus, tum ut utriusque conformitas appareat. Quid ridiculum caput? An quia novi Testamenti scripturis utimur, veteris scripturæ præsidium relinquendum esse clamabis, & Christo contradices, dicenti. *Bonus paterfamilias profert de thesauro suo vetera & nova?* Rursum. An eadem consequentia inferes? Viua vox Ecclesiæ præsentis docet nos Christum hæc & illa docuisse, præcepisse, ordinasse: (Neque enim omnes qui in Christum credunt, scripturas legere norunt, aut si legunt, intelligere possunt, ut statim respondeas hæc ex scripturis ipsis peti posse: ) ergo Christi docentis & præcipientis authoritas relinquenda est, & sola sufficit viua vox præsentis Ecclesiæ? Dicam aliud magis familiare, ut tuæ tarditati tam multa quærenti & dubitanti succurram. Magistri & præceptores in scholis viua voce docent quid veteres grammatici & veteres philosophi de utraque illa scientia tradiderint. An idcirco inferes? Ergo præsidium quod in veteribus istis philosophis ac grammaticis vos magistri & præceptores ponitis, ut relinquatis necesse est? Tam absurdum disputatorem an non omnes grammaticorum & philosophorum scholæ exhibilabunt?

Deinde quæris quomodo constet hanc esse vere Ecclesiæ vocem quam præsentem audimus? Et quis hoc quærat nisi qui Christianus non est? Quid enim? Christianus es, & in symbolo profiteris, *Credo Ecclesiam Catholicam*, & adhuc nescis quæ sit vera Ecclesia? An quæ Catholica Ecclesia est, vera Ecclesia nõ est: aut in symbolo aliã credimus Ecclesiam quã quæ vera est? Quomodo igitur de vera Ecclesia quæris tu, si Christianus tu es? An *cum debeas magister esse propter tempus*, imò te Magistrum ac

Ecclesiæ.  
vera vocẽ  
nemo  
Christia-  
nus signa-  
rat.

Hebr. s.

professorem Regium scribis, *rut sum māiges vt docearis qua sint elementa exordij sermonum Dei?* Quid enim magis inter elementa exordij sermonū Dei est, quā Symbolum fidei quod etiā pueri didicimus, & quo ante omnia docemur credere Ecclesiam Catholicā? Deinde an ille discipulus in schola ferendus esset, qui viuā præceptoris sui vocē audire iussus, quærat statim, & quomodo mihi cōstat huius hominis vocē esse veri præceptoris mei vocem? An nō qui talis se scholæ discipulum profiteretur, eius scholæ præceptorē ante omnia scire & cognoscere debet? Quātō magis qui Christianū se profiteretur, & in schola Christi discipulum, pastores illos & doctores cognoscere debet, quos ad cōfirmandos & erudiēdos discipulos suos Christus dedit? Vides ergo quā hæc tua quæstio non absurda modo sed & impia sit, planeq; huiusmodi quæ te adhuc minimè Christianum prober.

Ecclesiar  
ex scrip-  
turis pro-  
batio non  
est simpli-  
citer ne-  
cessaria.

Sed tu scilicet huic tuæ quæstioni respondes. *Id verò ex scripturis probent necesse est.* Moxque inferis, *ergo certior est scripturæ quàm Ecclesiæ autoritas.* Cæterum nec responsio tua apta est, & illatio tua infirma est. Responsio apta non est, quia tametsi quæ sit vera Ecclesia contra hæreticos etiam ab Ecclesia alienos, huiusmodi tamen qui adhuc scripturas venerantur, ex scripturis demonstrari potest, quod olim S. August. contra Donatistas fecit, nosq; eum imitati in huius operis quod impugnas, quatuor primis libris contra huius temporis hæreticos, studiosè fecimus; tamen homini Christiano & Catholico iamq; è fidelium at credentiū numero huiusmodi probatio necessaria non est, nec qui verus Christianus est verā Christi Ecclesiam ignorare potest, non magis quàm qui verus ciuis, aut discipulus, aut filius est, suæ ciuitatis magistratus, suæ scholæ magistrus, aut suum denique verum parentem potest ignorare.

ignorare. Quod si te Whitakerē hæreticum profiteris, huiusmodi tamen qui adhuc scripturas veneratur, etsi tanquam hæreticus atque hæreticorum nomine has quæstiones proposuisti, responsio tua an rem certè erit, sed parum profecto ad rem tuam, in qua videlicet te hæreticum esse & hæreticorum causam agere disertè profiteris. Cæterum homini Christiano vereque Catholico illa respõsio vt iam ostendi, apta non est. Ad illationem tuam quod attinet, quantum illa valeat, in tertio tuo argumento, vbi illam repetis & premis magis ostendetur. Atque hæc de tua ꝑ. probatione hæctenus.

*VWhitakerus.*

Quarta. Si Ecclesia congregatur ad scripturæ Canonem consignandum, aliqua authoritate id faciat necesse est. Quæro ergo qua authoritate congregetur? Si respondeant, interno aliquo instinctu aut reuelatione, nos huiusmodi reuelationes quæ extra verbum sunt, prorsus respuimus, vt fanaticas, & Anabaptisticas, & prorsus hæreticas. Si dicant authoritate scripturæ congregari, tum id concedunt quod nos postulamus. Inde enim sequetur, scripturam antea Canonicam authoritatem habuisse, quam Ecclesiæ iudicio confirmata fuit. Si hanc tantum partem scripturæ Canonicam prius fuisse concedant quæ hanc Ecclesiæ authoritatem tribuit, reliquam verò negent, nulla certè ratione hoc faciunt. Atque hæc de primo argumento dixisse sufficiat.

*7 Sect.*  
*Quæstio*  
*stupidæ.*  
*Argumẽ-*  
*ratio im-*  
*piæ & ab-*  
*surdæ.*

*Stapletonus.*

Ad hanc tuam quartam probationem vno quoque simili respõdeo, vt in eo quasi in speculo tuam ipse stupiditatem & nouam adhuc impietatem videas. Apostolorum tempore facta fuit Ecclesiæ congregatio, circa legalium ceremoniarum obseruationem,

*Iudaïsan-*  
*tibus*  
*vWhita-*

N n 5 uationem,

Libri argu-  
 mentatio  
 suffraga-  
 tur.  
 Ad. 15.

uationem, quam etiam à gentibus ad fidem con-  
 uersis tenendam esse multi acerrimè docuerunt.  
 Quum enim Antiochiæ facta esset hac de re *seditio*  
*non minima Paulo & Barnaba aduersus alios, quumq; in*  
*ipsis Hierosolymis, surrexissent quidam de heresi Phari-*  
*seorum qui crediderunt, dicentes, quoniam oportet circūcidi*  
*eos, præcipere quoque seruare legem Moysi, propter has*  
*turbas & difficultates. Conuenerunt Apostoli & Senio-*  
*res videre de verbo hoc. Cum autem conquisitio magna fie-*  
*ret. surgens Petrus &c. Quærat nunc tecum VWhitake-*  
*re aliquis adhuc Iudaisans, quales innumeri*  
*etiam post hoc Concilium fuerant, contra quos*  
*suos & Corinthios & Galatas & Ephesios & Phi-*  
*lippenses & Collossenses, Paulus per Epistolas ad-*  
*monere & confirmare debuit, quærat inquam &*  
*dicat. Isti Apostoli & Seniores ad hanc quæstionem*  
*terminandam congregati sunt. Aliqua authoritate*  
*id fecerint necesse est. Si respondeât, interno aliquo*  
*instinctu aut reuelatione, nos huiusmodi prorsus*  
*respuimus. Si dicant auctoritate scripturæ congre-*  
*gatos se fuisse, tumid concedunt quod nos postula-*  
*mus. Nam tota scriptura vetus has legales observa-*  
*tionem manifestè commendat. Si hanc tantum quæ-*  
*stionem in veteri scriptura terminatam non fuisse*  
*dicant, etsi reliqua illic doceantur nulla certe ra-*  
*tione hoc faciunt. Quid tu VWhitakere huiusmo-*  
*di Iudaisantibus (quales etiam hodie non desunt)*  
*respondebis, vt Concilium Apostolicum defendas?*  
*Quicquid illud sit quod respondendum putaueris,*  
*idem tuis quæstionibus respondendum existima.*

Rursum contra Arianos Christi diuinam natu-  
 rum negantes Conciliū Nicenū primum cōgrega-  
 tū est, contra Eutichetistas negantes duas in Chri-  
 sto naturas Chalcedonense. Surgant nunc Ariani  
 moderni, quorum in Polonia & Tránsiluania maxi-  
 mos

mus numerus est, surgant Eutychnitæ moderni  
 (quales vbiq̄uitarios & brentianos esse Calvinistæ Beza con-  
 & alij lutherani scriptis libris demonstrant) & te tra Bren-  
 authore quærant. *Si Ecclesia contra horum dogmatum*  
*assertores congregata fuit, aliqua autoritate id fecerit ne-* Concilio-  
*cesse est.* Quæro igitur qua autoritate congre- rum omni-  
 tur: Si respondeant, interno aliquo spiritus instin- authorita-  
 ctu aut reuelatione, nos huiusmodi reuelationes tè VWhi-  
 quæ extra verbum sunt prorsus respicimus vt fana- takeri ar-  
 ticas &c. Si dicant autoritate scripturæ cōgrega- gumenta-  
 ri. tum id concedunt quod nos postulamus. Inde tio sub-  
 enim sequetur nostra dogmata veritati esse cōsen- uerit.  
 tanea. Nos enim ex scripturis omnia nostra proba-  
 mus & probari volumus, quicquid Concilia doce-  
 ant aut definiant. Si in histantum dogmatibus Cō-  
 silia vetera audiri volunt, in reliquis solā scripturā,  
 nulla certè ratione hoc faciunt. Quid tu iam Whi-  
 takere istis hominibus tuo etiam iudicio hæreticis  
 respondendum iudicabis, vt veterum Consiliorum  
*authoritatem saluberrimam* (vt Augustinus loquitur)  
 tuearis? Quicquid illud sit quod respondendum  
 putares idē tuis quæstionibus, respondendū existi-  
 ma. An non rursus vides, quomodo iterū ad aliud  
 insigne impietatis præcipitiū tua te hæc disputatio  
 pertraxit? Quid? An ita circa scripturarū approba-  
 tionē Conciliorū autoritatē exagitas, vt omnem  
 prorsus omniū conciliorū autoritatem saluberri-  
 mam pessundatam velis? Quid? Nec ipsi Concilio  
 Apostolico parces?

Ego verò tuæ quæstioni, qua queris, *qua autori-*  
*tate congregetur Ecclesia,* breuissimè respondeo illa;  
 autoritate & potestate quā Christus eis dedit di-  
 cens. *Euntes docete omnes gentes & rursus. Sicut misit* Matth. 28.  
*me Pater & ego misi vos in mūdum.* Et iterum quia da- Ioan. 17.  
 ti sunt à Christo *Apostoli Pastores & doctores,* ad cōsum- Ephes. 4.  
 mationem

*emationem sanctorum*, id est ad confirmandos & re-  
 dintegrandos fideles (vt illa vox Pauli *καταρτισμὸς*  
 & *καταρτιζω* propriè significat) *ne sint fluctuantes si-*  
*cut paruuli*. Hæc potestas Ecclesiæ data, & huius po-  
 testatis finis, illa auctoritas est, qua freta, ad dubia  
 de fide terminanda, congregatur Ecclesia, & contra  
 omnes hereticos ac maleferatos homine per omnes  
 ætates congregari semper solita est. Tu VWhitake-  
 re hanc potestatem Ecclesiæ datam ignorasti? Aut  
 certè eam turpiter ignorasti Doctor indoctus, aut  
 nequiter dissimulasti professor infidus, & veritatis  
 quam proferis præuaricator perfidus. Nec priva-  
 tis reuelationibus, nec scripturæ auctoritate vt Cõ-  
 cilia congregentur opus est. Pastores Ecclesiarum  
 sunt; sua hac in re auctoritate, & Apostolorum ex-  
 emplo vtuntur. Quid? An de tua hic laicocephalia  
 somniasti, & quia Concilia vetera à nullis laicis  
 principibus congregata, nec vlla illorum auctori-  
 tate collecta sunt; idcirco omni illa auctoritate ca-  
 ruisse dices? Sed Regem aut Reginã in causis Eccle-  
 siasticis supremã auctoritatẽ habere veteribus Cõ-  
 cilijs inauditũ fuit. Atque hæc de primo tuo argu-  
 mento, in quo quam multa absurdè & impiè dixe-  
 ris, iudicet lector.

## RESPONSIO AD SECVNDVM ARGV- MENTVM.

### CAPVT. II.

*VWhitakerus.*

Argumẽ-  
 tatio im-  
 pia & ab-  
 surdissi-  
 ma.

**S**ECVNDVM verò nostrum *Argumentum* est hu-  
 iusmodi. Illa est vera ac propria causa authen-  
 ticæ illius auctoritatis quam scriptura apud nos  
 obtinet,

obtinet, quæ hoc effectum perpetuò ac necessariò  
 producit; hoc est, quæ semper efficit, vt scriptura  
 authenticam apud nos auctoritatem habeat. At  
 huius rei causa necessaria ac perpetua est solum  
 Spiritus S. testimonium non publicum Ecclesiæ  
 iudicium. Ergo Spiritus S. testimonium non pu-  
 blicum Ecclesiæ iudicium est vera ac propria causa  
 authenticæ illius, quam scriptura apud nos habet,  
 auctoritatis. \* De maiore nulla dubitatio esse po-  
 test. Minor verò facilet confirmatur. Si enim Eccle-  
 siæ iudicium perpetuò faceret, vt Canonica quoad  
 nos esset scripturæ authoritas tum omnes qui hoc  
 ex Ecclesia audirent continuò crederent; & quem  
 Ecclesia Canonem constituerit, eum omnes ad  
 quos hoc Ecclesiæ iudicium perueniret, statim re-  
 cipereat. At Ecclesia iam dudum scripturæ Cano-  
 nem consignauit, & tamen Iudæi, Turcæ, Sarace-  
 ni, & multi etiam Christiani animo non assentiun-  
 tur. Constat ergo Ecclesiæ iudicium non esse cer-  
 tum, necessarium, solidum ac perpetuum, illius  
 quam scriptura habet auctoritatis argumentum.  
 At Spiritus S. semper hoc effectum producit. Eius  
 ergo testimonium est vera ac propria causa autho-  
 ritatis scripturæ quoad nos.

\* At hæc  
 est falsiss-  
 ma.

*Stapletonus.*

Ad impietatis iterum extremæ barathram, &  
 variæ absurditatis præcipitium, præter ridiculam  
 stoliditatem, hæc te tua argumentatio perducit.  
 Vide enim rursus in vno aut altero exemplo quæ  
 sit eius absurditas, & quanta ex ea impietas conse-  
 quatur. Vtatur in Christi prædicatione, atque eti-  
 am in propitiatione pro peccatis totius mundi ea-  
 dem argumentationis tuæ forma. Videbis idem  
 contra vtramque illam concludi, quod contra Ec-  
 clesiæ auctoritatem in scriptura Canonica consi-  
 gnanda

Christi in  
terris præ-  
dicatione  
omni au-  
thoritate  
VWhita-  
keri argu-  
mentatio  
spoliat.

gnanda concludere voluisti. Sic igitur de Christi  
sti primum in terris prædicatione tecum argu-  
mentor. Illa fuit vera ac propria causa au-  
thenticæ illius authoritatis quam doctrina Euan-  
gelica apud Iudæos, Christo prædicante obtinu-  
it, quæ hoc effectum perpetuò ac necessario tunc  
produxit: hoc est quæ semper tunc effecit, vt do-  
ctrina Evangelica authenticam prædicante  
Christo authoritatem haberet. At huius rei causa  
necessaria ac perpetua tunc erat solum Spiritus  
sancti testimonium, non externa Christi prædi-  
catio. Ergo Spiritus sancti testimonium non ex-  
terna Christi prædicatione fuit vera ac propria causa  
authenticæ illius quam Evangelica doctrina apud  
Iudæos tunc habebat authoritatis. De maiore  
nulla dubitatio esse potest. Minor verò facile con-  
firmatur. Si enim Christi prædicatione perpetuò  
tunc fecisset vt authentica ac fide digna esset apud  
Iudæos doctrina Evangelica, tum omnes Iudæi  
qui illum ex ore Christi audierunt, continuo  
crederent; & quam Christus doctrinam prædi-  
cauerit, eam omnes ad quos Christi prædicatione  
peruenisset, statim reciperent. At Christus per  
triennium aut circiter Euangeliū prædicauit cir-  
cumeundo per vicos & castella, & erat quotidie  
docens in templo & in Synagogis Iudæorum; &  
tamen tam innumeri Iudæi, illi non assentieban-  
tur. Constat ergo Christi prædicationem non fu-  
isse tunc certum, necessarium, solidum, ac perpe-  
tuum illius quam Evangelica doctrina tunc habu-  
it, authoritatis argumentum. Hęc est tua argumen-  
tatio VWhitakeri ad verbū in forma, sola immura-  
ta materia. Quid ergo? Etiam hoc audebis dicere,  
aut hoc aures Christianæ ferre poterūt, Christi præ-  
dicationem quum in terris esset, non fuisse certum  
solidum,

solidum, necessarium, & perpetuum illius quam prædicabat doctrinæ authoritatis argumentum? An etiam hoc negabis, firmissimum & certissimum esse argumentum? Christus ita prædicauit Iudæis; ergo Iudæi Christo prædicante sic debebant credere. An nescis Christum idcirco *in mundum venisse & in hoc* Ioan. 18. *natum fuisse vt testimonium perhiberet veritati?* Huic ergo testimonio tanquam summæ authoritatis argumento, nonne ab omnibus qui eum audierunt necessariò credendum fuit? Et tamen adeo multi ei non crediderunt, vt de hac Iudæorum incredulitate, grauissimè Christus dixerit. *Si non venissem & locutus fuisssem eis, peccatum non haberent. Nunc autè excusationem non habent de peccato suo.* Vides ergo te impiè & perfidia Iudaica contra Christi prædicationem illud conclusisse quod contra Ecclesiæ iudicium heretica petulantia concludere te posse existimasti.

Aliud nunc exemplum accipe. Sic igitur de propitiatione per Christum facta tecum argumentor. Illa est vera ac propria *propitiatio pro peccatis totius mundi*, quæ hoc effectum perpetuò ac necessariò producit, hoc est, quæ semper efficit vt totius mundi peccata propitientur, id est, remittantur &c. At huius rei causa necessaria ac perpetua est sola Spiritus sancti gratia quæ fidem generat qua homines saluantur ac Deo reconciliantur, non illa per Christum in cruce facta propitiatio ergo hæc Spiritus sancti gratia vel fides cuiusque propria non propitiatio per Christum facta est vera ac propria causa salutis in vnoquoque & propitiationis pro peccatis cuiusque. De maiore nulla dubitatio esse potest. Minor facile confirmatur. Si enim propitiatio per Christum facta perpetuò faceret vt homines saluarentur aut hominum peccata remitterentur, tum omnes Propitiatio per Christum facta ex VWhitakeri argumentatione euacuat.  
prorsus

prorsus hanc salutem & remissionem peccatorum consequerentur. Achæe Christi propitiatio iam dudum facta est, & tamē Iudæi, Turcæ & Saraceni, & multi etiam Christiani eius fructum non sunt assecuti. Constat ergo Christum non fuisse veram ac propriam propitiationē pro peccatis totius mundi. An non iterum vides disputator impie, ad quantum impietatis præcipitium, argumentatio tua te trahit? An etiam negabis Christum esse veram ac propriam propitiationem pro peccatis totius mundi, nec Ioannem verē ac propriē istud scripsisse, eo quòd hoc effectum perpetuò ac necessariò nō producat, nec semper efficiat, vt totus mundus saluetur?

Argumenti tui impietatem maximam vidisti.

Whita-  
keri crassa  
ignorantia.

Vide nunc summam eius stoliditatē. Dicis, *De maiore nulla dubitatio esse potest*. Sic sanē, apud eum qui nihil videt, ideoque nihil dubitare potest. Atqui hæc tua maior propositio est prorsus falsissima. Falsum inquam est & errore plenum, illam esse veram ac propriam alicuius rei causam quæ suū effectum perpetuò ac necessariò producit, quando agitur de causis partialibus vel quærū effectus sunt liberi non naturales. Tota quidem & naturalis causa suum effectū necessariò & perpetuò producit. Agens enim naturale positis omnibus ad agendum requisitis necessariò producit effectum. Alioqui & causa naturalis quum maximē vera ac propria causa sit, impediri tamen potest ne effectum suum perpetuò & necessariò consequatur. An non sol vera & propria causa lucis est? Clausis tamen fenestris domum sol non illuminat? An non ignis vera & propria causa caloris est? Interiecto tamen obstaculo ignis etiam propinquus non calefaciet. Pluvia, aeris temperies, calor solus, veræ & propriæ causæ sunt omnium quæ

Causæ  
etiam na-  
turales nō  
perpetuò  
producūt  
effectum.

quæ in terra nascuntur. Illis tamen positis pleraque non nascuntur nisi terra excolatur. Ipsa quoque agricultura vera ac propria causa est messis. Sed an illa perpetuò & necessariò effectum suum producit? Vulgaribus istis & notissimis exemplis tua tarditas, professor egregie, docenda est. Sic enim aduertere debuisti, Ecclesiæ iudicium siue in scriptura Canonica siue in alio quocunque fidei dogmate commendando & promulgando veram quidem ac propriam causam esse quod illa sic commendata & promulgata credantur, sicuti Christi prædicatione vera ac propria causa erat, quod tam multi eius doctrinam amplecterentur, & Christus per suam beatissimam mortem vera ac propria propitiatio sit pro peccatis totius mundi, sed quia hæc omnia partiales tantum causæ sunt, ut præter Ecclesiæ externum iudicium opus adhuc sit interno Spiritus sancti testimonio, sicuti & præter Christi prædicationem externam eodem opus fuit, & præter Christi in cruce meritum interna Spiritus sancti gratia, & propria cuiusque fide opus est, qua Christi propitiatio sufficiens per debitam applicationem fiat efficax; ideirco & eam ob causam effectum suum istæ causæ tametsi nobilissimæ perpetuò nõ consequuntur. Rursum quia effectus huiusmodi causarum liber est non naturalis, nempe credere has esse scripturas Canonicas, id attestante Ecclesia, item credere Euangelio prædicante Christo, item habere propitiationem pro peccatis Christo pro nobis passo, (credunt enim Christo & Ecclesiæ qui volunt credere, & saluantur per Christum qui saluari volunt, nec inuitus aut coactus quisquam vel credit vel saluatur) hinc rursum consequitur, quod hic effectus positis illis causis nec necessariò nec perpetuò consequitur. Agens enim voluntarium & libe-

rum (quale est homo credens) in hoc ab agente naturali differt; quod istud quidem positus omnibus ad agendum requisitis necessario agit, illud verò eisdem omnibus positus potest tamen non agere. Hinc enim sanè sit ut tam Christo prædicare quàm Ecclesiã aliquid testificante, imò etiam Spiritu S. intus cor mouente, & intus in corde testificante, homo tamè pro sua agendi libertate, vtrumque testimonium reijcere possit atque (pro dolor) nimis sæpe reijciat.

Ex quibus & illud quod in fine argumenti tui tanquam pro certa & indubitata veritate assumis, quam falsum sit, facile perspicitur. Ais enim *At Spiritus S. semper hoc effectum producit*. Hoc si ita est, D. Stephanus incredulos illos Iudæos falsò reprehendit, & turpi ac fæda calumnia aspersit, quum diceret. *Vos Spiritui sancto semper resististis, sicut Patres vestri & vos*. Aut mentitur Stephanus, aut Spiritus S. hunc suum effectum non semper producit. Quid est enim resistere Spiritui S. nisi eius diuinis motibus repugnare, & illo per os Christi & Apostolorum & Prophetarum Dei loquente, atque intus cor excitante, ut credatur, ut vita impia corrigatur, & huiusmodi, nolle tamè credere, nolle impiã vitam in melius mutare? Sic enim Iudæi isti nec Christo prædicati, nec Apostolis iam eius resurrectionem attestantibus credere voluerunt. Sic Patres eorum veteribus Prophetis ad vitæ emendationem maximis vocibus eos Dei nomine adhortantibus obtemperare recusarunt. Quam eorum impietatem Christus deplorans, in persona Dei ait. *Ierusalem Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos &c. & noluisti?* Matth. 23. Hæc voluntas Dei congregandi Iudæos in sinum gratiæ suæ opus haud dubiè misericordiæ erat, ac per hoc Spiritus sancti. Sed effectum suum hoc opus non est consequutum, quia illi noluerunt congregari,

Spiritus S.  
effectum  
credendi  
non semper  
producit.  
Act. 7.

gregari; sed audientes vocem Dei obdurauerunt corda sua &c. Psal. 95. Sic videlicet Spiritui S. cum illis externis vocibus intus cooperanti (vt in præcedentibus ostendimus) isti perfidi & increduli Iudæi semper resisterunt: adeò sanè vt Prophetas ad se missos occiderent: & sic in his perfidis Iudæis Spiritus S. suum effectum non produxit. Et quid miramur si Spiritus S. suū gratiæ effectū in cordibus incredulorū & impiorū non producit, quando & Christus Marc. 6. ipse disertè profitetur se *in patria sua propter incredulitatē illorū hominū nullas virtutes miracula nulla facere potuisse?* An non æquè Christi opera & effectus miracula fuerunt, quam Spiritus sancti effectus est fides & conuersio populorum? Sed sicut ille effectus Christi ab hominum incredulitate impeditus fuit, sic multo magis Spiritus sancti effectus qui est actus pietatis ad quem corda hominum adiutorio suæ gratiæ mouet & excitat, ab hominum impietate qui conuerti nolunt frequenter impeditur. Deinde si Spiritus sanctus suum semper effectum cōsequitur, quorsum Apostolis dixit. *Spiritum nolite extinguere*, siue hoc de donis Spiritus sancti in alijs Apostolus loquatur, siue de motibus Spiritus sancti in vnoquoq; intelligendus sit. 1. Thess. 5. Postremo, *bonitas* Rom. 2. *illa & benignitas Dei qua ad penitentiam peccatores adducit, illi autem secundum duritiam suam & impenitens cor thesaurisant sibi iram &c.* nonne diuini Spiritus operatio est, qua eos ad resipiscentiam mouet, excitat, atq; cōpungit, quæ tamen operatio suū effectū non consequitur propter dura corda peccatorum?

Verum quidem est, quod fides semper est opus & effectum Spiritus sancti, & hoc sensu effectum fidei Spiritus sanctus semper producit, quia absq; Spiritus sancti interno testimonio non produci-  
tur; Cæterum nec solus Spiritus sanctus hoc effe-

etum semper producit, sed Ecclesiae quoque testi-  
 monium ad fidem ingenerandam vt medium exter-  
 num ordinariè concurrit (vt in præcedentibus o-  
 stensum est) nec semper Spiritus sanctus quos ad  
 credendum excitat & mouet, eosdem ad creden-  
 dum efficaciter inducit, tametsi in ijs qui credunt  
 & conuertuntur, Spiritus sancti operatio efficax  
 semper est. Quare nec maior tua propositio, de qua  
 dixisti neminem dubitare posse, in causa præsentia  
 vera est; nec subsumptum tuum quod vltimum  
 posuisti veritate nititur. Minor quoque tua propo-  
 sitio, ad cuius confirmationem hoc subsumptum  
 intulisti, falsa esse ex ijs quæ in præcedentibus, di-  
 sputata sunt, perspicuè ostensa est. Neque enim so-  
 lum Spiritus sancti testimonium causa necessaria  
 & perpetua est, cur homines has esse scripturas Ca-  
 nonicas credant, sed posita Dei ordinatione & hu-  
 mana infirmitate, Ecclesiae quoque externum testi-  
 monium huius rei causa est necessaria, & perpe-  
 tua; absque peculiari paucorum priuilegio, quos  
 pro suo beneplacito vel vbi externa prædicatio lo-  
 cum non habet, Deus ad fidem vocat, & de ijs quæ  
 credenda sunt solo diuini spiritus testimonio & vn-  
 ctione interna informat, atque ad credendum in-  
 ducit. Qua de re in præcedentibus satis multa dixi-  
 mus. Minoris tuæ propositionis confirmatio eiusq;  
 subsumptum adeò infirma & aliena sunt, vt eadem  
 ratione Christi prædicationē quum in terris esset,  
 Christique propitiationem in cruce factam, nec  
 veram nec propriam fidei atque salutis causam fu-  
 isse concludant. Tale igitur tuum hoc secundum  
 argumentum est, vt maior propositio in qua maxi-  
 mè confidebas, eiusque subsumptum quod pro in-  
 dubitato ponebas, manifestè falsa deprehendan-  
 tur; Minor tua propositio falsa, eiusque confirma-  
 tio

rio ac subsumptum ad manifestam impietatem inducere, demonstrata sint. Videamus nunc quod tertio loco sequitur.

## RESPONSIO AD TERTIVM ARGVMENTVM.

### CAPVT. III.

*VWhitakerus.*

**T**ERTIVM nostrum *Argumentum* ita se habet. Si Ecclesiæ autoritas quoad nos, ex scripturæ autoritate pendeat; tum non econtra, scripturæ autoritas quoad nos, ex Ecclesiæ autoritate pendet. At primum verum; ergo & secundum. Maioris consequentia satis per se <sup>\*</sup>firma est. Assumptio verò facile confirmari potest. Quæro enim, unde nos intelligamus Ecclesiam non errare in consignando scripturæ Canone? Respondent regi à Spiritu sancto (sic enim etiam Tridentina Synodus sibi sumit:) ac proinde in iudicijs ac decretis suis errare non posse. Fateor quidem si semper à Spiritu S. regatur, ut ei spiritus in omni causa lumen veritatis præferat, non errare. Sed unde sciamus ita semper regi? Respondent hoc Christum promisisse. Esto. At quæro ubi promiserit? Expedite & sine mora proferunt multas ex scriptura sententias, quas semper in ore solent habere, cuiusmodi sunt. *Ego ero vobiscum vsque ad consummationem seculi. Matth. 28. 20. ubi duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ego ero in medio eorum. Matth. 18. 20. Ego mittam vobis paracletum à Patre. Ioan. 15. 26. qui cum venerit, deducet vos in*

\* Omnis  
no falsa  
est.

*omnem veritatem*. Ioan. 16. 13. Agnosco scripturæ luculentissima & certissima testimonia. Sed hinc iam non scripturæ auctoritatem ex Ecclesia, sed contra, Ecclesiæ auctoritatem ex scriptura pendere sequitur. Præclara nimirum huius argumenti periodus. Dicunt se dare auctoritatem scripturæ librisque Canonicis, quoad nos; & tamen \* fatentur suam omnem auctoritatem à scripturis sumi. Nam silibrorum horum testimonijs sententijsque freti, credi sibi postulant, tū constat hos libros qui fidem illis conciliant, maiore in se auctoritatē habuisse, & per se authenticos fuisse. *Stapletonus.*

Maiores tuæ propositionis consequentia quæ tibi *satis per se firma* videtur, & quam idcirco nulla ratione confirmas, prorsus infirma & inualida adeoque falsa est. Non enim sequitur, ut tu arbitraris, si Ecclesiæ auctoritas quoad nos ex scripturæ auctoritate pendeat, tum e contra scripturæ auctoritas, quoad nos ex Ecclesiæ auctoritate non pendet. Vtrumque enim verum esse potest, & mutua vtriusque testificatio nihil absurdi habet. An tibi absurdum videtur, quod Ioannes testimonium perhibuerit (idque adeo ut *ad testimonium perhibendum de lumine à Deo missus fuerit, ut omnes crederent per illum*) ac vicissim Christus Ioanni testimonium perhibuerit, idque adeo ut amplissimis verbis de eo testificatus fuerit, *Non surrexit maior inter natos mulierum Ioanne Baptista?* Num ex hac mutua Christi & Ioannis testificatione tecum argumentari licebit? Si Christi auctoritas quoad Iudæos ex Ioannis testimonio & auctoritate pendeat, tum non e contra Ioannis auctoritas quoad Iudæos ex Christi testimonio & auctoritate pendere debuit? Sanè vtrumque scriptura docet; nec est hæc vtriusque mutua testificatio aliquod inconueniens, quando vtraque pars alio atque alio modo

\* Mendacium.

Christi & Ioannis mutuum testimonium, sicut Ecclesiæ & scripturarum.

modo sibi mutuo testificatur. Ioānes enim vt testis ad Christum manducebat. Christus Ioannis testimonium confirmauit. Sic Ecclesia vt testis ad scripturas cognoscendas manuducit. Ipse vicissim scripturæ Ecclesiæ testimonium confirmant.

Ioannes Apostolus quum suum Euangelium scripsit, in fine ait. *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus quia testimonium eius verum est.* Ecce suo Euangelio quod ipse scripsit Ioan. 21. ipsemet testimonium perhibet, & huius Euangelij Aposto- autoritas ab hoc eius testimonio pendet. lorum & *Verum enim est testimonium eius.* Vicissim hoc Euangelium Euange- Ioanni testimonium perhibet quod fuerit dilectus liorū mu- ille discipulus Christi. Quia quum Ioannes Euan- tuum te- gelium suum scriberet, multi tum hæretici grassa- stimoniu bantur, ad quos refellendos multa scripsit quæ alij ficut scri- Euangelistæ prætermiserant, propterea suo Euan- pturæ & gelio testimonium perhibere, & hoc suo testimo- Ecclesiæ. nio autoritatem ei conciliare ipsemet voluit. Surgat nunc aliquis Cerinthus aut Cerdo, illorum temporum hæretici, ac tecum VWhitakere sic disputet. Si Euangelij D. Ioannis autoritas ab ipsius testimonio pendet, tū non ecōtra D. Ioannis autoritas ex illo Euangelio pendeat. Et tamen vtrumq; verū est, quia tū in illo Euāgelio loco citato dicitur *quod Ioannes hæc scripsit: & sic ex ipsa litera Euangelica probatur Ioannem Euangelistam fuisse; tum ipse Ioannes affirmat, se testimonium perhibere de illis quæ scripsit, suumq; testimonium esse verum: & sic Euangelium D. Ioannis ab ipsius autoritate & testimonio pendet. Sic in Ecclesia & scriptura se res habet. Ecclesia testificatur hoc esse Euangelium Ioannis. Et vicissim illud Euangelium Ioannis in verbis à te ex hoc Euangelio citatis, testimonium perhibet Ecclesiæ, quod à Spiritu sancto edocta deducetur*

in omnem veritatem. Hæc mutua testificatio mutuaque authoritatis dependentia tibi in scripturis minus versato ( qui scripturarum tamen te magistrum ac professorem profiteris ) res noua ac peregrina qualique impossibilis videtur.

Sed accipe adhuc alterum è scripturis exemplū. In Euangelio D. Ioannis pater clarificat filium voce de cælo missa, dicens: *Et clarificauit & clarificabo.* Vicissim filius clarificat patrem dicens. *Clarificauit te super terram, manifestauit nomen tuum hominibus.* An hic contra apertissima Euangelij verba vis vt tecum argumentemur? Si pater clarificat filium, & filij authoritas ex patris testimonio quoad nos confirmatur ac pender, tum econtra filius non clarificat patrem, nec patris authoritas ac maiestas ex filij testimonio & authoritate quoad nos manifestari, confirmari aut aliquo modo pendere potest? Si hæc tibi consequentia manifestè falsa & Euangelio contradictoria prorsus apparet; tuam quoque consequentiam prorsus consimilem manifestè falsam ac parum firmam esse intelligere potes.

Quid an non simili argumentatione ipsis Euangelij & literis Apostolicis fidem omnem derogabimus? Vide enim. Euangelium Matthæi & Ioannis de Apostolorum vocatione, missione, authoritate vniuersa luculentissimè testificantur. In illis enim sic legimus. *Quorumcunque remiseritis peccata, remittentur eis &c.* Item. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ.* Rursum. *Accipite Spiritum sanctum. Sicut me misit pater & ego mitto vos:* multa que huiusmodi. Apostolorum ergo authoritas ex horum Euangeliorum authoritate & testimonio manifestè pendet. Sed quid? Qui hæc Euangelia scripserunt, nonne ipsi met Apostoli fuerunt? An igitur tecum sic argumentabimur? Si Apostolorum  
authori-

Ioan. 12.  
Ioan. 17.

Patris &  
filij mu-  
tua testi-  
ficatio si-  
cut Ecce-  
siaz & scri-  
ptura.

Aposto-  
lorum au-  
thoritas  
ab Apo-  
stolis re-  
stificata.  
Matt. 18.  
& 28.

Ioan. 20.

authoritas quoad nos ex Euangelij testimonijs & authoritate pendet, tum non e contra Euangelij authoritas ab Apostolorum testimonijs & authoritate pendere poterit. An non vides quomodo hæc tria iterum consequentia quæ tibi ita firma videbatur, ad absurdissima nos inconuenientia ducit?

In epistolis quoque Paulinis, quia suam illam Paulus  
suz au-  
thoritatjs  
testis. authoritatem amplissimam plurimis in locis valde magnificè commendat, vt quum dicit; *Sic nos existimet homo sicut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Et iterum, Qui fecit nos idoneos noui Testamenti ministros non litera sed spiritu:* & ad Galatas maxime, *qui non ab homine neque per hominem Euangelium didici sed per reuelationem Iesu Christi* & multa similia, an propterea firma hæc erit consequentia? Si epistolæ Paulinæ ab authore suo qui vas electionis erat, authoritatem accipiunt, tum e contra ab illis epistolis Paulus authoritatem accipere non potest? Falsa & infirma erit, quia vtrumque verum est. Nam vt epistolæ illæ, quia Paulum authorem habent, summa fide dignæ sunt, sic etiam e contra ipse Paulus quia in illis epistolis eius amplissima authoritas legitur, ab illis quoque epistolis commendatur.

Quid verò? Potuerunt Apostoli quum sacras Ecclesia  
scripturas  
commendat, in  
quibus  
ipsa com-  
mendatur  
sine vlla  
absurdi-  
tate. scripturas conscriberent, etiam quæ ad ipsorum authoritatem pertinebant in eisdem scribere; & non potest Ecclesia illas scripturas nobis consignare & testificari, in quibus ipsa Ecclesiæ commendatio, & infallibilitas in fide continetur? Magis profectò absurdum videtur ea scribere in quibus tua laus & commendatio continetur, quam illa iam scripta approbare & commendare in quibus tua virtus aut potestas comprehenditur. At prius illud sine vlla absurditate fecerunt Apostoli:

**Ergo** posterius istud sine vlla absurditate facere potest Ecclesia. Si quas nunc scripturas Ecclesia commendat, approbat, promulgat, consignat, eadem ipsa scriberet, & in eisdem de sua infallibilitate testimonia infereret, etsi absurdum id videri posset, tamen nihil aliud faceret, quàm olim Apostoli fecerunt, qui illas scripturas confirmarunt (vt ex Augustino antea dictum est, & quod tu diligenter premis, Apostolorum videlicet tempore certum scripturarum Canonem definitum fuisse) quas ipsimet magna ex parte scripsissent. Nunc autem Ecclesia quas nobis scripturas cõsignat, nõ ipsa scripsit, sed à maioribus scriptas accepit. Multò igitur minus absurdum facit nunc Ecclesia quã fecerunt olim Apostoli ( si vt tu ineptè argumentaris absurdum esset ) quum illis scripturis auctoritatem tribuit, à quibus & ipsa auctoritatem accipit.

In sym-  
bolo fidei  
quod Ec-  
clesia tra-  
didit, Ec-  
clesia cõ-  
mẽdatur.

**Quid?** Nec adhuc intelligis, maioris tuæ consequentia quàm sit infirma, vana, & etiam consequenter impia? Audi adhuc plura. Symbolum fidei nostræ quod Apostolicum dicitur, à qua alia auctoritate externa accipimus, quàm ab Ecclesia? In scripturis illud symbolum ea forma & ordine verborum non continetur. Imo nec omnia quæ in illo symbolo sunt, in scripturis, iuxta vestram sententiã, habentur. Articulus enim ille de descẽsu Christi ad inferos, adeo iuxta tuorum sententiã, in scripturis non habetur, vt eum aliqui vestrum è symbolo eradere, alij ad sensum alienissimũ detorquere, alij rursus penitus negare voluerint: de quo lege tractatũ doctissimum Henrici Vici. In hoc igitur symbolo quod ab auctoritate & traditione Ecclesiæ accepimus, inter cætera credenda, etiam ipsa Ecclesia credenda proponitur. Dicimus enim. *Credo Ecclesiam*

Tract de  
descensu  
Christi ad  
infern. os.  
num. 1.

*Catholi-*

*Catholicam.* Nunc igitur an adeò malus Christianus es, ut etiam contra symbolum fidei quod in baptismo omnes profiteamur, hæc tibi consequentia bona & firma videatur? Si symboli authoritas quoad nos, ex Ecclesiæ authoritate pendeat, tum non e contra Ecclesiæ authoritas quoad nos ex symboli authoritate pendet. Vtrumque enim istud verum est, quia per Ecclesiæ authoritatem cognoscimus symbolum: & per symboli doctrinam cognoscimus Ecclesiæ authoritatem: nisi tibi nulla Ecclesiæ authoritas videtur, quando singuli profiteamur eam credere. Ut quid enim eam credimus, nisi ut ei perpetuò uniamur, ut eius vocem audiamus, ut eius notitiam ac fidem non minus nobis necessariam esse sciamus, quàm eorum omniũ quæ præterea in simbolo habentur.

Denique ut tuam tarditatem docendi finem faciam, & à pluribus in materia sacra exemplis recensendis supersedeam, nōne ipsa te rerum natura hoc docere potuit, mutuam quandam esse in quibusdam rebus connexionem & dependentiam, ut quæ admodum vnum ex altero nascitur, ita vicissim ab altero idem foueatur? Nonne per actus virtutum habitus morales acquiruntur, & per eosdem habitus virtutũ actus facilius postea produciuntur? Sed & in sacris virtutibus, nonne fides fiduciam generat, & ipsa fiducia fidem confirmat? Meditatio beneficiorum Dei parit maiorem notitiam. Maior notitia prouocat ad frequentem meditationem. Opera quoque charitatis à radice charitatis profecta, ipsum charitatis habitum diuinitus infusum mirabiliter fouent & augent. *Charitas enim inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici,* ait Sanctus Augustinus Theologorum facile princeps. Sic vestes quibus induimur corpus calefaciunt;

Exemplum  
mutuæ  
consequentiæ à  
rerum natura  
petita.

faciunt; & ipsum corpus calefactū vestes vicissim calore afficiunt. An tibi iam hæc cōsequentia satis firma erit? Si corporis calor à vestibus quibus induitur dependet, tum e contra vestium calor à corpore non pendet? Consequentiam esse falsam ipsa experientia stultorum magistra docet. Sed & in connexis ædificijs, sic hæc pars pendet ab illa, & vicissim illa pendet ab hac, vt siue hanc tollas illa cadat, siue illam auferas, hæc decidat. Similem esse in rerum cognitione dependentiam mutuam quis abnuet? Quum enim omne lumen dum alia manifestat, seipsum quoque manifestum facit (neq; enim nisi præsentem lumine aliquid lucidum manet) quomodo aliter fieri potuit, quin Ecclesia quæ est lux mundi, & ad omnem veritatem dicendam missa, vt è tenebris ignorantie ad veritatis lumen homines conuerteret, & (vt iterum ait Paulus) illuminaret omnes que sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo, dū alias fidei veritates docet, seipsam quoq; commonstret suamq; nobis & auctoritatem & infallibilitatem aperiat? Nam Ecclesiam scire eiusq; quanta sit auctoritas cognoscere, etiam vna veritas est cognitu necessaria. Sicut ergo per solem cælum videmus, & in ipso cælo solem conspiciamus, sic per Ecclesiam scripturas cognoscimus, & in ipsis scripturis Ecclesiam videmus. Hæc est huius argumenti periodus nec absurda nec ridicula, vt tibi VWhitaker videtur, sed grauissima & summę rationi maximè consentanea. Dat Ecclesia scripturis auctoritatem quoad nos; & ab ipsis scripturis Ecclesia vicissim auctoritatem accipit, quoad nos.

Matt. 6.  
Matt. 28.  
Act. 26. 18  
Ephes. 3.

Ecclesia  
lux mundi  
omne lumen  
etiam  
scripturam  
demonstrat.

Ecclesia  
non accipit  
suam auctoritatem  
à scripturis.

Non tamen (quod tu scribis) omnem suam auctoritatem à scripturis accipit. Ecclesia in quo te ipsum ac lectores tuos vehementer fallis. Accipit quidem suæ auctoritatis testimonia à scripturis, sicut in cælo sol de

sol de facto videtur. Sed quemadmodum scripturæ tamen si quoad nos ab Ecclesia auctoritatem accipiant, id est, nobis per Ecclesiæ vocem, testimonium, & auctoritatem innotescunt, non tamē propterea omnem auctoritatem ab Ecclesia accipiunt, imo quoad seipsas nullam auctoritatem ab Ecclesia accipiunt, sed à solo Deo, quo authore scriptæ sunt; sic Ecclesia tamen si suæ auctoritatis testimonia in scripturis habeat, & ita per scripturas illa eius auctoritas nobis aliquo modo innotescat, non tamen propterea Ecclesiæ omnem suam auctoritatem à scripturis accipit, quoad seipsam, sed à solo Deo qui illi hanc auctoritatem dedit, quod etiam absque scripturis in symbolo nostro didicimus, & alioqui per solam traditionem discere & credere poteramus: sed ad maiorem consolationem nostram etiam in scripturis illustrata, & ut tu ais *luculentissima ac certissima testimonia* de infallibili Ecclesiæ iudicio & potestate accepimus. *Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta* Rom. 15.  
*sunt, ut per consolationem scripturarum spem habeamus.* Solem quidem in cælo videmus, sed non propterea à cælo sol accipit ut videatur, sed ab eo qui illum Ioan. 17.  
in cælo posuit, & illo lumine donavit quo videri Matt. 17.  
posset. Sic Ecclesiam in scripturis videmus, sed non propterea à scripturis accipit Ecclesia ut videatur & credatur, sed ab eo qui illam *in mundum misit ad docendum omnem veritatem,* & suo spiritu sic semper illustrat ut à veris fidelibus de eius fide & firmitate nunquam dubitetur: atque adeo ne unquam dubitaretur, in primis fidei elementis, tanquam in cælo solem collocari eam voluit, & quidem proximo post Spiritum sanctum loco collocari, quia ut scribit S. Augustinus, *rectus confessionis ordo poscebat, ut Trinitati subiungeretur Ecclesia, tanquam habitatori*

Enchirid.  
cap. 56.

*habitatori domus sua, & Deo templum suum, & conditori civitas sua.* Atque hæc de tua Maiori propositione, quæ tibi ita satis firma videbatur, vt nec vno eam verbo confirmandam putares. Vides iam non infirmam modo sed plane falsam esse, & qua semel posita, multa etiam impia consequerentur contra Christum & Apostolos.

Ecclesia  
non à sola  
scriptura  
testimo-  
nium ac-  
cipit.

Deinde & illud falsum esse vides quod in Minore assumpsisti, Ecclesiæ videlicet auctoritatem omnem quoad nos, à scripturis pendere & ex eius testimonijs ac sententijs accipi. Suam enim auctoritatem Ecclesia à Deo & Christo accipit, non à scripturis. Sed nec auctoritatis suæ testimonia à sola scriptura accipit, verum & à communi Symbolo, quod utique nullius scripturæ pars est. Quare quemadmodum etiam absque scripturæ testimonio profitemur in Symbolo fidei, nos credere Ecclesiam Catholicam, sic ex eodem articulo discimus maximam esse Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem, quæ nobis credenda in Symbolo proponitur. Et hoc imprimis, non posse Ecclesiam Catholicam in vlllo fidei dogmate errare, & consequenter nec in scripturæ Canone consignando. Quomodo enim errantem Ecclesiam in Symbolo fidei nobis credendam proponi Deus voluit? Aut quomodo peritura Ecclesia (perit autem si in necessarijs fidei dogmatibus errat, quorum vel hoc vnum imprimis est, vt Sacras scripturas infallibiliter nobis consignet) in Symbolo credenda vnquam proponeretur? Sanè vt omnes alij fidei articuli in Symbolo comprehensi constantes & perpetui sunt, sic & iste de Ecclesia Catholica credenda indubitanter constans & perpetuus est. Habemus ergo extra & præter scripturas, certum fundamentum à quo Ecclesiæ auctoritas quoad nos pendet, id est, nobis perspicuè

spicue innotescit. Scripturarum tamen testimo-  
 na eandem nobis auctoritatem confirmât, ad ma-  
 iorem nostram, vt iam dictum est, consolationem  
 & præterea ad hæreticos Ecclesię voci & authorita-  
 ti minus acquiescentes, fortius atque vberius refu-  
 tandos. Atque hæc argumêto tuo tertio, etiam tuo,  
 opior iudicio satisficient.

Scriptura  
 tur perhi-  
 bet testi-  
 monium  
 Ecclesię.

# RESPONSIO AD QVARTVM ARGV- MENTVM.

## CAPVT. III.

*VWhitakers.*

**Q**VARTVM nostrum Argumentum huiusmo-  
 di est. Si scriptura tantam in se vim ac virtu-  
 tem habeat, vt mentes nostras ad se rapiat, vt nobis  
 penitus persuadeat, vt fidem nobis per se faciat, tum  
 eam certum est per se *αὐτοπίστον*, Canonicam & au-  
 thenticam nobis esse. At primum verum: ergo &  
 secundum. De maiore nulla controuersia. Minor  
 verò, scripturę testimonijs confirmari potest. Luc.  
 8. 11. \* verbum Dei semini comparatur: & 1. Petr. \* Verbum  
 1. 23. vocatur semen immortale. Iam verò vt semen illud non  
 sese ostendit, atque prodit tandē, fructumque tem- est Scri-  
 pore suo profert; sic naturam seminis verbum di- ptura sed  
 uinum imitatur, seseque effert, & erumpit, & suam praxica-  
*ἐκπέμπει* declarat. tum.

*Stapletonus.*

Egregia verò probatio quæ si firma & valida  
 esset, contra te maximè faceret, & Ecclesiasticę  
 præ-

prædicationis vim atque virtutem talera esse probaret, qualem tu hic scripturis tribuere maximo conatu sed inani contendis. Semen enim de quo Christus loquitur Luc. 8. non est scriptura aut verbum Dei scriptum, sed verbum prædicatum, quod auditu accipitur, vt in Promptuario nostro Catholico olim ostendimus, quibus hic pauca addemus. Ait Christus. *Exijt seminator seminare semen suum.* Quid est hoc aliud quam exijt Deus per prædicatores quos misit prædicare verbum suum? Hanc interpretatione non recipis? Vide ergo quæ sequuntur. *Semen* (ait Christus hanc parabolam exponens) est verbum Dei. *Quod autem secus viam, hi sunt qui audiunt &c.* Rursum: *Quod supra petram, hi sunt qui cum audierint, &c.* Et iterum. *Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt.* At postremo. *Quod autem in terram bonam, hi sunt qui in corde bono & optimo audientes &c.* An non vniuersa parabola, semen exponit, verbum Dei auditum? *At quomodo audient sine prædicatione?* ait Apostolus. Agit ergo Christus de verbo Dei per prædicationem auditum, idque per Ecclesiæ prædicationem auditum. *Quomodo enim predicabunt nisi mittantur?* Quis nunc nisi stultus aut pertinax, semen, de quo Christus hic loquitur, verbum Dei per Ecclesiæ ministerium perpetuo prædicandum, intelligi, negare volet? Quis nisi stultus aut pertinax, Seminis vocabulo, scripturas intelligi affirmabit? An non tota hæc parabola de audienda verbi prædicatione nos informat? & quàm pauci auditum Dei verbo fructum afferunt demonstrat; idque ita vt vix quarta pars seminis fructificare soleat?

Quo in loco altera tua stultitia planè puerilis vel dementia potius demonstratur, qui id hoc loco conaris ostendere, semen de quo Christus hic loquitur eam vim ac virtutem habere vt mentes nostras ad se rapiat,

Dom.  
Sexagesi-  
ma.

Semen est  
verbum  
Dei præ-  
dicatum.

Rom. 10.

*se rapiat, vt nobis penitus persuadeat, &c.* Itanè superbe heretice etiam Christo audes contradicere? Christus docet disertissimè hoc semen, hoc verbum Dei, vt cunque seminatum & prædicatum, vix ex quarta sua parte fructum afferre, & cur id fiat, causas & rationes explicat. Tu contra affirmas hoc semen, hoc verbum Dei de quo Christus hic loquitur, *vi ac virtute sua mentes nostras ad se rapere, nobis penitus persuadere &c.* Posteaque adhuc disertius concludis, id est apertius Christo contradicis, dicens. *Ex his locis intelligimus diuinam quandam vim, virtutem, efficacitatem in scripturis inesse, quæ non ad aures modo perueniat, sed ad ipsum vsque animum, & ad intimos cordis recessus penetrat, & scripturarum certissimam diuinitatem comprobet.* Hæc tu. Quis autem qui vel primis labris theologiam attigerit, te non proflus hic insanite & furere dixerit? Sed de re tota plura postea. Nunc vt Christo contradicas, aduertendum est. Christus dicit verbū Dei & semen istud, de quo tu loqueris *non fructificare nisi in terra bona & optima, id est in corde bono beneque disposito, ac præparato, à plurimis vero audiri, sed vel in animum nō recipi, quia diabolus statim ex corde aufert; vel ad tempus recipi, moxque iterum eiici quia radices non habet; vel denique receptum cito suffocari.* Tu contrā, diuinam vim & virtutem & efficacitatem huic semini tribuis, vt non ad aures modo, sed ad ipsum vsque animum, & ad intimos cordis recessus penetrat, vt mentes nostras ad se rapiat, & penitus nobis persuadeat. Talis enim efficacitas huic semini si inest, in omni terra fructificat. Si ad intimos cordis recessus penetrat, à corde illud diabolus auferre non potest. Si mentes nostras ad se rapit, nobisque penitus persuadet, profecto radices habet & suffocari non potest. Sed de hac verbi Dei efficacitate

Christo  
contra di-  
cit Vhi-  
takerus.

Semen  
verbi Dei  
non fru-  
ctificat nisi  
in corde  
disposito.

- 1.
- 2.
- 3.

quam fingis plura mox ad finem argumenti huius dicentur.

Citas etiam ex D. Petro, *vocatur semen immortale*. Et hic rursum ineptissimè ad scriptam literam trahis quod de verbo Dei prædicato disertè Petrus dixit. *Quum enim dixisset, Renati estis non ex semine corruptibili, humano scilicet, sed incorruptibili, diuino videlicet, & hoc est semen gratiæ, de quo Ioannes dixit, Omnis qui natus est ex Deo non peccat quoniam semen ipsius in eo manet*: moxque modum addidisset, quo ad huius gratiæ perceptionem venissent, dicēs, *per verbum Dei vivi & permanens in æternum*, quia per prædicationem verbi Dei ad Christi fidem & gratiam perducti fuere; ac deinde huius verbi Dei firmitatem ac stabilitatem commendasset subiungēs. *Quia omnis caro vt fanum, & omnis gloria eius tanquam flos fani, exaruit fanum & flos eius decidit*; (quibus verbis omnem humanæ doctrinæ vanitatem & sterilitatem sub metaphora describit) *verbum autem Domini permanet in æternum*: statim seipsum exponit de quo verbo Dei loquatur: & ait. *Hoc est autem verbum quod euangelizatum est in vobis*. Quis nunc nisi stultus & pertinax de scriptura vel de scripto verbo Petri loqui dixerit, quando manifestissimè addit, se de verbo euangelizato, de verbo prædicato loqui? Tametsi enim è scripturis haud dubiè Apostoli prædicauerint, aliud tamen est ipsorum prædicatio viua voce facta, aliud scriptura. Neque enim vel solam scripturam veterem prædicauerunt, vel tota scriptura noua adhuc in scriptis erat quum prædicarent, vel denique etiam ipsa scriptura prædicatoris voce tradita & explicata, scriptum iam Dei verbum est, sed verbum prædicatum, & vt Petrus hic loquitur, verbum euangelizatū. Bis ergo disputator absurde, in hoc vno Petri verbo peccasti. Primum enim

Petri ver-  
bis bis  
abutitur.

enim

enim semen de quo Petrus loquitur non est ipsum Dei verbum, sed per Dei verbum in eo renatus sumus. Deinde illud verbum Dei per quod ad hoc semen gratiæ in quo renascimur comparandum pervenitur, non est verbum scriptum, sed verbum euangelisatum. Quare quicquid de eo inferis, ad prædicationis Ecclesiasticæ vim atque energiam, non ad scripturæ quam fingis efficacitatem valere debet. Sed alias nunc scripturas quas profers videamus.

*VWhitakerus.*

Præterea 1. Cor. 2. 4. \* Paulus ait. Oratio mea 2. *Sec.*  
 & prædicationis mea non versata est in persuasorijs \* In Pauli  
 humanæ sapientiæ verbis αὐτὸν ἐν ἀποδείξει τῶν ἐννομάτων verbo his  
ἢ ἡμῶν ἢ τῶν ἀποστόλων peccat.

*Stapletonus.*

In hoc quoque Pauli verbo bis iterum disputator absurde peccasti. Primū enim hæc Pauli oratio & prædicationis non erat ipsa scriptura, nec Paulus ibi de libris Canonicis loquitur (de quibus hic disputatur) sed erat (vt ipsa verba sonant) eius prædicationis viva voce ad Corinthios facta, & de hac sua apud illos prædicatione Paulus loquitur. Cur autem eius prædicationis non sit pro ipsa scriptura habenda, iam iam ad verbum D. Petri diximus. Alioqui omnem Ecclesiasticam hodie prædicationem, pro scriptura Canonica VWhitakere habere: & ministrorum tuorum conciones verbum Dei quod non intelligunt crepantes, pro scripturis Canonicis agnosci iubeto. Deinde iterum in hoc Pauli verbo turpissimè peccas, quod illa αὐτὸν ἐν ἀποδείξει τῶν ἐννομάτων ἢ ἡμῶν ἢ τῶν ἀποστόλων, illa ostensio spiritus & virtutis, ad rem præsentem nihil pertineat. Non enim illis verbis suæ prædicationis vim & efficaciam per se seorsim sumptæ Paulus declarat, sed adiunctam diuini spiritus

cooperationem internam & virtutem externam propter miracula & prodigia per eum facta, com-  
monstrat: nihilque aliud dicit, quam quod de Apo-  
stolorum prædicatione Marcus scripsit. *Ipsi autem  
profeci prædicauerunt Domino cooperante & sermonem  
confirmante sequentibus signis. Vnde & Apostolus tubi-  
iunxit statim. Ut fides vestra non sit in sapientia homi-  
num sed in virtute Dei id est, vt fides vestra non nitere-  
tur sapientia humana, neque ex sapientia humana  
ortum accipisse videretur, sed vt gratia ac potentia  
diuina niteretur, & ab ea causam suam & principium  
accepisse videretur. Non enim tot populi Apo-  
stolis prædicantibus ad fidem conuersi sunt propter  
Apostolorum sapientiam aut eloquentiam, neque  
etiam propter rerum ipsarum quas prædicabant  
admirabilem doctrinam (hoc enim sentire pelagia-  
num esset vt mox latius dicemus) sed partim pro-  
pter diuini spiritus internam cooperationem qua  
sua gratia corda tangebant, partim propter varia  
miracula diuina virtute facta, quæ illorum verbis  
ac prædicationi auctoritatem conciliabant, ani-  
mosque audientium vt externum quoddam me-  
dium vehementer commouebant, vt diuinæ gra-  
tiæ ductum intus in corde operantis tanto suauius  
atque facilius sequerentur.*

Mar. 16.

Apostolo-  
rum præ-  
dicatio  
vnde facta  
sit efficax.

*VWhitakerus.*

3. Sect.

Nihil ad  
rhombū.

Luc. 24. 32. Duo illi discipuli quibus Emma-  
nutem profecturis Christus in via apparuit, ita in-  
ter se, postquam Christus ab eorum cōspectu abla-  
tus fuerat, collocuti sunt. Nonne cor nostrum arde-  
bat in nobis, *καί το πῶς ἐν ἡμῖν ἐν ὁδῷ*, dum loqueretur nobis  
in via, & cum adaperiret nobis Scripturas?

*Stapletonus.*

Et hic quoque locus nihil ad rhombum: sed &  
in eo

in eo quoque bis peccasti. Nam neque ex auditis (multo minus priuatim lectis vt tu ex his locis concludere vis) scripturis, sed ex scripturarum adaptione, explicatione, tractatione mirificam quam ipse Christus Dominus fecit, cor eorum ardebat in ipsis (aiunt enim *cum loqueretur nobis & aperiret Scripturas*) neque etiam hic ardor cordis, aut tam vehementes animi motus quos in seipsis sentiebant, ab externa illa & auribus percepta scripturarum explicatione, sed ab ipsa Dei gratia intus commouente & excitante, huicque externæ scripturarum tractationi sese inferente & cooperante, causam propriè acceperunt. His igitur duabus de causis, nihil hic locus ad rem præsentem facit. Non probat inquam in ipsis scripturis (vt tu concludis) illam vim & energiam inesse, vt mentes nostras ad se rapiant penitusque persuadeant: sed si in externo aliquo hæc vis & energia præcisè ponenda esset (quæ sine manifesto pelagianismo poni non potest) in ipsa scripturarum prædicatione & tractatione, non in ipsis scripturis ponenda esset.

Non Scriptura sed Scripturarum tractatio corda discipulorum inflammavit.

*Whitakerus.*

Heb. 4. 12. Verbum Dei (inquit Apostolus) *vi-4. Sect.* uum est & efficax, *ζῶν καὶ ενεργητικόν*, & quouis gladio ancipiti penetrantius, ac pertingit vsque ad diuisionem animæ simul ac spiritus, compagumque & medullarum, & diiudicat cogitationes & conceptiones cordis.

Scripturis Sabatur.

*Stapletonus.*

Hic verò locus omnium est à re proposita alienissimus. Tamen enim quibusdam perfunctoriè & prima tantum facie verba Pauli spectantibus, de verbo Dei creato seu scripto seu prædicato hæc verba intelligantur, tamen totum Pauli textum paulò diligentius intuentibus manifestissimum est, eum

Virtus est sermo Dei &c. de Christo intelligitur.

de verbo Dei increato, seu de filio Dei loqui, quod vel verba statim subsequētia perspicue ostendūt, & illorum tarditatem qui aliter acceperunt, excusare debebant. Sequitur enim. *Et non est vlla creatura invisibilis in conspectu eius. omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis est sermo*: id est, cui à nobis reddenda est ratio, vt textus Syriacus vertit, & optimi interpretes exponunt. Deinde ex his verbis infert Apostolus. *Habentes ergo pontificem magnū qui penetravit coelos, Iesum filium Dei, teneamus spei nostra confessionem.* De verbo Dei creato talis conclusio sequi non posset. Deinde verbis ante citatis ea præmisit, quæ verba subsequētia non nisi ad verbum Dei increatum, Christum ipsum, pertinere posse demonstrant. Dixerat enim. *Festinemus ingredi in illam requiem.*: id est, torporem omnem excutiamus: vt ne in id ipsum quis incidat incredulitatis exemplum, id est, ne idem patiamur quod increduli illi & rebelles in veteri Testamento passi sunt: moxq; subiungit vt iustam huius timoris causam variam & admirabilem potentiam Christi, per quem ingredi in illam requiem debemus, & ad cuius iudicium & tribunal omnes nos astare oportet. Sic hunc locum veteres omnes latini & græci exponunt: Nec aliū sensum litera Apostolica penitus introspecta admittit. Quare hic locus nihil prorsus ad rē præsentē facit.

Sed etsi de verbo Dei creato locus intelligeretur, non tamen sequitur de verbo scripto siue de scriptura hoc intelligi debere, cum æquē ad verbū Dei sublimi authoritate prædicatum ea referri possint ac debeāt. Ac demum has admirabiles virtutes nec scriptum nec prædicatum Dei verbum sua aliqua vi & energia habet, sed propter cooperantē ministerio verbi spiritum Dei, sine qua cooperatione interna, sermo Dei adeò corda non penetrat, vt à  
quàm

quam multis penitus despiciatur. Ita nulla ratione aut modo hic te locus iuuare, aut tuæ absurditati patrocinari potest. Sequitur nunc adhuc aliud & vltimum quod adfers testimonium.

*VWhitakerus.*

1. Cor. 14. 24. 25. Si omnes prophetent (inquit Paulus) ingrediatur autem infidelis quispiam, aut <sup>5. Sect.</sup> idiota, arguitur ab omnibus, *dijudicatur ob omnibus,* & *ita occulta cordis eius manifesta fiunt,* atque ita pro- <sup>S. scriptu- ris abuti.</sup> cidens in faciem adorabit Deum, renuncians Deū <sup>ur.</sup> verè in vobis esse.

*Stapletonus.*

Disputator ridicule. Vestras igitur hodie prophetias, quas apud vos Puritani nequicquam relictibus infulatis vestris ac latuatis episcopis, exercere volūt, hoc verbū Dei esse vis, imo ipsas Canonicas scripturas esse vis, quarū hic vim & energiam efficacissimam nobis comprobare cōtendis? Quid? An vel illæ prophetiæ, de quibus ibi Paulus loquitur, vel vestre aut vestrorū hodie insanæ voces quas prophetias quoq; vocatis, scripturæ Canonice erāt? An oblitus es *de scripturis Canonicis* probare te velle, *earum vim ac virtutem tantam esse, vt intimos animi recessus penetrent, &c.* An donum illud prophetiæ in prima Ecclesia datum, de cuius recto vsu Paulus illic disputat, erat donum scribendi scripturas Canonicas? Aut scripturas illi tunc exponebant, ac non potius ea quæ alij ex dono linguarum dixerant? An non erat temporarium & extraordinarium donum ad neophytorum consolationem, & ad priuatas exhortationes institutum? Sed illa verba magis velle premere videris, quæ & ideo distincta litera notari voluisti; *Occulta cordis eius manifesta fiunt.* Et quid hoc ad rhombum? An vis vt scripturæ hodie Canonice occulta cordis auditorum vel lectorum manifestent, sicuti tunc prophete illi inter pro-

phetandum manifestabant? An vestri hodie con-  
cionatores occulta cordis suorum reuelant? An au-  
ditorum suorum vel scrupulos de fide, vel errores  
animo latentes, vel occultas cupiditates & varias  
imperfectiones astantibus publicè manifestant?  
Talis enim erat illa occultorum manifestatio inter  
prophetandum, vt conuinceretur ab omnibus; vt diju-  
dicaretur ab omnibus, id est, vt omnes præsentés eum  
de occultis erroribus aut malis affectibus per pro-  
phetiam, non ad confusionem, sed ad emendationem  
reuelatis, conuincere & dijudicare, qualisque esset  
manifestè cognoscere possent. Hoc enim aut infi-  
deles aut idiotæ tantùm passi sunt. Infideles vt con-  
uerterentur, idiotæ vt instruerentur. Sed tu pro tua  
sapientia, nec verbum ipsum increatum, nec verbi  
prædicationem viua voce factam, nec prophetiam  
illam temporaneam, à scripturis Canonicis distin-  
guere potes. Quod enim de illis dicitur, de istis dici  
arbitraris. Ita omnia tibi scripturas sonant, quæ-  
cunque in scripturis de verbo Dei dicuntur. Sed  
nunc quid ex his omnibus concludas, consideran-  
dum est.

*VWhitakerus.*

6. *Self.*

Varia ab-  
surditas.

Ex his omnibus locis intelligimus, diuinam  
quandam vim, virtutem, efficacitatem in scripturis  
inesse, quæ non ad aures modo perueniat, sed ad  
ipsum vsque animum, & ad intimos cordis recessus  
penetret, & scripturarum certissimam diuinitatem  
comprobet. Scriptura ergo quæ talem in se vim  
habet, quæque tam palam se prodit, arguit, confir-  
mat, nobis de sua veritate persuadet, omnino Cano-  
nica per se & authentica est.

*Stapletonus.*

Duplicem conclusionem facis, plusquam dupli-  
ci errore & absurditate fecundam. Primum enim  
non

non ex his locis ullam scripturarum vim ac virtutem omnino intelligimus, quandoquidem ex his locis omnibus ne vnus quidem de scripturis loquitur, vt iam in singulis ostensum est. Deinde si in scripturis ipsis tantam vim ponis, quid ager, quid efficiet diuini Spiritus interna operatio? Si scriptura persuadet penitus, si mentes nostras ad se rapit, si ad ipsum vsque animum & intimos cordis recessus penetrat, quid amplius facit Spiritus sanctus? An non hoc est *mysterium iniquitatis*, in litera scripta *certissimam diuinitatem* ( sic enim loqueris) collocare? Porro si ex his locis sequitur verbum Dei omnem hanc vim & operationem habere, verbum prædicatum seu prædicatio Ecclesiastica totam illam vim habebit. Plæraque enim ex locis à te citatis de verbo prædicato loquuntur, vt ostensum est. Illud si nos Ecclesiasticæ prædicationi tribueremus, blasphemiam clamares, & *mysterium iniquitatis*, & Spiritum sanctum à nobis remoueri: quæ omnia nobis in præcedentibus impegisti. Tu quum scripturis idem tribuas, cur non & in te blasphemiam ac cætera proclamabimus? Rursùm scripturæ voces & verba quid aliud sunt, quàm doctrina veritatis externa? Huic ergo externæ doctrinæ tu tantam vim tribuis, quanta iam dicta est? Atqui Pelagianum hoc prorsus est. Illius enim pestilentissimi erroris hæc vna particula fuit, vt ad fidem cæterasque virtutes comparandas non aliquo interno Dei adiutorio, sed doctrina tantum externa & exemplis Christi ac sanctorum opus esset. Ille quidem vt internum gratiæ adiutorium excluderet (quod & tuus \* Calvinus admittere recusat) hoc docuit. Tu vt scripturarum maiestatem indignè atque præposterè extollas, idem doces. Finis quidem ac scopus diuersus, sed error & falsitas eadem. Nec

II.

III.

III.

Pelagianismum docet VWhitak.

August. de gratia Christi. c. 7. 38. & 39. Instit. lib. 3 cap. 17. num. 2.

adeo refert in quod latus erranter diuertat, qui à recta via aberrat. Ex omnienim parte error est. Præterea si tanta scripturarum vis est vt penitus persuadear, atq; adeo (vt ex eo infero) palam se prodatur, arguat, confirmet, *tum omnes* ( vt tuis verbis de Ecclesiæ iudicio supra prolatis vtar ) qui scripturas legerent, *continuo crederent*. An oblitus es contra Ecclesiæ iudicium sic ratiocinatum te esse? Si Ecclesiæ iudicium perpetuo faceret, vt Canonica quoad nos esset scriptura, *tum omnes qui hoc ex Ecclesia audirent, continuo crederent*. Simili te nunc argumento premo. Si scripturarum tanta vis est, vt *semetipsam palam prodatur, arguat, confirmet, nobisq; de sua veritate persuadeat, ideoq; per se Canonica & omnino authentica est* (quæ tua verba sunt) tum omnes qui eam legerent aut audirent continuo crederent. At quàm innumeri sunt non solum Iudæi & infideles, sed etiam ex Christianis ipsis, qui vel omnes scripturas, tametsi eas viderint ac legerint, vel partes aliquas vt vos hodie alijque olim varij hæretici, prorsus abnegent & recipere recusent? Vides ergo quàm sunt tua argumenta plumbea, quàm ficulnea, & quæ in reipsum facile retorquentur. Cæterum de hac materia, an scripturæ per seipsas de seipsis fidem facere queant, suaque propria luce semetipsas commendare & authenticas facere, iam in præcedentibus contra te disputatum satis est.

Suprà lib.  
I. c. 9.

RESPON-

# RESPONSIO AD QVINTVM ARGVMENTVM.

## C A P. V.

*VWhitakerus.*

**Q**VINTVM nostrum argumentum sumitur *1. Sect.*  
 Ex verbis Christi Ioan. 5. 34. vbi Christus ait.  
*Ego ab homine testimonium non accipio;* Hinc huius-  
 modi argumentum colligimus. Christus per se co-  
 gnoscitur, non nititur cuiusquam hominis testi-  
 monio aut authoritate: ergo nec scriptura. Non  
 enim minor est scripturæ quàm ipsius Christi, cu-  
 ius vox est, authoritas. Sed hic obijcient in hunc  
 modum. Nonne Christus vsus est amplissimo te-  
 stimonio Ioannis? Quidni ergo & scriptura com-  
 mendetur testimonio Ecclesiæ? Respondeo, de-  
 disse quidem Ioannem testimonium Christo, sed  
 non authoritatem aliquam, ne quidem quoad  
 nos: Idem dici potest de Ecclesia, eam scilicet  
 scripturæ testimonium dare, ipsam commendare,  
 & authenticam declarare, nullam autem ipsi au-  
 thoritatem dare, ne quoad nos. Quod verò Chri-  
 stus dicat, *Non accipio ab homine testimonium,* perinde  
 est, ac si dixisset; Non est opus vt mihi quisquam  
 testimonio suo \* authoritatem comparet. Ego  
 mea ipsius authoritate satis munitus vnde quaque  
 sum. Ego meo ipsius testimonio abundè mihi au-  
 thoritatem comparabo. Quemadmodum ergo  
 Christus ex se potuit demonstrare, se esse Messiam;  
 \* sic verbum Christi ex se potest fidem facere se  
 verbum Dei esse. Quod verò ab Ecclesia com-  
 mendatur, hoc " non fit vt maiorem authorita-  
 tem

\* Scriptu-  
ras nō in-  
telligit.

\* Colle-  
ctio vitio-  
sa.

" Absurdū

tem accipiat, sed vt magis ab hominibus agnoscat.

*Stapletonus.*

Testimonium accipere auctoritatē acquisitā notat.

Ioan. 5.

Totum hoc argumentum tuum in eo consistit, quòd etsi agnoscas Ecclesiam scripturæ testimonium dare, nullam tamen vis ab Ecclesia auctoritatem scripturis dari, ne quidem quoad nos. Et hoc ideo quia quum Christus dicit, *Non accipio ab homine testimonium*, intelligit nō fuisse opus vt quisquam testimonio suo auctoritatem illi compararet; quia sua ipsius auctoritate satis munitus erat, suoq; ipsius testimonio abundè sibi auctoritatem comparabat. Sic ergo testimonium concedis Ecclesie vt magis cognoscatur à nobis vel Christus vel scriptura; sed vt ab Ecclesia maiorem auctoritatem vel Christus vel scriptura accipiat, absurdum arbitraris. Quid ergo bone VWhitakere, ad illa Christi verba dices eodem capite & sermone prolata? *Si ergo testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum?* An iuxta tuam interpretationem hic sensus erit? Ego si meo testimonio auctoritatem mihi comparem, mea auctoritas nulla erit? Id si ita est, quomodo verum est quod in verbis à te citatis Christum dicere tu exponis? *Ego mea ipsius auctoritate satis munitus vnde quaque sum. Ego meo ipsius testimonio abundè mihi auctoritatem comparabo. Si enim testimonium non accipere ab homine*, significat nullam auctoritatem quoad alios ex humano testimonio accipere, profectò, & *sibi testimonium perhibere*, significabit, nullam à suo ipsius testimonio auctoritatem accipere. Ergo secundum te tuamq; interpretationem, quum Chritus prius dixerit se suo ipsius testimonio abundè sibi auctoritatem comparare, quia dixerat se *ab homine testimonium non accipere*, in his profectò verbis idem negabit, seque suo

fuo ipsius testimonio nullam sibi auctoritatem comparare affirmabit, quia dicit: *Ego si testimonium mihi perhibeo, testimonium meum non est verum.* Vtrobique testimonij voce utitur, μαρτυρεῖν καὶ μαρτυρεῖσθαι λαμβάνω. Vtrobique igitur auctoritatis vim, vox testimonij, significare debet. Alia igitur interpretatio quaerenda necessario est, ne sibi contradicere Christus videatur. Hæc autem satis obuia est & à doctissimis Patribus tradita, <sup>a</sup> Cyrillo, <sup>b</sup> Athanasio, <sup>c</sup> Ambrosio & alijs. *Ego si testimonium mihi perhibeo,* id est, si ego ut homo humanis tantum his verbis quæ loquor, de meipso tantum testimonium perhibeo, quod sum filius Dei, nec vtor ad meam divinitatem comprobendam alijs argumētis & probationibus, quam verbis & operationibus humanis, *testimonium meum non est verum,* id est, non est fide dignum nec verum reputandum. Ideoque statim subiecit. *Alius est qui testimonium perhibet de me,* Pater videlicet per opera. Similiter verba à te citata, *Ego ab homine testimonium non accipio*, hunc quoque sensum necessario habent. Ego à solo homine vel à solo Ioanne ( ille enim est homo de quo loquebatur) testimonium non accipio. Ideoq; paulo post adiecit. *Ego autem habeo testimonium maius Ioanne.* Humanum ergo testimoniū in verbis à te citatis Christus excludit, non quia auctoritatem humani testimonij negat; Suum quoque testimonium Christus excludit, non quia vocabulo testimonij veram & fide dignam auctoritatem non intelligebat, sed quia illis solis testimonijs non utebatur, nec ab illis solis auctoritatem quoad credentes in eum accipiebat. Alioqui quum postea de patre dicit: *Alius est qui testimonium perhibet de me, & scio quia eius testimonium est verum;* Et rursus, *Ego habeo testimonium maius Ioanne.* Et iterum: *Opera quæ dedit mihi Pater, ut perficiam.*

<sup>a</sup> Lib. 2. in Ioan. cap. 147. <sup>b</sup> in orat. contra Sabellij gregales. <sup>c</sup> lib. 5. de fide cap. 5.

Ioan. 5.

*perficiam ea, ipsa Opera qua ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me, ac demique: Qui misit me Pater ipse testimonium perhibuit de me.* In his inquam omnibus locis, vox testimonij nullam auctoritatem significat? Ab istis testimonijs nullam auctoritatem apud Iudæos Christus accepit? Quomodo ergo illis dicit? *Si mihi non creditis, Operibus credite?* Quid etiam, Dei Patris testimonium de cælo, *Ipsam audite, & rursus, hic est filius meus in quo mihi bene complacui,* nullam Christo auctoritatem apud eos qui audierunt conciliauit? An quia Christus, vt dicitis, ex seipso potuit demonstrare se esse Messiam propterea hæc omnia testimonia, etiam ipsius Dei Patris per opera & per vocem de cælo auctoritatem Christo apud audientes & videntes non conciliabant?

Joan. 10.  
Marth. 7.  
Marth. 3.

Vt Scripturarum testimonium Ecclesie, sic Ecclesie testimonium Scripturis auctoritatem adfert.

Dic mihi VWhitakere, Quum scriptura perhibet testimonium de Ecclesia, & Ecclesiam à Spiritu S. regi scripturæ testimonia docent, nonne hæc ex causa à scripturis auctoritatem quoad nos accipit Ecclesia? Id quidem tu libentissimè fatebere. Ex eo enim prius inferre voluisti, quia Ecclesia à scripturis auctoritatem accipit quoad nos, propterea ab Ecclesia auctoritatem accipere scripturæ nõ possunt. Quum igitur testimonium scripturæ de Ecclesia auctoritatem Ecclesie adferat, quare testimonium Ecclesie de Christo & de scripturis, eisdem auctoritatem non adferet quoad nos? Dices maius quiddam & excellentius esse scripturas, & maximè Christum quam Ecclesiam, ideoque testimonium quod hæc illis adfert, auctoritatem illis adferre non posse ne quidem quoad nos sed solum ampliolem quandam notitiam generare. Dic ergo quando Christus Apostolis suis de Spiritu S. dixit, *Ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis*

Joan. 1.

*hibebitis de me, quia ab initio mecum estis, nonne sicut Spiritus S. testimonium de Christo auctoritatem illi adfert quoad nos, eodem modo & Apostolorum testimonium de Christo auctoritatē quoque Christo adfert quoad nos? Quod si Christo, cur non & scripturis? An etiam negabis vel Spiritum S. vel Patris testimonium de cælo auctoritatem ei conciliasse quoad nos? Id nullo modo negare poteris qui iam fallus es scripturas Ecclesiæ suo testimonio auctoritatem adferre. Non enim secus Deus pater maior est Christo, ipseque Dei spiritus, Christo inquam ut homine, quam scripturæ ut tu arbitraris, maius quiddam & excellentius sunt quam Ecclesia. Frustrà ergo & inaniter distinguis per Ecclesiæ testimonium Christum & scripturas magis nobis innotescere, sed maiorem quoad nos auctoritatē non accipere. Vox testimonij vox auctoritatis est. Testimonium Ioannis de Christo ideo allatum est, ut omnes crederent per illum, ait Euangelium. Hoc ergo Ioan. 1. testimonium nullam auctoritatem habuit? An habuisse dices, sed Christum ex eo non accepisse? Atqui non hoc quæritur vel de Christo vel de scripturis quam auctoritatem accipiant quoad seipsas ex Ecclesiæ testimonio, sed quam auctoritatem habeant apud nos, id est, quid & quantum nos de illis credimus, per Ecclesiæ testimonium. Sicut ergo Ioannis testimonium tam fide dignum tantæque auctoritatis erat ut omnes crederent Christo per vocem & testimonium Ioannis, sic Ecclesiæ testimonium de Christo & scripturis tam fide dignum tantæque auctoritatis est, ut per Ecclesiæ vocem & testimonium credamus hunc esse Christum, & has esse Per Ecclesiæ testi-  
monia  
cogno-  
suntur  
Scripturæ scripturas. Apud nos ergo per Ecclesiæ testimonium auctoritatem habent scripturæ, & tales creduntur esse quales sunt. Hoc est de quo nunc disputatur.*

tur. Nec solum per Ecclesia testimonium magis cognoscuntur scriptura, vt tu scribis, sed prorsus per illud à nobis cognoscuntur, & sine illo testimonio amplissimo (ordinariè loquendo) à nobis omninò non cognoscerentur. Quatenus autem cognoscuntur & creduntur, eatenus auctoritatem apud nos habent; tametsi nihil illæ de nouo quoad seipsas auctoritatis accipiunt; sicuti nec aliud quippiam quando vel creditur vel cognoscitur, vel approbatur ab alijs.

*VVhitakerus.*

2. *sect.*

Canis lib. 2. cap. 8. vult huius testimonij vim infringere hoc modo. Sensus est, inquit, Ego non accipio testimonium ab homine, hoc est, ego non egeo testimonio cuiusquam hominis, sed affero tantum testimonium Ioannis propter vos. Sit ita. \*Tum igitur sequitur, neque scripturam etiam Ecclesiæ testimonio egere.

\*Paralogizat.

*Stapletonus.*

Sed quare non adiungis, quod ex Cani responsione necessario adiungendum est? Sed assertur testimonium Ecclesiæ propter nos. Nec Christus, nec scriptura, nec vlla fidei veritas omnino cuiusquam testimonio in se eget, vt sit id quod est: (hoc enim in se vnaquæque veritas habet, nec nostrum affirmare vel negare aliquid ponit in re) sed tū Christus tum Ecclesiæ, tum omnes fidei veritates aliquo testimonio indigent, vt innotescant, vt ab alijs credantur.

Nec Ecclesiæ nec Spiritus S. testimonio aliqua fidei veritas indiget quoad seipsum sed vtrouque indiget quoad nos.

Alioqui disputator absurde, si quia nec Christus nec scriptura testimonio aliquo egent quoad seipsa, vt ea sint quæ sunt; propterea nullo etiam testimonio indigent, vt ab alijs cognoscantur & credantur ea esse quæ sunt, tum ipsum quoque Spiritus sancti testimonium internum quo efficaciter illa cognoscuntur tua præclara disputatio remouebit: neque ipsum Spiritus S. testimonium vllam nobis

nobis de scripturis auctoritatē adferet . Hoc igitur si necessarium iudicas, quia sine eo credere nos non possumus, & si Spiritus S. testimonium veram auctoritatem, quoad nos, secum afferre eorum quæ testificatur agnoscis; eodem plane modo externum Ecclesiæ testimonium necessarium est (posita Christi oratione qui per Ecclesiam nos credere & ab Ecclesiæ voce fidem nos accipere voluit ) quia sine eo quoque credere non possumus, & Ecclesiæ quoque testimonium eorum quæ testificatur auctoritatem adferre quoad nos, & fidem nobis facere, necessariò confiteri debes. Ita te vñdique perspicua ratio pessundet, tuamque vanissimam argumentationem conuellit & subuertit.

# R E S P O N S I O A D S E X T V M A R G V M E N T V M .

## C A P V T . V I .

*VWhitakerus.*

**S**E X T V M nostrum argumentum ex eodem capite sumitur ver. 36. vbi Christus ait . *Ego habeo testimoniū maius quā fuit Ioannis illud.* *ἐγὼ δὲ ἔχω δὲ μαρτυρίαν μείζων τῆς Ἰωάννου:* & tum tria recenset huiusmodi testimonia. Nimitū opera eius, testimoniū Patris, & \* scripturas. Hinc sic cōcludo. Si scripturæ de Christi testimoniū sit certius iudicio ac testimonio Ioannis, \* tum & Ecclesiæ iudicio ac testimonio certius multò ac validius est. Non enim audent Papi-  
stæ dicere, Ecclesiæ iudicium de scriptura certius

\* Falsum.

\* Non sequitur.

Qq

esse,

esse, quam fuit testimonium illud Ioannis de Christo. At primum verum. Christus enim testimonium scripturæ Ioannis testimonio præponit: ergo & secundum. Quin & scriptum etiam Dei verbum est diuina quidem reuelatione & cœlesti voce certius ac firmitus. Sic enim legimus 2. Petr. 1. 19. Num Ecclesia plus audet suo iudicio, quam voci diuinæ ac cœlesti reuelationi tribuere? Fuit Petrus cum Christo in montē, atque ibi Dei Patris vocem audiuit: & tamen ait. Nos habemus *βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον*. Si ergo diuinis e cœlo reuelationibus scriptura certior sit, multò magis Ecclesiæ iudicio testimonioque certior sit necesse est. Vnde nullam posse cogitari omninò maiore aut certiore, quàm scripturæ auctoritatem, manifestum est. Beza quidem transtulit, *βεβαιότερον*, firmissimum: sed eodem recidit. Si enim propheticus sermo sit firmissimus, tum certe reuelatione quauis firmior est summamque in se firmitatem habet.

*Stapletonus.*

Duas probationes hoc tuum argumentum adfert, vnam ex verbis Christi Ioan. 5. alteram ex verbis Petri. In priori probatione affirmas Christum tria recensere testimonia, quæ testimonio Ioannis maiora essent, quorum vnum sit, ipsa scriptura. Vnde infers, si testimonium scripturæ maius est testimonio Ioannis, ergo & testimonio Ecclesiæ maius erit. Neque enim Ecclesiæ testimonium & iudicium de scriptura maius esse testimonio Ioannis de Christo, audere nos dicere affirmas. Respondeo primum non hoc loco quæri, vtrum sit maius & nobilius aut etiam certius testimonium, scripturæ an Ecclesiæ, respectu eorum quæ credenda sunt, sed vtrum Ecclesia possit de ipsa scriptura testimonium perhibere, & ipsius scripturæ fidem nobis facere.

etc. Quis enim dubitat Ioannem minorem fuisse Christo, testimonium quoque Ioannis minus fuisse testimonio Dei Patris de Christo? Nihilominus testimonium Ioannis de Christo verum erat testimonium, fide dignum, legitimum & suo tempore necessarium, ideoque à prophetis prædictum, & ab ipso Christo confirmatum. Nihil ergo contra auctoritatem Ecclesiæ circa configuraandas scripturas concludere potes, tamen eius testimoniū testimonio scripturarū minus aliquid esse, minus inquam illustre atque minus certum & firmum probare posses. Sic enim Apostoli quoque testimonium perhibuerunt de Christo, & ab ipso Christo eis dicitur. *Eritis mihi testes per omnem Iudæam & Samariam, & usque ad vltimum terræ.* Eos tamen Christo minores fuisse, eorumque auctoritatem & testimonium ipsius Christi de se, vel Patris de Christo testimonio multò inferiora fuisse quis est qui ambigat? Sic denique & hodie nihil obstat quo minus Ecclesiæ testimonium perhibeat, de scripturis, atque adeò de Christo, ac Deo trino & vno, tametsi sicut Deo & Christo ita & scripturis inferius quid sit Ecclesiæ; ipsiusque Ecclesiæ iudicium scripturarum testimonio inferius esset. Tota igitur tua argumentatio ex hac priori sua parte, nihil de re proposita cōcluderet, quamuis, totum quod de scripturarum certiori testimonio adfers concedatur. Deinde respondeo tametsi Ecclesiæ iudicium non esset certius, quam illud testimonium Ioannis de Christo erat, non tamen propterea sequi (quod hic probare debes) testimonium & iudicium Ecclesiæ de scripturis esse incertum, vel non esse necessarium aut non admittendum: tum quia certum esse potest Ecclesiæ iudicium, adeoque in suo nunc genere certissimum, etsi testimonio Ioannis non fuerit certius; tum

Quod minus est testimonium de maiori perhibere potest.

2. Respon-  
sio.

Ecclesiæ testimonium nobis magis necessarium quam Ioannis Christo.

Q q 2 maximè

maximè quia etsi perinde certum non esset, tamen magis necessarium nobis est Ecclesie testimonium de scripturis, quam fuit Christo necessarium Ioannis testimonium de illo. Christus enim habuit maiora testimonia testimonio Ioannis, à Patre, ab operibus, & vt tu ais, à scripturis. Scriptura non habet maiora testimonia quam Ecclesie, loquendo de externis testimonijs. Neque enim sibi ipsi testimonium præbere, aut per seipsam probari & sufficienter commendari potest, vt contra opinionem hac in re tuam, copiosè in præcedentibus disputatum est. Rursum respondeo non propterea testimonium Ecclesie minus certum esse scripturarum testimonio, in re proposita id est in approbandis scripturis quia Ioannis testimonium, vt tu arguis, eo minus erat in manifestando Christo. Ioannis enim testimonium potuit esse testimonio scripturarum hac in parte minus certum, & in seipso minus, quia clarius & frequentius scripturæ de Christo testimonium perhibebant, vniusque hominis testimonio merito præferendæ erant. Ecclesie vero testimonium de scripturis & maximè de alijs fidei dogmatibus, ideo ip[s]arum scripturarum testimonio certius esse potest, quia Ecclesiam Christus vt perpetuam veritatis magistram in mundum misit, vt omni veritati pariter cum suo diuino spiritu cooperante testimonium perhiberet, ideoque scripturas ipsas (quum sit vnum ex illis quæ credi debent) suo quoque testimonio promulgaret & approbaret. Ioannes quidem missus erat vt Christi personam ostenderet, eiusque aduentum testificaretur: sed non erat missus vt omnia quæ de Christo credenda erant, suo testimonio confirmaret. Hac igitur in parte, quatenus magis latè patet testimonium Ecclesie quam Ioannis, non sequitur tamen si

huius

Suprà  
lib. 1.  
cap. 9.

3. Respō-  
sio.

Ioannis  
testimo-  
nium Scri-  
pturarum  
testimo-  
nio potuit  
minus  
esse.

4. Respō-  
sio.

huius testimonium minus erat scripturarum testimonio, idcirco & Ecclesiae testimonium eodem minus est. Ioannis enim testimonium de Christo ideo scripturarum testimonio minus esse potuit, non quia minus certum aut minus verum erat (nec in eo comparationem Christus ponit) sed tum quia nobilius & excellentius testimonium scripturarum erat, maxime opinione Iudaeorum ad quos loquitur, qui suas scripturas magis quam Ioannem aut quemlibet prophetam venerabantur: tum etiam quia evidentius & uberius de Christo scripturae testificabantur quam Ioannes, qui personam quidem designavit, sed notas & argumenta quibus persona illa cognosceretur, non ita docuit ut scriptura. Ecclesiae autem testimonium de scripturis ideo ipsarum scripturarum testimonio minus non erit, quia ad ipsas quoque scripturas, sicut ad omnem aliam veritatem sacram testificandam, Ecclesia à Christo in mandum missa est, quum Ioannes non nisi ut de Christi persona testificaretur, & ad eam recipiendum viam prepararet, missus fuerit. Rursum & ideo minus non erit, quia nullo modo nobilius aliquid est scriptura quam Ecclesia: quum hæc vox Dei sit, Spiritu sancto animata, & infallibiliter instructa, illa verbum quidem Dei sit, non simpliciter, quatenus est litera scripta, sed piè ac sanè intellectum, id est, ab ipsa Dei Ecclesia explicatum. Ioannis ergo testimonium minus esse potuit testimonio scripturarum, quia circa illas a probandas vel exponendas, nullam ille auctoritatem habuit, nec ad hoc missus erat. Ecclesiae testimoniū scripturarum testimonio non est necesse minus esse, quia circa ipsas scripturas testificandi potestatem Ecclesia habet, quod tute ipse non negas, sed in hac disputatione sæpius confessus es. Postremò respon-

deo Christum ibi non docere scripturæ testimoniū maius esse aut certius testimonio Ioannis; quia hoc testimonium non accumulauit vt ostenderet se habere maius testimonium testimonio Ioannis. Hoc enim iam ostenderat prius in testimonio paterno per opera de quo dixit. *Ego maius testimonium habeo, &c.* Non dicit, maiora. Sed hoc testimonium scripturarum adiecit magis ex opinione Iudæorum, quàm ex re ipsa, Ait enim, *Vos scrutamini scripturas,* (Indicatiuum enim id verbum est, non imperatiuū, vt Cyrillus lib. 3. c. 4. in Ioan. notauit) *quia putatis in ipsis vitam habere. Et sanè illæ sunt quæ testimonium perhibēt de me,* sed vos frustra illas scrutamini, quia *non vultis venire ad me.* Hæc enim verba manifestè ostendunt, eos de facto scrutatos esse scripturas, sed propter malitiã illis nolle credere, vt in illis Christum agnoscerent. Sic iste locus Iudæorum malitiam circa scripturarum lectionem, non illarum testimonium maius esse Ioannis testimonio probat: nec hoc scripturarum testimonium, testimonio paterno & operum Christus accumulatur, vt eius in se excellentiam doceat, sed & Iudæorum peruersitatem demonstrat, qui vt opera Christi & patris vocem, sic ipsarum quoq; scripturarum testimonium respuebant, non volentes ad Christum venire. Atque hoc de prima tua probatione, quæ quàm nihil contra Ecclesiæ auctoritatem in approbandis scripturis faciat, satis iam ostensum est.

Altera tua probatio adhuc minus probat. Tametsi enim probare posses scriptum Dei verbum certius esse Ecclesiæ iudicio ac testimonio, non tamen inde cōficeres falsum vel absurdum esse, quòd per Ecclesiæ iudicium & testimonium scriptū Dei verbum auctoritatem apud nos obtineret, sicuti in prioris tuæ probationis examine diximus. Nunc autem

autem locus quem vrges, & verba D. Petri quæ pre-  
 mis, nihil huiusmodi probant. Non probant inquã  
 certius esse scripti verbi iudicium, quàm Ecclesiæ.  
 Quòd enim D. Petrus dicit propheticum sermonē  
*βεβαιότερον* firmiorē esse, reuelatione illa quã in mōte  
 Thabor præfente Christo accepit, non ideo dicit  
 quòd propheticus sermo, id est, veteres prophetiæ  
 de Christo, fuerint aut veriores aut clariores, aut  
 maioris authoritatis, quàm fuit illa reuelatio in  
 monte facta (quid enãm aut verius Dei patris voce,  
*Ipsum audite*, aut clarius illa nobilissima transfigura-  
 tione, aut maioris authoritatis quàm Dei vox è  
 cælo loquentis esse potuit?) sed ideo hoc dicit, quia  
 propheticus sermo firmior, id est, magis firmatus,  
 magis acceptus ac roboratus erat in mentibus ho-  
 minum, iam tot antea seculis in summa authorita-  
 te habitus, quàm adhuc esse potuit illa reuelatio  
 nouiter accepta. Nam & hac de causa tum Petrus  
 in primis suis concionibus, tum Paulus in suis epi-  
 stolis, veteris scripturæ prophetias & sententias fre-  
 quenter proferunt: Christi verba in Euangelijs com-  
 prehensa nunquam proferunt: non quia illa vetera  
 aut veriora, aut clariores, aut maioris authoritatis  
 essent, sed quia firmiora, firmiter & altius eorum  
 mentibus impressa quibus loquebantur. Sic & mi-  
 racula per Apostolos ac primos prædicatores facta,  
 firmiora erant ad persuadendum media, quàm ipsa nu-  
 da doctrina, iuxta illud D. Marci *Domino cooperante*  
 & sermonem confirmante *βεβαιότερον* sequentibus signis. Mar. 16.  
 Eodem verbo Marcus vtitur cuius coniugato hic  
 Petrus. Deinde firmiorem propheticum sermonem  
 Petrus dicit, non quia simpliciter firmior erat ser-  
 mone Apostolorum (qui haud dubiè firmissimus  
 in se erat) sed quia ipsis Iudæis quos Petrus alloquitur,  
 firmior erat. An verò vt hic Ecclesiæ iudicium,

Prophetiæ  
 veteres  
 quo sensu  
 firmiores  
 reuelatio-  
 ne facta  
 in monte  
 Thabor.

Propheti-  
sus sermo  
Apostoli-  
ca prædi-  
catione  
certior  
non est.  
Ephes. 2.

sic etiam Apostolorum prædicationem & doctrinam ab ipso Christo acceptam, prophetico sermone inferioriorem esse dices? Hoc quidem rectè dici non potest, quum disertè Paulus Apostolos prophetis anteponat, dicens nos *superedificatos esse super fundamenta Apostolorum & prophetarum*, id est, veterum prophetarum, ut tu in sequentibus fortissimè sustines. Nec quisquam dubitare potest saltem parem fuisse Apostolicæ prædicationis ac prophetici sermonis certitudinem, veritatem, ac firmitatem: nisi velimus cum impio Arrio aut Eunomio Christum eiusque doctrinam Deo Patre minorem facere, aut id cogitare, quòd per ora Apostolorum Deus æquè locutus non fuerit quàm per ora prophetarum. Dicit ergo Petrus propheticum sermonem illa reuelatione suaque de ea testificatione firmiorem esse, non quia simpliciter firmior erat, sed quia quoad illos firmior videbatur. Maximè quia prophetarum scripta iam in omnium manibus versabantur, visio illa atque reuelatio quam Petrus proferebat, in secreto facta fuerat, tribus tantummodo præsentibus quorum ipse vnus erat: ideoque suum ea de re testimonium extenuare potius modestè voluit, quàm importunè vrgere aut amplificare.

Quod igitur ex hoc loco probare contendis, scriptum Dei verbum ipsa diuina reuelatione, & cœlesti voce, & multò magis Ecclesiæ iudicio ac testimonio certius ac firmitus esse, dupliciter falsum est. Primum quia ille locus nullam maiorem certitudinem aut claritatem aut veritatem in vno quàm in altero docet, sed solùm firmitatem respectu quorundam, ut iam ostensum est. Secundo tametsi reuelatione aliqua particulari (qualis ista erat quam hic D. Petrus commemorat) scriptura quoad nos magis haud dubiè firma ac recepta sit,

pta sit, non tamen sequitur, vt multò magis Ecclesie iudicio ac testimonio eadem firmior sit, sicuti tu ineptissimè concludis. Ecclesie enim iudicium ac testimonium, non est reuelatio diuina particularis, aut vox de cælo extra ordinem, & corâ paucis delapsa, sed est iudicium ac testimonium maxime publicum, ordinarium, notissimum, ideoq; firmissimum, *id est, receptissimum*: adeò sanè firmum vt sit totius veritatis reuelatæ *firmamentum*, 1. Tim. 3. vt Paulus scripsit. Quare & totum hoc tuum argumentum à fundamentis corruit. Videamus sequentia.

## RESPONSIO AD SEPTIMUM ARGUMENTUM.

### CAP. VII.

*VWhitakerus.*

SEPTIMUM nostrum argumentum sumitur 1. Sect.  
 Ex 1. Thessal. 2. 13. vbi Paulus Thessalonicenses alloquitur in hunc modum. *Gratias agimus Deo indefinenter, quòd acceptum de Deo sermonem, quem audistis ex nobis, exceperitis non vt sermonem hominum, sed (sicut est verè) vt Dei sermonem, qui etiam agit in vobis qui creditis.* Ex hoc loco in hunc modum disputo. Si Thessalonicenses, audito tantùm Paulo, <sup>\* Vanū & falsum.</sup> scripturæ doctrinam, tanquam diuinam acceperunt & amplexi sunt, tum sine Ecclesie iudicio scriptura diuinam apud nos authoritatem habere debet. At primum verum. De nullo enim alicuius Ecclesie iudicio vel testimonio tum audierant Thessa-  
 Qq 5 lonienses,

lonicenses, sed verbum tantum ex ore Pauli acceperant. Ergo & secundum. Stapletonus.

Verbum Pauli non erat scriptura sed prædicatione Pauli.

Vt huic tuo ficulneo planè argumento breuiter respondeam, duo dico. Primum verbum hoc quod non vt verbum hominum, sed vt verbum Dei Thesalonicensis receperunt, vnde & eos Paulus colaudat, non fuit scriptura aut aliquis scripturarum liber, aut aliqua etiam scripturarum testimonia à Paulo sub nomine scripturarum veterum citata, (quod tu tibi ineptissimè fingis ac sumis) sed fuit prædicatione Pauli viua voce facta. De hoc enim verbo ait Paulus, quod à nobis accepistis. De sua ergo ad illos prædicatione Paulus loquitur. Sic in alia ad eosdem epistola. Orate pro nobis, vt sermo Dei currat & clarificetur. An cuiquam dubium esse potest, de sua prædicatione eum loqui, & verbum Dei vocare, quod ipse viua voce passim per varias gentes prædicabat? Hæc est uox Ecclesiæ. Paulus enim Apostolus & Pastor Ecclesiæ fuit. Quare quod dicis eos scripturæ doctrinam tanquam diuinam amplexos fuisse, vanum, id est, loquendo de scriptura quatenus tali, & vt scriptura, & sub nomine scripturæ acceptata. An tu putas quum Paulus ad conuertendas gentes coram prædicaret, librum veteris instrumenti (neque enim nouum adhuc conscriptum erat) illis porrexisset, vel illis legisset ac recitasset, eosq; statim audito libro & audita scriptura, mox credidisset? Sic enim tu somnium tuum & fabulam narras. Audito (inquis) Paulo scripturæ doctrinam tanquam diuinam acceperunt. Sanè audito Paulo doctrinam Euangelicam (quam Paulus semper Euangelium suum vocat) acceperunt veteri scripturæ conformem: sed ipsam in se scripturam sub nomine scripturæ & vt talè non acceperunt, quod tibi probandum restat.

2. Thef. 3.

Rom. 2. & 16. 1. Cor. 4. & 15. 2. Cor. 4. & 11. Gal. 1. 1. Thef. 1.

Deinde

Deinde dico quod addis Thessalonicenses sine <sup>2. Thes. 4.</sup> alicuius Ecclesiæ iudicio vel testimonio, de quo nō audierant, tantum ex ore Pauli verbum accepisse, ineptissime à te dici. Ipsamet enim vox Pauli vox Ecclesiæ erat, iudicium & testimonium Ecclesiæ e- <sup>Pauli vox Ecclesiæ vox erat.</sup> rat. Quum Ecclesiæ testimonium ad fidem ingenerandam & ad aliquam sacram veritatem testificandam necessarium dicimus, quid aliud dicimus quā Pastorum Ecclesiæ testimonium & vocem; vel seorsim suos greges communem fidem docentium, ut hic Paulus fecit, vel de rebus grauioribus in Concilio iudicantium? Paulum ergo Thessalonicenses quum audirent, Ecclesiæ iudicium, Ecclesiæ testimonium audiuerunt. Totum ergo hoc quod hactenus attulisti, nihil pro scriptura ipsa, nihil aduersus Ecclesiæ testimonium facit, sed planè e contra pro ipsius Ecclesiæ voce ac testimonio plurimū facit. Ostendit enim prædicatoris Ecclesiastici vocem planè diuinam esse, & tanquam diuinam recipendam esse, sicuti Thessalonicenses Pauli prædicationem tanquam diuinam receperunt. Sed huic adhuc argumento tuo maiores vires addere conaris,

*VWhitakerus.*

Ambrosius in illum locum sic scribit: *Tanta deuotione receperunt verbum, ut probarent se intellexisse esse Dei verbum.* Sed vnde hoc intelligere potuerunt? Sanè ex ipsa doctrina & Spiritus sancti testimonio, non ex Ecclesiæ cuiusquam \* nec ipsius Apostoli au- <sup>2. Sect.</sup> thoritate.

\*Mendacium absurdum.

*Stapletonus.*

At ipsemet Apostolus hoc tuum mendacium refutabit. Sic enim ad eosdem Thessalonicenses scribit in altera epistola. *Creditum est testimonium nostrū super vos in die illo.* Et rursum: *Si quis (inquit, non obedit* <sup>2. Thes. 1. & 3.</sup> *verbo*

*verbo nostro, per epistolam hunc notate.* Sed & in priori quoque epistola, vbi quædam præcepta dedisset, vel potius repetisset (ait enim, *sicut prædiximus vobis & testificari sumus*) subiunxit: *Itaque qui hæc spernit non hominem spernit, sed Deum: & causam subnectit. Qui etiam dedit spiritum sanctum suum in nobis.* Ex his omnibus manifestum est, Thessalonicenses verbum Dei ex ore Pauli accepisse propter ipsius Pauli testimonium cui crediderunt, *Creditum est super vos testimonium nostrum; Paulum à Thessalonicensibus obedientiam flagitasse, ut verbo suo obedirent: Si quis non obedit verbo nostro.* Pauli denique auctoritatem apud Thessalonicenses tantam fuisse, ut eius præcepta tanquam Dei præcepta tenere & observare tenerentur. *Que hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum.* Et tu post hæc omnia doctor indocte audes dicere, Thessalonicenses *nec ipsius Apostoli auctoritate*, ad credendum inductos fuisse? Sed videamus quomodo hoc tuum tam impudens mendacium fucare possis.

*VWhitakerus.*

3. Sect. *Que enim Ecclesia potuit Thessalonicensibus, persuadere pondere testimonij sui, ut Paulum susciperent, cuiusque sermonibus tanquam diuinis assentirentur? Nam ignotus illis ipse Apostolus fuit, & nullam vsquam habuit auctoritatem, nisi propter doctrinam, cuius minister & præco fuerat. Ergo ipsa doctrina omnem sibi per se auctoritatem fidemque conciliauit.*

\*Falsum  
& impiū.

*Stapletonus.*

Inanissima verba fundis & crassæ tuæ ignorantia argumenta multiplicas, Doctor indocte. Quæris primum quæ Ecclesia potuit Thessalonicensibus persuadere, ut Pauli verbis assentirentur. Nec advertis de primordijs & primis Ecclesiæ Christianæ initijs te agere. Esto primi Apostoli (& maxime Paulus

Paulus extra ordinem à Christo vocatus) nullius Apostolus à nulla Ecclesia missi Ecclesie missioni necessitate non præiudicans Ecclesie testimonium habent, id est, à nulla Ecclesia mittuntur ad prædicandum, ut sic cum auctoritate ab illis recipiantur ad quos veniunt. An propterea perpetuum inde duces argumentum, prædicatores Ecclesiasticos nullius Ecclesie testimonium habere, à nulla Ecclesia legitimè missi, ut sic missionis suæ pondere ac testimonio auctoritatem habeant, ipsisque ut legitimè missis prædicatoribus consequenter credatur? Non ita insanies opinor. Tametsi igitur Paulus Apostolus nullius Ecclesie testimonium habuit, ut illi Thessalonicenses crederent, omnes tamen alij legitimi prædicatores alicuius Ecclesie testimonium habent. *Quomodo enim prædicabunt nisi mittantur?* aiebat Paulus ipse. Hoc igitur Rom. 10 Pauli exemplum etsi ei propter nullius Ecclesie testimonium crederetur, ordinariæ Ecclesie auctoritati ac testimonio præiudicare, aut ea in re causam tuam iuvare (qui hanc nunc ordinariam eius potestatem conuellere studeas) nihil potest.

Sed nec propterea amplissimo testimonio Paulus caruit, etsi Ecclesiarum testimonio adhuc careret, quoad eius verbis assentiendum Thessalonicenses inducerentur. Vocationem enim eius extraordinariam, miracula supplebant. Paulus suam auctoritatem, ut apud Corinthios, Ephesios, ac Philippenses (quibus omnibus prædicauerat) sic & apud Thessalonicenses quotidianis pene miraculis confirmabat. *Sermo (inquit) meus in ostensione Spiritus & virtutis. Et iterum. An experimentum queritis eius quæ in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur sed potens est in vobis.* scil. propter multa miracula in eius nomine apud vos à me patrata: & ad ipsos Thessalonicenses ait. *Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute & in Spiritu sancto, & in ple*

*in plenitudine multa*, id est in maxima auctoritate: *εν πληροφωγία ποδῶν*. Sed addis. *Ignotus illis Apostolus fuit. Quasi verò ad testimonium prædicationis, noticia Apostoli fuerit necessaria. Omnibus gentibus quibus Apostoli prædicauerunt, quum ad eos primum venirent, ignotierant; sed statim miraculis innotuerunt. Paulus diu prædicauerat extraordinarie missus, quum adhuc facie ignotus esset Ecclesiis. Auctoritatem tamè consequutus est apud eos quibus prædicauerat, sicut cæteri Apostoli, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.*

Gal. 1.  
Mar. 6.

Apostoli non habuerunt auctoritatem propter doctrinam, sed doctrina propter ipsos.  
Act. 1.

Mar. 16.

Ioan. 17.

Ioan. 18.

Ioan. 8.

Rursum addis, quod nullam vsquam habuit auctoritatem nisi propter doctrinam cuius minister erat. Toto caelo erras & verbis euangelicis atque Apostolicis, iam citatis contradicis. Non propter doctrinam Apostolis credebant Iudæi & gentes, sed propter Apostolos credebant doctrinæ. Illi testes erant doctrinæ quam afferebant. *Eritis mihi testes*. Non ipsis testimonium perhibuit doctrina. Nec sermo ipsos confirmabat sed miraculis suis ipsi sermonem suum confirmabant. *Sermonem confirmante sequentibus signis*. Denique non propter doctrinam, sed propter potestatem à Christo acceptam, auctoritatem Apostoli habuerunt. *Sicut tu me misisti in mundum sic & ego eos misi in mundum*. Quid? An Christum quoque dices nullam vsquam habuisse auctoritatem nisi propter doctrinam quam prædicabat? An sic blasphemabis? An Christus à sua doctrina auctoritatem accepit, ac non e contra, doctrina ab ipso? An non disertè dicit se ideo in mundum venisse *ut testimonium perhiberet veritati*? An non doctrinam suam testimonio Patris, testimonio operum, ac denique & suo testimonio confirmat? Ego, inquit, *si testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum est verum*: quod non est contrarium ei quod prius dixerat Ioan. 5. *si de seipso*

de seipso testimonium perhiberet, suum testimonium non esse verum. Illud enim prius verè dixerat, de suo testimonio vt hominis testimonio eoque solo loquens. Hic etiam verissimè loquitur de suo testimonio vt Dei testimonio loquès, volensque his verbis ostendere se filium Dei esse; & sic de se ipso testimonium posse perhibere, sicut & Deus iurat per semetipsum. Nam propterea subiungit. *Quia scio vnde veni & quo* <sup>Ioan. 9.</sup> *vado.* Nempe quia à patre processit æqualis patri, Dei filius naturalis, possum de meipso testimonium perhibere. Age ergo. Christus suæ doctrinæ testimonium perhibuit, inique & patris sui autoritate eam confirmavit: vnde & iterum dicit. *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Patris.* At sicut Christus in mundum missus fuerat, sic ille Apostolos misit in mundum. Sicut ergo Christus suæ doctrinæ testimonium perhibuit, sic & Apostoli suæ prædicationis ac doctrinæ testes erant; ipsique suæ doctrinæ autoritatem attulerunt, non ipsi doctrinam. Quare Apostolorum suorum autoritatem Christus perpetuò cõmendat, & suam ipsorum autoritatem ipsi Apostoli premunt, maximè Paulus de quo tu disputas. Christus ait. *Qui vos audit me audit. Vos testimonium perhibebitis de me. Euntes predicatè Euangelium. Qui (vobis prædicantibus) crediderit saluus erit. Exprobrauit incredulitatem illorum qui ijs qui viderant eum resurrexisse non crediderant. Qui vos non receperit excutite puluerem de pedibus vestris. Et alia quam multa in præcedentibus prolata. Tu omnia absurdissimè ad ipsam doctrinam reuocas, & contradicis sapientiæ Christi, qui dedit Apostolos, Prophetas, Pastores, Doctores, qui docerent omnes gentes seruare omnia quæcunque ipse mandauerat: non reliquit nobis suam doctrinam scriptam ex qua vnusquisque quid credendum quid faciendum sit,* <sup>Ephes. 4. Matth. 28.</sup> *ex ipsa*

Aræticæ  
hodie  
Christi  
sapientiã  
redargu-  
unt.

Doctores  
non do-  
ctrinam  
Christus  
in autho-  
ritate po-  
luit.  
2. Theff. 3.

ex ipsa doctrina cum interno Spiritus testimo-  
nio acciperet. Cerebri tui ac tuorum spectrum  
hoc ac portentum est, quod contra ordinem à  
Christo institutum excogitastis, vt sic inordinate  
omnia agere, & per vos ipsos omnia sapere ac face-  
re possitis. Estis enim fratres *ambulantes inordinate  
à traditis & non secundum traditionem quam ab Ecclesia  
accepistis*: à quibus nos subtrahere iubet Apostolus.  
Quod igitur concludis, *ergo ipsa doctrina per se autho-  
ritatem fidemque conciliauit*, Christo contradicis, eius-  
que sapientiam redarguis, qui doctores non doctri-  
nam in autoritate posuit; & à doctoribus doctri-  
nam, à Pastoribus pabulum, ab Apostolis & Pro-  
phetis sui nominis agnitionem, peti ordinauit, vt  
ad Ephes. 4. Paulus luculentissimè tradidit, nosque  
in præcedentibus per occasionem explicuimus.  
Vos scilicet scripturas reueremini qui contra tam  
aperta & luculenta de Doctorum ac Pastorum in  
Ecclesia autoritate ac ministerio testimonia,  
omnia ad ipsam doctrinam reuocatis, Doctores  
ipsos omni autoritate & fide spoliatis. Sed alias  
adhuc tuas absurditates videamus.

*VWhitakerus.*

4. Sect.

\* Colle-  
ctio me-  
pra.

Similiter legimus Gal. 4. 14. *Vos me recepistis*  
(inquit Paulus) *vt Angelum Dei, imò vt Christum Ie-  
sum*. Cuius quæso Ecclesiæ commendatio hanc  
Paulo apud Galatas autoritatem ac dignitatem  
acquisiuit? Nullius. \* Ergo doctrina illa quam se-  
cum Apostolus afferebat, Galatarum animos acer-  
rimis stimulis ad Paulum amplectendum & vene-  
randum excitabat, & se suumque ministeriũ satis  
per se commendabat.

*Stapletonus.*

Quod de Thessalonicensibus iam responsum  
est, idem de Galatis respondemus: & adhuc plura  
addimus,

addimus, vt tua hic crassissima prædicationis & authoritatis Paulinæ ignorantia magis ac magis elucescat. Quid professor egregie? Tam audacter de Paulo tam multa pronuncias, & Paulum non legisti? Aut si Paulum legisti, quid Paulo apud Galatas & alios quibus prædicauerat authoritatem ac dignitatem conciliauerit, non aduertisti? Paulus statim in principio huius epistolæ ad Galatas, vt suam authoritatem verbis amplissimis commendaret, idque propter Iudaifantes qui ei plurimum vbique locorum detrahebant, nõ à doctrina quam attulerat (quam tu somnias *Galatarum animos acerrimis stimulis excitasse ab Paulum amplectendum* &c. sed à sua vocatione sibi propria, (doctrina enim eius cum aliorum omnium Apostolorum & doctorum doctrina communis erat, vt ipse met in hac epist. ad Gal. disertè profitetur) id facit. Paulus, inquit, *Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & Deum Patrem* &c. Et rursus. *Notum vobis facio fratres Euangelium quod euangelisatum est à me, quia non est secundum hominem* id est ab authoritate alicuius hominis. *Neque enim ab homine ego accepi illud, neq; didici, sed per reuelationem Iesu Christi.* An non vides vt doctrinam euangelicam quam prædicauerat, non ab ipsa in se, sed ab authore eius vnde illam acceperat, commendat: atque eadem opera suam illis authoritatem inculcat? Deinde tota subsequens narratio illius primi capitis, ad nihil aliud tēdit nisi vt suam excellentem vocationem & authoritatē maximam ipsis Galatis commonstraret. Eadem de causa etiam in 2. capite idem argumentum prosequitur, sui que Apostolatus commendationem acerrimè tractat, etiam id propterea commemorans; *quod nihil illi ceteri Apostoli contulerunt, quod creditum est illi euangelium præputij sicut Petro circumcissionis, denique quod ip-*

Pauli au-  
thoritas  
non à do-  
ctrina sed  
à vocatio-  
ne sua.

Gal. 1.

Gal. 2.

VWhita-  
keri ab-  
surditas.

VWhita-  
keri petu-  
lantia &  
ignorantia  
audax  
contra  
Pauli au-  
thorita-  
tem.  
Gal. 1.

Gal. 4.

Gal. 5.

sum Petrum in faciem reprehenderit eique resistereit. Ad quos igitur scribens iam tanto studio tantoque molimine auctoritatem Paulus commendat, vrget, premit, apud eos tu ex sola doctrina, quam attulit, Pauli prædicationem fidem habuisse affirmabis? Vide quomodo Paulus ipse tuam petulantem & audacem ignorantiam retundat. Doctrinam quam Paulus Galatis prædicauerat, alij pseudoapostoli superuenientes, corrumpere & peruertere conati sunt, docentes legem Moysaicam cum Euangelio coniungendam esse, vt ab hac corruptela Paulus eos vindicaret, nonne suam imprimis auctoritatem quam ad prædicandum habuit, studiosissime illis inculcat? Hoc primo & secundo cap. illius epistolæ acerrime facit vt iam ostendimus; & præterea in principio Epistolæ ita protestatur. *Si quis vobis Euangelisauerit præterquam quod accepistis, à me scilicet, anathema sit.* Rursum quum obedientiam & reuerentiam Galatarum erga ipsum illis olim prædicantem, in verbis à te citatis protulisset, in quibus suam auctoritatem & Apostolatus dignitatem illis in memoriam reuocauerat, vt eius memores in fide stabiles permanerent, paulò post eandem reperit & vrget his verbis. *Filioli mei quos iterum parturio donec Christus formetur in vobis. Vellem autem esse apud vos modo, & mutare vocem meam, id est asperius vos præsens arguere, quoniam confundor in vobis, id est erubesco de vestra leuitate & inobedientia.* Mox in principio seq. capitis, quum iam blandioribus verbis satis sibi vsus visus esset, vide quæso quanta cum auctoritate loquatur. *Ecce ego Paulus dico vobis quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Si vt tu scribis, nullam vsquam auctoritatem Paulus habuit nisi propter doctrinam, nonne illi statim respondere Galatæ possent, alijs iam & nouis doctrinis imbuti, Noste Paule*

Paulus propter tuam doctrinam venerari & complexi sumus, nec nisi propter doctrinā, vllam apud nos auctoritatem habes; noli ergo nomen aut auctoritatem tuam tam magnifice interponere, postquam iam alia nobis doctrina placet, meliorque ac purior videtur. Non est, quod dicas; *Ego Paulus dico.* Non est quod nobis anathema comminetis si *præter id quod tu Euangelizasti nobis aut præter id quod à te accepimus.* aliquis nobis prædicauerit. Tua auctoritate non astringimur. Nos ex doctrina ipsa iudicamus quid verum quid falsum sit. Hæc tibi *Vhitakere* oratio si absurda, si impia, si fanatica vt est, videatur; tuam quoque hic disputationem absurdam, impiam, & fanaticam esse intellige, qui affirmas Paulum *nullam vsquam auctoritatem habuisse nisi propter doctrinam,* & Galatas Paulum non nisi propter doctrinam quam attulit veneratos & amplexos fuisse.

Iam verò si hoc loco, quomodo etiam idem Paulus in posteriori ad Corinthios epistola, propter similes planè pseudoapostolos qui bono semini ab illo seminato sua quoque superseminabant zizania, sui Apostolatus & ministerij euangelici dignitatem plurimis verbis, varijsque argumētis tractat & amplificat, partim ab effectu & facta Corinthiorum conuersione, partim à comparatione eius cum sacerdotio Iudaico (vt toto cap. 3.) partim à varia quam eius nomine passus erat tribulatione, vt cap. 4. partim à dignitate & excellentia legationis qua fungitur cap. 5. partim denique à sincerissima suæ administrationis administratione, cap. 6. postremo ab amplitudine potestatis suæ, cap. 10. & rursus ab admirandis laboribus suis & visionibus operosius & accuratius explicare vellem, magis adhuc & magis appareret quam vanè & temere à te

Paulus  
suam au-  
thoritatē  
apud Co-  
rinthios  
quā ac-  
curatē  
probat.

Cap. 11.  
& 12.

dictum sit, Apostolum Paulum nullam vsquam authoritatem habuisse, nisi propter doctrinam cuius minister & praeceps fuerat. In tota enim illa disputatione suam ipse authoritatem, sui que muneris & functionis Apostolicæ amplissimam dignitatem, suæ denique personæ maximos pro fide labores, & sincerissimam in exequendo suo numere affectum, tot verbis & tam accuratè commendat, hunc ob finem & hanc ob causam, vt Corinthij doctrinæ ab illo acceptæ adhererent, vt quæ ille prædicauerat mordicus tenerent, vt ipsius docentis authoritatem magis competentem & exploratam haberent: denique vt alijs pseudoapostolis, operarijs subdolis aures ne præberent. Si doctrina ipsa eiusque perspicua veritas & quædam maiestas, Corinthios Paulo crederent efficere sola potuisset, vt de Galatis scribis, frustra sanè & superuacaneè docentis authoritas tot verbis, tanto studio, tam enixè & sollicitè commendari debuit. Sed vidit beatissimus Apostolus authoritatem docentis credentibus esse necessariam, ideoque suam authoritatem summa cōtentione, etiam vsque ad verecūdię periculum, in illa epistola quasi inuitus atque coactus commendat & amplificat. Sed quia in hoc ipso opere quod impugnas, ex instituto docui, in doctrina religionis non quid dicitur, sed quis loquatur attendendum esse; quia fides authoritati vt scientia rationi nititur; ad eum te locum lectoremque studiosum remitto, vt magis intelligat quam absurdè à te dicatur Apostolos non nisi ex sua doctrina authoritatem apud illos habuisse quos ad fidem conuerterant. Nunc quæ in te sequuntur videamus.

Princip.  
sic do-  
ctin. lib.  
10. cap. 5.

VWhitakerus.

5. Sect. Sic Act. 17. 11. Berrhæenses audito Paulo, ipsius doctrinam non ad alicuius Ecclesiæ iudicium, sed ad ipsius

ipſius ſcripturæ amiffim \* exigebant. Apparet er- \* Mendacium & corrupte-  
 go ſcripturam ex ſe, ſine Eccleſiæ authoritate ac  
 teſtimonio diuinam, Canonicam, & authenticam la S. Scri-  
 etiam quoad nos, authoritatem habere. pturæ.

*Stapletonus.*

Omniū quidem hæreticorum & cæcitas ma-  
 gna eſt (quia *Deus huius ſæculi excæcavit mentes eorum*) <sup>2. Cor. 4.</sup>  
 & pertinacia ſingularis, (*videntes enim non vident, &* <sup>Matth. 13.</sup>  
*oculos ſuos clauserunt ne videant*) (ſed veſtra hodie Whi- <sup>Hæretico-  
rum hodie  
pertina-</sup>  
 takere, tua inquam tuorumque conuenarum hæ-  
 reticorum tum cæcitas, tum pertinacia longè ma-  
 xima eſt. Quod quum ex alijs innumeris argumen-  
 tis demonſtrari queat, tum verò hic vnus locus eui-  
 dentiſſimè demonſtrat. Factum iſtud Berthæſum  
 toties à veſtris hominibus obiectum, toties à nobis  
 refutatum & explicatum quum fuerit, obiectio-  
 nem perpetuò repetitis, factam explicationem  
 nunquam aduertitis, aut ei certe non reſpondetis.  
 Quod & tu hoc loco facis, quum nihil dubnem  
 huius facti ſolutionem, vel in hoc meo opere quod <sup>Lib. 5.</sup>  
 impugnas te legiſſe, vel in dictatis P. Bellarmini re <sup>cap. 4.</sup>  
 legere potuiſſe. Illa igitur ſolutio ac reſponſio no-  
 ſtra aut tibi bona videbatur, & ea contentus eſſe de-  
 bueras, nec ſemper idem crambe repetere; aut ma-  
 la ac vitioſa erat; & eam hoc iam loco remouere  
 (ſaltem veritatis ſtudio) omnino debebas. Sed hæc  
 eſt perpetua pertinacia veſtra; loca centies ſoluta,  
 centies & identidem obijcitis, nō veritatis ſed con-  
 tentionis ſtudioſi.

Sed & alia hic tum cæcitas tum pertinacia  
 omnium veſtrum palpādā ſe nobis præbet, quod  
 locus ipſe vel mediocriter inſpectus, pro ſenſu ve-  
 ſtro nihil omnino facere per ſemetipſum loquatur.  
 Qu' d enim? An tu VWhitakere ſeridè & reuera exi-  
 ſtimas Berthæenſes iſtos doctrinā Pauli ad amiffim

Scripturæ exegisse? vt ex doctrinæ veritate in scripturis inuenta Paulo crederent, eumque complecterentur & venerentur, sicuti modo de Galatis & Thessalonicensibus dixisti? Hæc quidem tuorum sententia est, adeo vt non vereatur Brentius dicere, hos homines doctrinæ Apostolicæ iudices fuisse. Sed an tu ita ex animo sentis? An tam absurdus & vecors es, vt doctrinæ Apostolicæ vulgus hominū iudices constituas? An tibi persuadere potes Berhæenses istos ad amussim scripturæ Pauli doctrinā exegisse, ita vt si cum scriptura eius doctrinam non quadrare inuenissent, eam liberè repudiarent; si verò quadrare aduertissent, tunc demum ei consensum præberent? Hoc enim demum est ad amussim scripturæ alicuius doctrinam exigere, sicut & tuam hanc disputationem ad amussim scripturæ, doctrinæq; Ecclesiasticæ ego nunc exigo.

Indicare  
de doctrina  
Apostolorum  
quam absurdum.

Sed hoc si tu tibi seriò persuades, age; an patris vt tuæ disputationis (ne longius abeamus) iudices se constituent auditores ac discipuli tui? vel quia illi emunctioris naris sunt, vt ciues Cantabrigienses aut rustici vndequaquæ vicini de ea iudicium ferant? Non te opinor tam abiecto animo aut vecordem esse: Maiores spiritus vos hæretici habere soletis. Attamen id facere quod isti Berhæenses fecerunt, non discipulis tantum & auditoribus tuis, sed cuius laico indoctissimo qui scripturas legere queat, omnino licet. Non enim isti Berhæenses, ideo scrutabantur scripturas, vt de Pauli doctrina iudicarent, vera ne an falsa esset, non eam exigebant ad amussim scripturarum, (verba hæc in historia Apostolica non habentur, tu illa mendaciter scripturæ affingis, & verba textus corumpis, hæretico more,) vt sic Paulo crederent: Sed quum iam firmiter credidissent, ait enim textus,

tus,

tus, *suscipientes verbum cum omni auditate:* ἐδέξαντο τὸν λόγον μετὰ πάσης προθυμίας, id est, cum omni propensione animi admittebant & amplectebantur Pauli verba: *quotidie ἀνακρίναντες* examinantes & discutientes erant *scripturas, an hac ita se haberent:* id est, ad maiorem suam consolationem, ad maiorem & clariorem intelligentiam eorum quæ iam crediderant,

veteres scripturas (neque enim novum Testamentum adhuc scriptum vel in certum Canonem redactum fuerat) veteres de Christo prophetias scrutabantur, vt quomodo omnia quæ de Christo prædicta fuerant, in eius nunc aduentu, passione, resurrectione, Ascensione, Spiritus sancti missione (hæc enim omnia veteres prophetæ prædixerunt & Paulus prædicauerat) completa essent, magna cum animi voluptate, fideique acceptæ confirmatione perspicerent. *Quotidie autem scrutabantur,* ait Lucas: non quia toto hoc tempore in fide vacillarent, (iam enim antea verbum susceperant cum omni hilaritate,) sed vt quotidie in doctrina fidei proficerent, magisque ac magis ex diuinis scripturis fidei suæ confirmationem, maximè contra pertinaces Iudæos, qui illis in locis (vt ibidem Lucas narrat) credentibus erant molestissimi, addiscerent, & consolationem acciperent. Hic est huius loci sensus genuinus, germanus, atque ex ipsa litera fluens. Tuum sensum illa maxima absurditas sequitur, vt de Pastore oues, de Præposito subditi, de Magistro discipuli, de ipso Paulo Apostolo laici ac indocta plebs iudicium ferant. Rei absurditatem in vobis ipsis non toleratis, proclamante

Scripturas scrutabatur post fidem, nõ vt crederent.

Luthero tuo, *Ego penes nullum volo esse iudicium, sed omnibus suadere vt præstent obsequium:* Nec in alijs admittere debetis.

Rom. 15. Vt per consolationem scripturarum spem habeamus

At enim non ad alicuius Ecclesie iudicium, ais tu,

In fine libri de seruo arbitrio.

VWhita-  
keri exca  
ignorantia.

I.

II.

III.

III.

Act. 15.

V.

*Pauli doctrinam isti homines referebant.* In hoc etiam cæcitas tua non tam admiranda quàm deploranda est. Quid enim? Non vides, non aduertis, Apostolum ipsum prædicatorem Ecclesiasticum fuisse, & ipsius testimonium ac iudicium Ecclesiæ iudicium esse respectu eorum quos docet? Non vides, non aduertis de Pauli doctrina, nullam tunc controuersiam, nullam inter credentes dubitationem fuisse, ideoque alterius aut maioris aut plenioris Ecclesiæ iudicio opus non fuisse? Non vides, non aduertis in eisdem Actis Apostolicis, vbi primum magna illa controuersia orta erat de legalium obseruatione, multique tum Antiochiæ tum Hierosolymis quæstionem illam agitarent, quòd non tum scripturas singuli scrutabantur an sic vel aliter res se haberet, sed ad Ecclesiæ præsentis iudicium amplissimum tota quæstio deferrebat? Non vides, non aduertis, quæ & qualis Ecclesiæ sententia, quale iudicium tunc fuerit? *Visum est* (inquiunt) *Spiritui sancto & nobis.* Hæc est, vt dixi, cæcitas, hæc pertinacia tua. Ecclesiæ iudicium, vbi nullum requiritur (loquendo de communi & solenni & pleno iudicio) anxie quæris. Idem iudicium vbi res & locus postulabat, eodem in libro ac loco, non vides, non aduertis. In illo Concilio Apostolico, Pauli doctrinam quam Antiochiæ prius multisq; in locis prædicauerat, de legalibus cum Euangelio non coniungendis, ad Ecclesiæ iudicium delata, & ad eius amussim exacta & terminata fuit. Atq; hæc de septimo argumento tuo.

RESPON-

# RESPONSIO AD ARGUMENTVM OCTAVVM.

## CAP. VIII.

*VWhitakerus.*

**O**CTAVVM nostrum argumentum ita se habet. Autoritas verbi non scripti non pendebat ex autoritate Ecclesiæ: ergo nec autoritas verbi scripti iam ex Ecclesia pendet. Argumentum sequitur, quia \* par utriusque ratio est. \* *Suo se*  
 Propositio probatur, quia quum adhuc verbum *relo iugular.*  
 non esset scripturis & literis proditum, Deus cum Patriarchis *apostolis* loquebatur: & hoc verbū " non *Falsum.*  
 erat aliqua Ecclesiæ, sed Dei solius autoritate commendatum ac receptum. Ergo similiter & verbum scriptum recipi debet: nisi fortè minoris autoritatis extitit, postquam libris mandatum fuit, quàm ante extiterat, quod per absurdum est. Paulus de lege affirmat, Rom. 2. 15. eam in cordibus nostris scriptam esse. " Credimus ergo legi, *"Ridiculum & impiam.*  
 non propter Ecclesiæ iudicium, aut testimonium; sed quia lumen quoddam legis in cordibus nostris impressum atque insculptum retinemus. Quod si ergo lex quæ est \* altera pars verbi diuini, ex se *\* Absurditas maxima.*  
 suoque lumine agnoscitur, quod in animis nostris imprimitur, quodque se facile omnibus probat, & arguit hanc esse Dei voluntatem; multò magis Euangelium à Spiritu sancto in cordibus nostris consignatur, & propter Spiritus sancti autoritatem suscipitur. Nam si legem esse Dei voluntatem non Ecclesiæ autoritate, sed legis insito lumine *\* Consequenter ridicula.*  
 persuasi intelligimus, \* quanto magis opus est, vt

Spiritus sancti lumine collustremur, antequam Evangelio credamus, cū lex naturalis sit, & Evangelium omnem naturam superet, ac proinde maiore quadam confirmatione indigeat.

*Stapletonus.*

Traditiones non scriptas pares esse verbo scripto Vvhitakerus faceret.

Scripturarum testimonium eodem argumento excluditur quo Ecclesie.

Hæc tua argumentatio duas habet partes. Prima est à comparatione verbi scripti & non scripti. Altera est à lege in cordibus nostris scripta. Ad priorem partem breuiter respondeo, quod contra te facit dupliciter, contra nos nihil. Contra te facit, primum quia ex hac tua disputatione illud manifestè sequitur quod semper pertinaciter negare soletis, quum sit manifesta Patrum doctrina scripturæque conformis. Nempe traditiones non scriptas paris & eiusdem esse authoritatis, atq; est verbum scriptum. Hic enim de verbo scripto & verbo non scripto disertè dicis. *Par vtriusque ratio est.* Rursum contra te facit, quia sicut ex statu fidelium in lege naturæ, necessitatem iudicij ac testimonij Ecclesiastici hoc nunc tempore excludere vis, sic ex eodem necessitatem iudicij ac testimonij quod ex scripturis accipitur hoc quoque tempore vt excludas, necesse est. Sicut enim in illo statu nullæ adhuc erant Ecclesiæ constitutæ, sic nullæ adhuc erant scripturæ. Si ergo quia nullum tunc erat externum sacerdotium certis ritibus Deo consecratum, sed ius primogenituræ illa functio sequebatur: & quia nullus tunc ordo Ecclesiasticus institutus, nulla verbum Dei prædicandi potestas publica à Deo ordinata erat, sed singuli Patres familias ea quæ ad Dei notitiam ac cultum pertinebant, suos docuerunt; vt patet ex verbis Dei ad Abraham Gene. 18. idcirco & nunc quoque nullum externum Ecclesiæ iudicium esse vis quo homines in fide erudiantur, & quid sit verbum Dei seu scriptum

ptum seu non scriptum certa authoritate instructi intelligant; profectò pari ratione & eodem modo, quia nullæ tunc erant scripturæ prorsus quæ pro diuinis haberentur, sed ex sola traditione maiorū fides ad posteros deriuata fuit, nec nunc quoque scripturæ quas habemus necessarium fidei iudiciū continebunt, sed ἀπέσως, vt tu dicis, à Deo doceri vnusquisque expectabit. Ac sic quidem contra te insulla tua argumentatio dupliciter facit.

Contra nos nihil facit, quia sicut in illo statu natura & ante legem scriptam, Ecclesia haud dubiè <sup>natura</sup> fuit (quod tu ignorare videris) quum ab orbe con- <sup>Ecclesia</sup> dito sua Ecclesia Deus non caruerit, sic illius Eccle- <sup>erat eius-</sup> siæ maiores, quales maximè Patriarchæ erant, illud <sup>que au-</sup> verbum Dei non scriptum, minoribus cum certa <sup>thoritas</sup> authoritate commendabant, & posteris de manu <sup>certa,</sup> in manum tradebant. Et isti quidem Patriarchæ ac Maiores ἀπέσως hoc verbum à Deo accipiebant, nō autem totus populus credentium in verum Deum sed per istos Patriarchas ac maiores alij docebantur. Deus volens Abrahæ Patriarchæ interitum Sodomæ ac Gomorrhæ diuinamq; illam vltionem pro peccato horrèdo inflictam reuelare (quam alioqui ciuitatum illarum destructionem casui aut causis naturalibus alij tribuissent) vt hoc terribili exemplo posteris ab illo flagitiosissimo scelete cauerent, hanc sui facti causam subiungit. *Scio enim quod praecepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, vt custodiant* <sup>Gen. 18.</sup> *riam Domini, & faciant iudicium & iustitiam.* Sicut ergo hic Abrahæ, sic ceteris patriarchis Deus vt antea Noe, ac postea Isaac, & Iacob, & alijs ideo voluntatem suam reuelauit, vt illi suos posteros Dei voluntatem docerent: Hoc enim sensu Noe iusticiæ præconem D. Petrus vocat. *Quemadmodum enim nunc qui Ecclesiam non audit est nobis sicut ethnicus & pu-* <sup>2. Pet. 2.</sup> <sup>Matt. 23.</sup> *blicanus,*

*glicanus*, ita illo tempore qui Abraham & reliquos patriarchas Dei mandata docentes ac præcipientes (*præcepturus sit filiis suis & domui suæ*) non audiebant, haud dubiè è populo Dei exterminabantur, & tum à Deo tum à pijs omnibus execrationi habebantur. Non ergo ut tu colligis, solius Dei autoritate, sed etiam Ecclesiæ quæ tunc erat iudicio atque autoritate, illud verbum Dei non scriptum populo fidei summa autoritate traditum & commendatum fuit. Sanè quæ Moyses in toto libro Geneseos scripsit, ex traditione Maiorum scripsit, ex schola iudicij Aeber, ex schola Mathusalem, Enoch, Noe & Abrahamæ, ut ex Rabbi Mose citat Didymus Alexandrinus in Gen. cap. 7. & habetur in catena Græcorum patrum super pentateuchum.

In altera parte argumentationis tuæ absurdè disputas, & nihil ad propositum concludis. Absurditas tua duplex est. Primum in modo loquendi, deinde in forma ratiocinandi. In modo loquendi absurdissimè peccas, quum dicis, *quòd lex scripta in cordibus* de qua ad Roman. 2. Paulus agit, & quam tute ipse postea agnoscis *legem naturalem esse, naturaliter scriptam in cordibus*, ut Paulus disertè loquitur, *est altera pars verbi diuini*. Itane verò lex naturæ in cordibus omnium hominum naturaliter scripta est *altera pars verbi diuini*? Fluit quidem illa & derivatur à lege Dei æterna, sicuti & ipsum ius gentium, omnesque leges ciuiles & humanæ quæ recta ratione nituntur. Sed alteram partem esse verbi diuini, ut de verbo Dei Theologi loquuntur, nemo hæcenus Theologus dixit. An fortè somnias illud verbum Dei non scriptum quod Deus *ἀπέσπευ* patriarchis loquebatur, fuisse hanc legem naturæ in cordibus hominum scriptam? Ita sanè ex tua argumentatione profus videtur, ubi de verbo scripto & verbo

Legē natura partē esse verbi Dei absurdissimè affirmat  
V Whitakerus.

non scripto disputas, & has quasi duas verbi diuini partes ponis. Sed & hoc te profus existimare, illa tua verba apertius docent, vbi citato Pauli loco iam dicto inferis. *Credimus ergo legi, non propter Ecclesie iudicium & testimonium, sed quia lumen quoddam legis in cordibus nostris impressum atque insculptum retinemus.* At <sup>Legi naturali non credere quàm absurdum.</sup> quàm hoc ineptè à te & ignoranter dicitur Doctor indocte? Itane verò legi naturali credimus? Lex naturalis quid est aliud nisi rationis dictamen? An quod ratio dictat credimus? Ergo omnes philosophos naturales quibus nihil de Deo reuelatum est, in numero credentium pones? Aut si credimus legi naturali, si credimus ei quod dictat ratio animis nostris insita, iudicium rationis erit assensus fidei? Atque ita per te non solum fide in Christum reuelata, sed ipsa quoque ratione & lege naturali iustificabimur? Si enim legi naturali credimus, & iudicium rationis est assensus fidei, fide autem iustificamur, profectò & rationis lumine iustificabimur. Ita vno absurdo dato vides quàm multa sequantur. Hæc est tua magna stupiditas & rerum Theologicarum ignorantia crassissima, quòd credimus legi naturali, & quòd lex naturalis est altera pars verbi diuini. Absurdissime disputator, quomodo totum verbum Dei in solis scripturis perpetuò ponis, & nunc alteram verbi Dei partem in lege naturali in solis cordibus scripta ponis? Mendaces magistros memores esse oportet. Sic ergo, vt dixi, absurdè disputas.

Nunc autem nihil ad propositum concludis, cum sic inferis. *Quanto magis opus est vt Spiritus sancti lumine collustremur antequam Euangelio credimus, &c.* Istud enim nec negatur à quopiã, nec hoc loco à te probandum proponitur: sed illud tibi probandum  
his

his tuis argumentis proponitur, Ecclesiæ vocem & iudicium & testimonium non esse necessarium vt externum medium, quo homines ex Christi instituto ad fidem inducantur, præter illud internum diuini Spiritus adminiculum. Contra hoc Ecclesiæ testimoniū nihil conclusisti, ideoque nihil ad propositū in hac argumentationis tuæ parte disputasti. Omitto hic, vt non singulis tuis absurditatibus immorer, quam ineptè colligas. Lex naturalis scripta est in cordibus & seipsam omnibus probat. Ergo vt Euangelium quæ est lex supernaturalis credatur, diuini Spiritus collustratione opus est. Talis enim est tua consequentia. Aues naturaliter volant & inter alias altissimè aquila conscendit. Ergo vt in cœlum homo conscendat, quæ res supernaturalis est, diuina virtute opus est. Conclusio est certissima; sed connexio & consequentia est ineptissima. Tamen si enim aues volare non possent, alterum tamen quod concluditur necessarium esset. Sic quod à te concluditur verum & necessarium est, sed non propter antecedens tuum verum est; quia etsi lex naturalis in cordibus scripta non esset, sed sola disciplina acquireretur, alterum nihilominus necessarium foret, vt quod supernaturale est à diuino spiritu suppeditetur. Talis est igitur tua consequentia baculus stat in angulo: ergo Deus est in cœlo.

---

RESPONSIO AD  
ARGUMENTVM NONVM.

## CAPVT. IX.

*VWhitakerus.*

**N**ONVM nostrum argumentum ex I. Ioan-  
nis 5. 6. sumitur, vbi hæc verba reperiun-  
tur. τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυροῦν ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια.  
Nihil ad  
rhombū.

Spiritus est qui testatur spiritum esse veritatem,  
hoc est, metonymicè, doctrinam à spiritu traditam  
esse veram. Vetus interpres paulò aliter. Spiritus est  
qui testatur quoniam Christus est veritas. Sed eò-  
dem planè recidit. Sensus enim manifestus est, spi-  
ritum esse qui testetur de spiritu, hoc est cœlesti do-  
ctrina cuius magister est, & de Christo. Vbi spiri-  
tus testimonium in doctrina confirmanda stabi-  
litur.

*Stapletonus.*

Hoc argumentum nihil ad rhombum est. Con-  
cludis spiritus testimonium in doctrina cõfirman-  
anda ex his verbis D. Ioannis stabiliri. Vide nunc  
an aliquid contra Ecclesiæ auctoritatem in confi-  
gnandis scripturis concludas. Quam Ecclesiæ au-  
thoritas consignat scripturas, spiritus quoque testi-  
monium eadem consignat, quia quod Ecclesiæ te-  
stimonium foris docet, spiritus intus docet. Rur-  
sum quum Ecclesiæ auctoritas scripturas confi-  
gnat, ipsa Ecclesia à Spiritu S. edocta, & à Spiritu S.  
per Christum ad hoc in mundum missa, illud facit:  
ergo & hac ratione Spiritus sancti testimoniū per  
Ecclesiæ testimonium non excluditur, sed manife-  
stè includitur. Præterea hic spiritus qui testatur spi-  
ritum

Spiritus S.  
testimo-  
nium ab  
Ecclesiæ  
testimo-  
nio nun-  
quam se-  
paratur.

Spiritus S.  
testimo-  
nium vt  
non exclu-  
dit Scri-  
pturas, sic  
nec Eccle-  
siaz vocem.

ritum id est doctrinam spiritus, vel Christum id est doctrinam de Christo esse veritatem, loquitur per os & vocem & ministerium Ecclesiae, nisi forte enthusiasmos & priuatos afflatus per spiritum hic intelligere velis. Ergo iterum contra Ecclesiae testimonium nihil conclusisti. Nunc vide an non aliquid contra te ipsum concluderis. Si enim spiritus testimonium in doctrina confirmanda necessarium, ex his D. Ioannis verbis ita velis concludere, vt id solum testimonium sufficere arbitraris, reliquaque vt superflua excludat, eodem argumento scripturarum testimonium remouebis. Neque enim scriptura spiritus ipse est, aut internum testimonium spiritus, quantamcunque in ea vim & energiam ponas. Alioqui scripturarum codicem vide vt simplex a doctores, quia Spiritus S. vbi ipsemet in persona est, vbique adorandus est. Qui autem intus corda mouet ad credendum, qui intus operatur vt credamus & bene operemur, ipsemet Spiritus S. est quem Christus suis precibus Ecclesiae suae magistrum esse impetrauit.

## R E S P O N S I O A D A R G V M E N T V M D E C I M V M.

### C A P V T. X.

*VWhitakerus.*

*1. Sect.*

**D**E C I M V M nostrum argumentum ex eodem capite sumitur. ver. 9. vbi haec verba habentur. *Si accipimus testimonium hominum, testimonium Dei maius est.* Vnde intelligimus diuino testimonio nullum

nullum aliud maius aut certius esse posse. At Ecclesie iudicium \* est humanum. Nam si diuinum \* Falsum & impiu-  
\* Ridicu-  
lum. Ecclesie iudicium esse volunt, \* tum hoc de Spiritus S. testimonio intelligant necesse est, atque idem affirmabunt quod nos.

*Stapletonus.*

Ecclesie iudicium non esse merè humanum, sed suo modo diuinum quia Deus per Ecclesiam loquitur, & propter authoritatem eorum quæ loquitur; & quia Deus Ecclesiam suo spiritu semper docet vt loquatur, propter infallibilem veritatem eorum quæ loquitur, in octauo libro huius operis longa & accurata disputatione probauimus. Quum autem inferas, si Ecclesie iudicium diuinum esse volumus, tum hoc de Spiritus S. testimonio intelligamus necesse est, quid velis dicere vix teipsum intelligere arbitror. Ecclesie iudicium est diuinum, non quia eius iudicium est internum illud Spiritus S. testimonium, à quo toto genere distinguitur, quum hoc sit internū illud externū: tamen coniunctum illi hoc semper esse ex parte Dei supra ex diuinis scripturis copiosè ostendimus. Sed est sanè diuinum, quia per os Ecclesie vt organū proprium ac principale in ratione docendi ea quæ sunt fidei, Spiritus S. loquitur vt iam dictum est. Item quia authoritatem testificandi à Deo Ecclesia accepit. Hoc duplici nomine vt diuinum est, sic à Spiritu S. est. Non tamen est ipsum Spiritus sancti testimonium vox Ecclesie, quatenus intus corda mouentur. Hoc autem totum quum dicimus, non nos idem affirmamus quod tu: sed tu idem affirmas, quod nos Catholici antequam tu itaque secta nasceretur, multis seculis affirmauimus; & quod ego antequam tu ad scribendum animum applicares,

iam ab aliquot annis non affirmavi modo sed & accuratè docui.

*VWhitakerus.*

2. Sect. Thomas Aquinas per testimonium hominum hoc in loco intelligit testimonium Prophetarum. At Ecclesiæ testimonium certius esse non potest testimonio Prophetarum. Si ergo Prophetarum testimonio sit aliquod maius, vt Thomas voluit, tum sequetur Ecclesiæ testimoniū non esse \*maximum, quo nobis fidei doctrinæque veritas persuadetur.

\* Falsum, quia est nihilominus in suo genere maximū.

*Stapletonus.*

Thomas Aquinas duplicem sensum illis verbis adfert. Primum vt per testimonium hominum, humanum prorsus testimonium intelligat, vt hæc sit D. Ioannis sententia. Si hominum testimonium inter homines tantæ authoritatis est, vt illud accipiat quasi sufficiens veritatis argumentum, multo magis testimonium Dei in rebus diuinis summam authoritatem habebit. Et hic sensus literalis ac genuinus videtur. Postea sensum à te prolatum proponit, glossam sequutus. Sed illo admissio nihil absurdi sequitur. Testimonio enim hominum id est Prophetarū, olim & etiam Ecclesiæ nunc, testimonium Dei maius est, id est simpliciter nobilius, & efficacius; quia testimonium illud internum est, & intus persuadet; testimonium Prophetarum & Ecclesiæ externum est & inductiuum tantum, non quod intus in animo agat per se & sua vi, nisi diuino spiritu cooperante. De quo interno testimonio D. Ioannes eodem in loco statim subiunxit. *Quoniam hoc est testimonium Dei quod maius est, quoniam testificatus est de filio suo.* Et ne quis quærat quomodo testificatus est, an per vocem de cælo delapsam quum Christus in terris esset, an per opera & signa talia quæ nemo alius fecit, semetipsum explicat dicens.

Testimonio hominum Dei testimonium maius esse, Ecclesiæ testimonio nihil derogat.

1. Ioan. 5.

*ens. Qui credit in filiū Dei, habet testimonium Dei in se.* Hoc videlicet internum testimonium Dei in corde, est testimonium, quo Pater testificatur de filio suo in illis qui credunt in filium Dei; iuxta illud alterius Ioannis dictum. *Qui accepit testimonium eius, id est, signaculum diuini spiritus in corde habet, quod Deus est eorum quæ dicit testis verax.* Ioan. 3.

Rursum hoc testimonium Dei in corde, est testimonium Dei quod maius est omni hominum testimonio; quia homines, etiam si homines Dei sint & organa spiritus vt Prophetæ fuerunt, & Ecclesiarum nunc Pastores sunt, tamen non nisi externum testimonium adferant, quod intus in corde non operatur, nisi testimonium Dei, id est diuini spiritus intus cor tangentis accedat. Nec tamen ex his sequitur quod tu concludis, *Ecclesia testimonium non esse maximum quo nobis fidei doctrinaque veritas persuadetur.* Est enim nihilominus in suo genere maximum, id est, in genere externi testimonij. Quid enim mi Whitakere? An oblitus es quod supra scripsisti. *Respondeo Deum non per se sed per alios loquutum esse, hoc tamen scripturæ authoritatem non minuit. Deus enim Prophetis inspirauit quæ loquerentur, atque illorum linguis, ore, manibus vsus est. Est ergo scriptura etiam immediata vox Dei.* Supra lib. 1. cap. 12. Sect. 1. Hæc tu ibi. Sicuti ergo Prophetarum voces per quos Deus loquutus est, & ipsa scriptura Prophetica testimonium est in genere causæ externæ diuinum, sic & Ecclesiæ per quam Deus loquitur testimonium in eodem genere diuinum est & maximum, et si in alio genere Dei testimonium maius sit.

# RESPONSIO AD ARGVMENTVM VN- DECIMVM.

## CAPVT. XI.

*VWhitakerus.*

I. Sect.  
Christi  
verbis fæ-  
de abuti-  
tur.

VNDECIMVM nostrum argumentum sumi-  
tur ex verbis vltimis quinti capitis Euangelij  
secundum Ioannem, quæ sunt huiusmodi. *Si nota  
creditis scriptis Moysi, quomodo credetis verbis meis?* in-  
quit Christus ad Iudæos. Vnde sic concludo. Qui  
non credunt Scripturis ipsis, ne Christi quidem te-  
stimonio credent, multò minus adduci poterunt,  
vt fidem habeant voci & verbis Ecclesiæ.

*Stapletonus.*

Quod Christus Iudæis dixit, hoc secundum eo-  
rum opinionem dixit, qui pluris faciebant Moysen  
quam Christum. Itaque argumentum est à maiori  
quidem negatiuè non absolutè: sed tantum iuxta  
eorum peruersam opinionem; Alioquin si tu abso-  
lutam esse comparisonem vis, & argumentum à  
maiori absolutè, age & Iudæos doce contra Chri-  
stum argumentari, vt suum Moysen Christo præ-  
ponant, literasque Moyseicas Euangelio & doctrinæ  
Christi anteferât. Ita tu quid vel absurdissimū ma-  
ximeq; impiū ex tua collectione sequatur nihil pè-  
si habes, modo aliquam argumenti speciem confi-  
cias. Quid enim? An verè existimas neminem posse  
in Christum credere, nisi prius Moyseicis literis  
credat? Ergo gètiles omnes qui de literis Moyseai-  
cis nihil audierunt, ab agnitione Christi excludes,  
& solos Iudæos Christianæ doctrinæ capaces esse  
affirmabis? Vel Moyseicas literas prius esse ab ho-

VWhita-  
kerus scri-  
pta Moy-  
saica Chri-  
sti verbis  
anteponit

Absque  
scriptis  
Moyseicis  
Christiani  
sunt.

mine

mine ethnico addiscendas & credendas dices, antequam Christi testimonio & doctrinae credat? Apage cum his tuis Iudaicis, & conclusionibus ad summam impietatem trahentibus. Petrus Cornelium hominem gentilem Christi fidem docuit & baptisauit, literis adhuc Moyfaicis nihil imbutum. A&. 10.  
 Sic Paulus vna concione in Areopago Atheniensi A&. 17. facta quosdam sibi adiunxit & ad fidem pertraxit, de literis Moyfaicis nulla adhuc facta mentione. Deinde si tua collectio aliquid valeret, de solo Pentateucho valeret, nõ de scripturis indefinitè aut in vniuersum. Sed nihil minus quam hanc tuam dementiam in illis verbis Christus Dominus docere voluit. Iudæorum tandem modo peruicaciam reuertit, qui de suo Moyse gloriantes, illius literis plus tribuebant quàm testimonio Christi, tot illustribus miraculis & ipsis literis Moyfaicis confirmato. At habes interpretes qui hæc verba ex tua sententia exponunt. Illos videamus.

*VWhitakerus.*

Iansenius Papista ait esse argumentũ à maiori, 2. Sect.  
*quia sicuti firmitus est quod mandatur literis, ita est culpa.* Auctores  
*bilus & maius non credere scriptis, quàm non credere ver-* suos fide  
*bis.* Et Theophylactus hunc locum sic interpreta- mutulat.  
 tur. *Si non creditis verbis scriptis, quomodo credetis verbis*  
*meis non scriptis?* Ου πιστεύετε τοῖς γεγραμμένοις, καὶ πῶς

*πιστεύετε τοῖς ἑμοῖς ἀγράφοις ῥήμασιν;* Constat ergo eos qui ipsarum scripturarum autoritate non commouentur, vt eos pura fide complectantur, nulla alia ratione vel autoritate ad credendum induci commoueri que possent.

*Stapletonus.*

Iansenium modernum scriptorem, insigni impudentia mutilasti, & omnium hæreticorum more Catholici authoris orthodoxam expositionem de-

truncatam protulisti, quæ si integra prolata fuisset tuam collectionem nihil omnino iuuasset, imo vanam & inanem esse ostendisset. Sic enim apud eum post verba à te citata immediatè sequitur. *Est ergo sensus. Si non creditis etiam scriptis Moyse, quorum tamen auctoritas, sicut & auctoris, semper apud vos fuit sacrosancta, quomodo creditis non scriptis verbis meis, qui tam exigua sum apud vos auctoritate?* Hæc ille. Vides ergo quòd doceat argumentum quidem esse à maiore, sed ex opinione illorum, non simpliciter: plane eo modo quo diximus. Sed nec Theophylacti verba integrè prolata, quem adhuc turpius maculasti causam tuam iuuant. Hæc enim eius integra sententia est. *ἐκείνος φησιν, ἔγραψε, καὶ παρέειπεν ὑμῖν ἀεὶ πρὸ ὀφθαλμῶν τὰ βιβλία. ὡς ἐκῶν ἐπιλάδοισθε, ἔχειν πάλιν ῥαδίαν τὴν ἀνάμνησιν; καὶ ὅμως ἔπιστεύετε τοῖς γεγραμμένοις; καὶ πῶς πιστεύετε τοῖς ἐμοῖς ἀγραφοῖς ῥήμασι;* Ille Moyses (inquit Christus) scripsit, & semper ante oculos vestros libri eius sunt; adeò vt si forte eorum obliuisceremini, facile tamen eorum denudò recordari possitis, & tamen verbis eius scriptis non creditis. Quomodo ergo meis verbis non scriptis creditis? Hæc Theophylactus. Vides eum Christi verba sic explicare, non vt comparationē faciat inter scripta Moysaica & testimonium Christi, quoad vtriusque certitudinem & firmitatem sicut tu ex Theophylacto colligis; sed quòd comparationem instituat inter scripta permanentia & perpetuò in manibus versantia ipsius Moysis, & inter Christi verba ad momentum audita & cito transeuntia. Vt hic sit sensus iuxta Theophylactum. Si illis literis Mosaicis antiquis, & in Synagoga vestra per omnia sabbata lectis, quas & semper præ oculis habetis adhuc non creditis, quomodo sermonibus quos hodie auditis cras obliuiscimini creditis? Sed altera Iansenij expositio & quam

prius attulimus magis literalis esse videtur. Vt-  
cunque est, neutra horum authorum expositio in-  
tegrè prolata tuum commentum adiuuat.

*VWhitakerus.*

Superiora argumenta Stapletonus non attin-  
git, quibus causam nostram abundè demonstrari <sup>3. Sect.</sup>  
constat; Sequuntur nunc verò quædam quæ ille  
conatur diluere. Proponit enim lib. 9. capit. 2. sex  
Protestantium, vt ille vocat, argumenta, quibus se-  
orsim singulis cap. 3. respondet. Quatuor prima  
argumenta ex Caluino sunt desumpta, lib. 1. In-  
stitut. cap. 7. reliqua duo ex alijs, quæ nos superio-  
ribus adiungemus, vnâ cum eorum defensione.

*Stapletonus.*

Si superiora tua argumenta prius non attigi, sa-  
tis nûc opinor tempestiuor, & propius quàm vo-  
luisti ea attigi, penitusque palpauit, & qualia sint,  
quam absurda, inepta, impia, cuius cordato lecto-  
ri palpanda dedi. Nunc iterum me in arenam  
prouocas, & responsiones quasdam nostras qui-  
busdam tuorum argumentis olim factas, refutare  
proponis, tum vt tuum Caluinum aliosque in Sa-  
tana confratres tuearis, tum vt labores olim no-  
stros irritos in hac parte & inanes ostēdas. Tuam  
igitur refutationem solius veritatis sacræ studio  
expendemus; quæ si iusta fuerit, veritati locus da-  
bitur, vt æquum est; sin vt hætenus tua fuerunt  
omnia, inepta, absurda, & impia appareat, explo-  
detur mendacium, & vincet veritas. Audiamus te  
igitur.

RESPONSIO AD  
ARGVMENTVM DVO-

DECIMVM.

CAP. XII,

*VWhitakerus.**I. Sect.*

**P** R I M V M igitur Caluini argumentum erit nostrum duodecimum quod in hunc modum se habet. Si ab Ecclesiæ determinatione pendeat scripturæ Canon, tum & promissionum omnia quæ de salute ac vita æterna in scripturis extant, auctoritas, veritas, ac fides ex humano iudicio pendet: quia promissis scilicet credimus ob Canonicam scripturarum in quibus habentur auctoritatem. At absurdum est vt promissiones Dei ab hominibus pendeant, vt æterna Dei veritas hominum arbitrio nitatur, quia tum nulla erit conscientijs nostris fiducia, nulla securitas. Ergo scripturæ Canon ab Ecclesiæ determinatione non pendet. Respondet Stapletonus, iudicium Ecclesiæ hac in re non esse merè humanum, sed diuinum & infallibile, vt in eo animus fidelis turissimè acquiescere possit: ac proinde Caluini argumentum non sequi.

*Stapletonus*

Disputator ignaue & perfide, plura & plenius respondet Stapletonus. Quare totam hanc responsionem paucis verbis comprehensam, & vno atque altero bono argumento ex scripturis munitam, integram non posuisti, vt sic videret lector an responsionis factæ vim & pondus totum dexterè & aptè tribuertisses? Sed aduersarius imbellis & ignaue, totas hostis copias reformidat: Agminis extrema carpit, & reliquias quas potest persequitur. *Tota mea*

*VWhitakerus disputator ignaue & imbellis*

mea responsio huiusmodi erat. Ad primum responde-  
tur Ecclesiæ iudicium hac in re non est merè humanum, aut  
vlllo modo dubium, vt propterea fluctuare debeat fidelis ani-  
mus audiens Ecclesiam scripturam commendantem; sed est  
diuinum & infallibile, vt ei propterea obedienter parere de-  
beat, & tutissimè acquiescere possit fidelis animus sicuti su-  
pra explicatum est in quarta Controuersia lib. 8. capit. 12.  
& seqq. Diserte enim dixit per Apostolum Spiritus sanctus,  
dedisse Christum Apostolos, Prophetas, Pastores & Doctores  
&c. ne circumferamur omni vento doctrinae, ideoque per Ec- Ephes. 4.  
clesiam consultum conscientijs voluit ne instabili dubitatio-  
ne perpetuò circumferamur, quod soli arcano testimonio  
Spiritus tribuendum docuit modo Caluinus. Et hæc est illa  
consummatio sanctorum, id est, confirmatio seu corroborati-  
o vt alibi explicauimus, ne semper sumus paruuli fluctuan-  
tes: ad quam operandam Christus dedit Ecclesiæ magistros  
& prepositos. Neque enim quum Ecclesiæ iudicio nititur fi-  
delis, in ipsa Ecclesiæ voce seorsim accepta & quasi humana  
acquiescit, sed in Deo per Ecclesiam loquente: vt in quarta  
modo Controuersia ostensum est. Ideoque à Deo qui per Ec-  
clesiam loquitur, securitatem atque fiduciam tum ipsarum  
scripturarum, tum diuinarum promissionum; que in scri-  
pturis habentur, animus fidelis petet. Lib. 8. c.  
19. & seq. Hæc est plena &  
absoluta responsio mea, quam tu in mirabile com-  
pendium contraxisti, vt neque argumentum vllum  
aut rationem eius quod dicebat ut eam habere pa-  
terere, neque simplicem eius assertionem plenè &  
perspicuè aperires. Nunc quid contra hanc respon-  
sionem (hæc enim mea ad verbum responsio est) di-  
sputes, videamus.

*VWhitakerus.*

Sed, quid hoc est? Ecclesiæ iudicium non est 2. Sect.  
merè humanum. Esto. Sed estne merè diuinum?  
Nam hoc certè requiritur, vt veritas promissionum  
de vita æterna, testimonio merè diuino nitatur ac

Mendaciū  
quia di-  
ferre affir-  
mat.

\* Menda-  
ciū, quia  
hic aper-  
tissimè  
respondet.

fulciatur. Id Stapletonus non affirmat; sed postea intelligere velle videtur, cum ait diuinum ac infallibile esse, & fideles animos in eo posse acquiescere. Sed \* hic apertè non respondet.

*Stapletonus.*

Quid agas, aut quid dicas, aut quomodo respondeas, penitus ignoras: ideoque huc illuc te vertis, modo interrogans quid velim dicere, mox negans me id dicere quod petis, & statim agnoscens idem à me dici, sed non satis apertè. An non verò apertissimè respondi testimonium Ecclesiæ hac in parte diuinum ac infallibile esse? An non superiori libro in loco à me notato, longa & accurata disputatione demonstraui, varijsque scripturis idem confirmaui? Nonne etiam hoc loco rationem subieci cur eius testimonium diuinum haberi debeat, *Deo videlicet per eam loquente?* vt quid igitur dubitas, vt quid fluctuas, vt quid ambigis, an Ecclesiæ hac in parte testimonium diuinum esse dixerim? Quid tandem est, cur tibi non satis apertè respondere videar?

*VWhitakerus.*

3. Sect.

\* Menda-  
ciū, quia  
hoc nullo  
modo  
quæritur.

Quæritur enim vtrum ea quæ in scripturis promittuntur, ob Ecclesiæ \* tantum authoritatem à nobis vera esse credantur, an ob aliquod certius iudicium.

*Stapletonus.*

Ita sanè: tu istud quæri velles, & hunc esse huius Controuersiæ statum, tu libenter optares, vt sic à me Spiritus sancti internum testimonium negari ostenderes, & aliquid semper per fugij haberes, quo argumenta pro Ecclesiæ authoritate firmissima declines. Sed iam in præcedentibus iterum atq; iterum satis superque ostensum lectori est, istud non quæri, sed contra vtrum cum interno diuini Spiritus te-



est, non scripturæ, quæ nec iudicat ipsa vnquam, nec semper & in omni quæstione iudicandi media suppeditat.

6. Sect.

\* Scriptum  
singular.  
videtur.  
\* Mendacium per-  
frictæ  
frontis.

*VWhitakerus.*

Sed cum sic respondet, nihil agit. \* Non enim quæritur vtrum Ecclesiæ iudicium in se diuinum sit, sed vnde nobis constet diuinum esse: nisi forsitan ipse sit oblitus causæ suæ. Hoc ille omninò † non docet.

*Stapletonus.*

Non sanè hoc doceo, prout tu meam responsionem recitasti, cuius maximam partem prætermisisti. Sed in ipsa responsione mea, quàm prius repetij facile apparet me iam dudum hoc accuratè docuisse, vnde nobis constet Ecclesiæ iudicium diuinum esse, libro videlicet & loco eiusdem operis quod impugnas, illic annotatis: teque consec uenter hic impudenter & affectatè mentiri, quum dicis. *Hoc ille omninò non docet.* Deinde in eo etiam mentitis quòd ais, *queri vnde nobis constet Ecclesiæ iudicium diuinum sit.* Hoc enim isto loco non quæritur, sed optimo iure supponitur, quia in libro proximè præcedenti operosè id & quæsitum & demonstratum est. Quare non ego causæ meæ oblitus fui, sed tu omnis pudoris ac modestiæ oblitus videre, qui in tam paucis verbis tot mendacia effuristi.

*VWhitakerus.*

7. Sect.

\* Perpetuum ef-  
fugium.

\* Negat  
quod in

Ait modò Deum per Ecclesiam loqui; quod nos quidem fatemur: sed quærimus præterea vtrum ea quæ Deus per Ecclesiam loquatur & doceat, propter Ecclesiæ \* duntaxat authoritatem à nobis vera esse credantur: & vtrum non alio modo constet, Deum per Ecclesiam loqui quàm ex ipsius Ecclesiæ testimonio. Hoc ille cum non doceat, nec † ostendat quomodo nos sciamus Ecclesiæ iudicium diuinum

num

num esse, palam tergiuersatur, nec concludit id, eadem  
sectione  
fallius est.  
quod in quaestione positum fuit.

*Stapletonus.*

Redis ad antiquum effugium tuum, ut quum negare nequeas Ecclesiae iudicium esse diuinum, & Deum per Ecclesiam loqui, quod hic te fateri ais, hac saltem euidas, non propter solius Ecclesiae auctoritatem ea credi quae Deus per Ecclesiam credenda doceat. Cui euasioni tuae iam centies responsum est. Addis me palam tergiuersari quod non ostenderim quo modo nos sciamus Ecclesiae iudicium diuinum esse. Sed videat ac iudicet Lector, si tu non palam adeoque manifestissime haec dicens tergiuerseris. Agnoscis me dixisse, ideo Ecclesiae iudicium diuinum esse, quia Deus per Ecclesiam loquitur. Fateris mecum Deum per Ecclesiam loqui. Ostendi ergo quomodo sciamus Ecclesiae iudicium esse diuinum: Nempe quia scis & fateris Deum per Ecclesiam loqui. Sed & hoc ipsum in praecedenti disputatione hoc loco à me annotata uberrime ostendi, ut non palam modo, sed planè pueriliter & ineptissime tergiuerseris tu, qui à me hoc ostensum negas, ideoque tergiuersatum esse proclamas. Haec ideo facis, quia nihil solidi habes quod respondeas.

*Whitakerus.*

Multum enim interest inter haec duo pronuncia- **S. Sct.**  
ta, Deus per Ecclesiam loquitur, & Nos non possumus aliter de scripturis ac Dei doctrina certi esse, quàm quia Ecclesia de illis testatur. Coclæus quidem de quo supra accepimus, non aliter posse nos de scripturarum doctrina certò persuaderi asserit, quàm testimonio Ecclesiae. Multa enim in scripturis *παράδοξα*, incredibilia, homo improbus commemorat, quibus ob Ecclesiae duntaxat auctori-  
tatem

*Menda-  
m.*

tatem à nobis fidem adiungi mentitur. \* Sic Stapletonus & sentit & loquitur hoc ipso in capite. Ait enim Ecclesiam non facere vt quæ in scripturis continentur vera sint, facere tamen vt à nobis vera credantur. Ex quibus apparet verum esse quod Calvinus arguebat, hoc modo totam nostram fidem ex sola Ecclesiæ autoritate, humanoque iudicio pendere.

*Stapletonus.*

Omni respondendi ratione legitima destitutus, diuerticula quæris, antiqua & olim reiecta relambis, ab vna materia in aliam te transfers, vt chartam repleas atque aliquid pro Calvino respondisse videaris. Totum hoc quod de Coclæo hic narras, & totum illud discrimen inter illa duo pronunciata quæ ponis, statim à principio disputationis huius, à te positum, à me reiectum ac refutatum est. Quod autem subiungis me in hoc capite sic sentire & dicere vt Coclæum dicere affirmas, videlicet ob Ecclesiæ duntaxat autoritatem fidem à nobis scripturis adiungi, præterquam quod splendidum mendacium tuum est, vt supra accepimus, ad huius quoque argumenti tractationem aut solutionem nihil pertinet: nec etiam in hoc capite (vt tu negligenter affirmas) sed in præcedenti capite habetur illud, quod me dicere subiungis estque iam antea in principio huius defensionis nostræ contra te defensum. Tu tamen ex istis quæ nihil ad hoc argumentum pertinent, egregiè videlicet & acutè concludis verum esse quod Calvinus arguebat, *hoc modo totam nostram fidem ex sola Ecclesiæ autoritate humanoque iudicio pendere.*

*Suprà  
lib. 1.  
cap. 2.  
sect. 6.*

*Ecclesia  
facit vt  
credamus  
sed non  
sola.*

Sed qua quæso arte hæc duo connectis? Ecclesia facit vt ista credantur, Ergo horum fides ex sola Ecclesiæ autoritate humanoque iudicio pendet?

Con-

Connexio quam sit inepta, in simili videbis. Oculorum bonitas facit vt homo clarè videat. Ergo visus noster ex sola oculorum bonitate pendet. Etsi antecedens sit verum, non tamen luminis necessitatem (sine quo nihil videtur) excludit, sed vnã causam exprimit, bonam organi dispositionem. Sic in re proposita etsi antecedens sit verum quod Ecclesia facit vt ista credantur, non tamen diuini spiritus internam operationem (sine qua nihil creditur) excludit, sed vnã credendi causam exprimit, externum medium à Christo institutum quo homo ad credendum inducitur.

Deinde quomodo nunc cum Caluino Ecclesie authoritatem, humanum iudiciũ vocas, quum iam iam disertè falsus sis, *Deum per Ecclesiam loqui*, & disertè concesseris *Ecclesie iudicium esse diuinum*, quia non de eo quæri ais, vtrum sit in se diuinum, sed vnde nobis constet esse diuinum. Quomodo præceptum illud retinebis, *Mendacem oportet esse memorem*, qui in eadem pagina & post paucas lineas tuorum verborum memor esse nequeas? Hactenus ergo merè tergiuersatus es. Nunc an meliora subiungas videamus. Tu enim certè palpando pergis, vt in tenebris fieri solet, & modò hoc modò illud pertentas, vt aliquam respondendi viam & exitum inuenias.

*VWhitakerus.*

At scriptura longè aliter, meliusque docet. Sic enim legimus, 1. Ioan. 5. 10. *Qui non credit Deo, mendacem eum facit. Qui ergo non aliter credit Deo promittenti, quàm propter authoritatem alterius, is certe alteri illi magis credit quam Deo, atque ita Deum mendacem facit.*

*Stapletonus.*

Hic aliquid acuminis adhibuisse videris; sed nullum

*sibi ipsi  
contra dicit  
VWhitakerus.*

*Suprà  
sect. 6.*

*9. Sect.  
Scriptura  
facit abn.  
titur.*

Deo creditur seu per se seu per alios loquenti. Hebr. 1.

nullum est. Neque enim scriptura dicit, Qui non credit soli Deo immediatè loquenti, vel qui per alterius auctoritatem credit Deo, mendacem eum facit; sed hoc solum dicit. *Qui non credit Deo, mendacem eum facit.* Deo autem credimus, siue per seipsum immediatè loquatur, siue per Prophetas vt olim, siue per filium vt postea, siue per Ecclesiam vt nunc. Hæc enim omnia sunt conditio & modus loquentis Dei. Aequè autem Deo credendum est per alios loquenti, per quos se loqui velle reuelauit, quam per se *απεως* loquenti. Sic enim Christus dixit.

Luc. 10.

*Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.* Hic vides Deo credi per Christum, Christo credi per Ecclesiam.

Deo creditur per vocem Ecclesiæ.

An hinc colliges? Qui non credit Deo Patri nisi per Christum, mendacem facit Deum Patrem? Et rursum. Qui non credit Christo nisi per Ecclesiam, mendacem facit Christum? Illud si seriò dicas, age & dic Paulo; tu mendacem facis Deum. Dixit enim ille. *Quomodo credent Deo quem non audierunt? & quomodo audient sine prædicante?*

Rom. 10.

An non hoc est dicere, Non credimus Deo nisi propter vocem prædicantis Ecclesiæ? An hoc mendacem facit Deum? Pauli igitur doctrina hoc facit. Quum igitur ita ex illis D. Ioannis verbis, infers & concludis, *Qui ergo non aliter credit Deo promittenti quam propter auctoritatem alterius is certè alteri illi magis credit quam Deo,* ineptissimè concludis. Qui enim non aliter credit Deo

Qui credit Deo propter Ecclesiam à Deo nihilam, magis credit Deo.

seu promittenti seu aliquid aliud dicenti (perinde enim hoc est) quam propter auctoritatem Ecclesiæ, ex cuius voce & prædicatione Deus voluit vt omnia crederemus, ille certè non magis credit Ecclesiæ quam Deo, quia propter Dei ordinationem & voluntatem credit Ecclesiæ, ideoque credendo Ecclesiæ quam Deus audiri iubet, magis credit

Deo

Deo quam Ecclesiæ, quia propter iubentem & ordinantem Deum credit Ecclesiæ. Vnumquodque autem propter quid, & illud magis. Sic qui credit Deo Patri propter Christum, quia ille Christum *misisit in mundum vt testimonium perhiberet veritati*, non magis credit Christo quam Deo, sed e contra magis credit Deo quam Christo, quia propter mittentem Deum Christo credit. Atque hinc fit vt qui Christum spernat, spernat Deum qui misit eum: Rursum qui Christum audit, Deum audiat qui misit eum. Vnde ipse profiteretur. *Mea doctrina non est mea sed eius qui misit me.* Quod si verò aliquis non aliter <sup>Ioan. 18.</sup> crederet Deo quam propter authoritatem alicuius alterius, quem ipse Deus non miserat, aut cui credendum esse tanquam sibi Deus non mandauerat, denique qui aliquid esset prorsus à Deo seiunctum & independens, sequeretur planè quod tu dicis, eum magis alteri credere quam Deo ac sic non credere principaliter Deo, sed nescio cui alteri, & consequenter Deum mendacem facere, id est Dei verbum ac fidem in dubium vocare. At in Ecclesiæ testimonio audiendo vt sic Deum cognoscamus, non ita se rem habere iam satis ostensum est.

Præterea quod dicitur nos non aliter credere Deo quam propter Ecclesiæ testificantis authoritatem, hoc non ita simpliciter & absolutè dicitur quasi aliter Deo credi non possit; sed hoc dicitur <sup>Credere Deo propter Ecclesiæ authoritatem quomodo verum.</sup> posita Dei ordinatione & voluntate, qui non iam loquitur hominibus per se & *apertus*, vt olim Patriarchis neque per Prophetas extra ordinem missos, vt in veteri testamento, neque amplius per Christum ipsum qui sedet ad dexteram Patris, sed per <sup>Ephes. 4. Martn. 28. Ioan. 17.</sup> Pastores & Doctores quos Christus ipse dedit, & sic misit in mundum vt docerent omnes gentes sicut ipsum Pater miserat in mundum vt manifestaret nomen eius hominibus.

V V h i t a k e r u s .

10. Sect.  
Pauli ver-  
bis abuti-  
tur.

Præterea, hoc modò Ecclesia esset domina fi-  
dei nostræ : cui repugnat illud Pauli 2. Cor. 1. 24.  
Non dominamur, & *οὐκ ἐπινοοῦμεν* fidei vestræ. *τῆς πίστεως*  
*ἡμῶν ὑμῶν*. Per fidem statis. Stamus quidem per fidē, ea-  
que est Spiritus S. donum, non Ecclesiæ. Non ergo  
propter Ecclesiæ sed Spiritus S. autoritatē fieri vi-  
demus, vt in fide stabiles cōstantesq; perseueremus,  
nec à diuina gratia excidamus. Stapletonus.

2. Cor. 1.

1. Cor. 4.

Ecclesia  
docendo  
fidem non  
domina-  
tur fidei  
sed coo-  
peratur.

Nec hæc te scriptura iuuat, vt necessariam Ec-  
clesiæ autoritatem circa ea quæ credenda sunt,  
remoueas. Pauli verbis abuteris, quod ex toto con-  
textu & loci circumstantia facile apparet. Apostolus  
quum dixisset, & quidem cum iuramento dixisset,  
*Parcens vobis, non veni Corinthum*, docens se ideo ad-  
uentum distulisse, quem in priori epistola promi-  
serat, ne aliquid in eos durius statuere cogeretur,  
vnde & in priori epistola dixerat. *Quid vultis, vt in vir-  
ga veniam ad vos, an in charitate?* vt huius verbi inui-  
diam mitigaret, addit non se hoc dicere, *quasi domi-  
naretur fidei eorum*, id est, quasi in ipsos iam creden-  
tes dominium temporale exerceret & imperium pro-  
hibito. Vtitur enim verbo *οὐκ ἐπινοοῦμεν*, quod est cū quo-  
dam imperio dominari. Non tamen iustæ suæ au-  
thoritati quicquam, propterea derogat. Vnde addit.  
*Sed adiutores sumus gaudij vestri*, *συνεργοί* cooperatores  
salutis vestræ, & fidei, vnde merito gaudetis, *fide  
enim statis*. Deus igitur dominatur fidei vestræ, Deus  
est qui pro suo beneplacito omnem fidei doctri-  
nam, omnemque disciplinæ mensuram ac censuræ  
modum (de ea enim agebatur) suggerit atque præ-  
scribit: sed nostro ministerio id facit: nosque coo-  
peratores sumus Dei in omnibus quæ ad fidem ve-  
stam ac morum disciplinam pertinent. Hoc sensu  
in priori epistola cap. 3. dixerat. *Dei sumus adiutores:*

1. Cor. 3.

at in

at in alia epistola. *Adiuuantes exhortamur ne in vacuum* 2. Cor. 6.  
*gratiam Dei recipiatis.* Nempe quia omnia per Eccle-  
 siæ ministerium Deus facit, siue docendus, siue ad- Per Eccle-  
 siæ mini-  
 sterium  
 Deus  
 omnia fa-  
 cit.  
 hortandus, siue increpandus, siue etiam corripien-  
 dus, & iusta disciplina castigandus populus fidelis  
 est; ideo Deus quidem illa principaliter facit; & sic  
 dominium in illis omnibus ac principatum tenet.  
 Ecclesiastici tamen ministri Deo cooperantes, vt  
 organa Spiritus sancti eadem omnia faciunt: do-  
 cent, adhortantur, increpant, corripunt, censuram  
 & disciplinam exercent; non dominantes sed ad-  
 iuuantes siue cooperantes Deo; ideoque verè faci-  
 unt, & vera obedientia illis debetur vt Dei mini-  
 stris. Sic ergo in re proposita, Ecclesia consignando  
 scripturas non est domina fidei nostræ, sed adiuuat  
 & cooperatur fidei nostræ, suo amplissimo testimo-  
 nio ad eam recipiendam inducens. Sic fides est Spi- Fides ef-  
 fectus te-  
 stimonij  
 Ecclesia-  
 stici.  
 Rom. 10.  
 ritus sancti donum non Ecclesiæ, quantum ad in-  
 ternam illam persuasionem qua efficaciter credi-  
 mus: sed tamen quia *fides est ex auditu Ecclesiæ* vt  
 Paulus docet, fides est effectus testimonij Ecclesia- Rom. 10.  
 stici: de quo effectus Paulus Corinthijs dixit. *Per* 1. Cor. 4.  
*Euangelium ego vos genui.* Quomodo per Euange-  
 lum genuit eos Christo nisi quòd per prædicatio-  
 nem Euangelicam fecit eos credere Christo? Quo-  
 modo eis dicit, *etsi mille pedagogos in Christo habeatis,*  
*tamen non multos Patres,* nisi quia primam suam fi-  
 dem ab illo acceperunt? Sic ergo non solū propter  
 Spiritus S. auctoritatem, sed & propter Ecclesiæ  
 auctoritatē fieri videmus, tū vt credamus tū vt in  
 fide stabiles permaneamus; quia opera, ministerio,  
 voce, prædicatione, testimonio, adiutorio & coope-  
 ratione Ecclesiæ vt Spiritus S. vult. *Consummatio* Ephes. 4.  
*sanctorum* quam Paulus Ecclesiæ tribuit, est confir-  
 matio fidelium, vt in fide stabiles ac firmi perma-  
 neant.

neant. Paulus ipse in suis epistolis omnibus, quid aliud quàm confirmat fideles, adhortando, monēdo, docendo, interdum etiam acriter increpando vt Galatas maximè? Sed ad alia pergamus.

*Whitakerus.*

11. *Sect.*

Deinde hac etiam ratione sequeretur, vltimum fidei nostræ exitum ac resolutionem (quam vocant) esse in Ecclesiæ vocē atque iudiciū. Quod quidem nonnulli Scholastici ijque magni nominis, iam dudum non sunt veriti disertis verbis affirmare: at recentiores Papistæ negant, & Stapletonus ipse alibi contrà disputat. Sed qua demum ratione, si propter Ecclesiæ authoritatem credimus, quæcunque credimus vt Stapletono placuit? Si enim Ecclesiæ iudicium faciat, vt scripturæ libri sint Canonici nobis, tum certe facit, vt ea quæ in scripturis continentur, à nobis vera esse iudicentur ac credantur. Quod quidem si ita se habeat, \* nonne fides postea in Ecclesiæ vocem vltimò resoluitur? Propter Ecclesiam credimus & scripturis & omnibus quæ tradita sunt in scripturis. Hoc enim est quod Stapletonus ait, Ecclesiam facere vt quæ in scripturis reperiuntur, pro veris credantur & habeantur. Ita \* non animaduertit se suam ipsius sententiam euertere.

\* Toto cæco errat.

\* Cæcus non potest iudicare de coloribus.

*Stapletonus.*

Fecit in te cæca animi pertinacia hæreticis propria, Whitakere, vt videre, aduertere, & discernere nequeas, quantum inter hæc duo intersit, Ecclesia facit vt credamus omnia quæ credenda sunt, & Ecclesiæ vox est vltimus fidei nostræ exitus ac resolutione? An sic tardus & hebes es, vt alterū ex altero necessario consequi existimes? At hanc tuam tarditatem excutere poterant ea quæ tu agnoscis me alibi hac de re scripsisse; ex quibus hic aliqua repe-

Ecclesia facit credere, nec tamen est vltima resolutione fidei.

tam,

tam, & propter tuam tarditatem paulò explicatius dicam. Quod vt compendio faciam, illa vna sola ratio docere te hoc potuit, quam in principio cap. 20. lib. 8. posuimus; quæ hæc est. Ecclesia facit quidem vt credamus, sed quia non principaliter hoc facit, nec in fide ingeneranda principale agens est, sed conditio tantum agentis & organum ac ministerium per quod Deus agit, præterea eius vox & testimonium non est formalis ratio aut vltima resolutio fidei nostræ, sed Deus ipse eiusque diuina veritas, quæ per os Ecclesiæ nobis annuntiat. Deus vt testis verax est causa formalis cur omnia credamus quæ credenda sunt. Ecclesia hanc veritatem nobis administrans eiusdem fidei nostræ est causa ministerialis, seu vt Paulus loquitur, *causa adiuuans* causa cooperans. Lux est principalis & formalis causa visus. Medium tamen seu diaphanon per quod lux ista ad nos transmittitur, est eiusdem visus in suo genere causa. An sequitur, diaphanon & medium proportionatum facit vt videamus, ergo formalis ratio & vltimus exitus visionis nostræ est diaphanon? Rursum agricola facit, fodiendo, arando, plantando, seminando, rigando, vt arbores & plantæ & segetes crescant. Non tamen horum effectuum formalis ratio est, quia principale agens nõ est, sed inter causas secundas vt humidum & calidum; vltima tamen resolutio Deus est & primus motor vt philosophi loqui voluerunt. Secundum hanc analogiam Paulus dixit. *Ego plantani, Apollo rigauit, Deus est qui incrementum dedit.* Neque obstat quod ad-  
1 Cor. 3.

*dit. Neque qui plantat neq; qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* Negat enim eos esse aliquid respectu & comparatione principalis agentis Dei, non simpliciter & absolutè. Causa instrumentalis respectu principalis agentis nihil esse dici potest.

Quidem securis est respectu fabri aut quid faber respectu Dei? Et tamen vera sunt ista. Securis illa hoc lignum scidit. Faber ille hanc domū cōstruxit: Nec inde sequitur formalis ratio & vltima resolutio fabricatæ huius domus fuit faber, sed vel mens artificis vel Deus ipse qui hanc mentem dedit. In scientijs rerum naturalium comparandis, aliquid facit disciplina magistri, imo ipsis magistris adeo multū tribuitur, vt dixerit philosophus parentibus & præceptoribus æquale reddi non posse. Et tamen scientiæ acquisitæ disciplina magistri causa formalis non est, quū multi admodum magistrū audiant, qui aut propter tarditatem ingenij aut propter propriam negligentiam nihil proficiunt. Sed acquisitæ scientiæ naturalis formalis causa, est lumen naturale intellectus agentis, ingenij perspicacitas cum industria & labore coniuncta. An sequitur, iste magister hos præclaros discipulos erudiuit, & ad scientiam qua valent perduxit. Ergo formalis ratio & vltima resolutio scientiæ quam isti habent, est disciplina magistri? Eodem sanè modo Ecclesia docet omnes gentes, à Christo ad hoc missa. Pastores & Doctores dati sunt, qui omnes doceant: qui corpus Christi aedificent, id est, ad fidem colligant, qui consumment sanctos, id est, confirmant fideles; & Paulus propter hoc officium genuisse se Deo dicit, qui per eius prædicationem conuersi fuerant. Per Euangelium ego vos genui. Multi tamen Paulum audiuerunt qui non crediderunt. Non enim omnes obediunt Euangelio aiebat ipse: idque propter propriam incredulitatem & pertinaciam eorum qui audito Euangelio credere noluerunt. Multum sibi tribuit Paulus quum se Corinthios genuisse Christo dicit, seque patrem eorum esse affirmat. Quare autem hoc dixit, nisi quia per suam prædicationem fecit vt crederent,

&amp; v2

& vt ipsius verbis vtar, *per stultitiam prædicationis suæ* 1. Cor. 1: *saluos fecit credentes?* Sed an propterea Paulus aut Pauli prædicatio fuit formalis ratio, vltimus exitus & vltima resolutio fidei eorum? An Paulus nesciebat ista distinguere, *fides est donum Dei, & fides* Ephes. 2. *est ex auditu?* Age enim, Fides est ex auditu, id est, Rom. 10. auditus verbi Christi (seu in scripturis, vt tu vis, seu ex ore prædicantis Ecclesiæ, vt Paulum sentire supra accepimus,) facit homines credere. Ergo auditus verbi externus est formalis ratio & vltimus exitus seu vltima resolutio fidei? Ergo in Ecclesiâ non in Deum resoluitur fides? Ergo quod de me hoc loco dixisti, idem de Paulo dices? *Non animaduertit se suam ipsius sententiam euertere.* Sed spero nunc tarditatem tuam non nihil excitatam & informatam esse, vt intelligas non quicquid aliquid facit, id statim principaliter facere: vt intelligas causam ministerialem à principali agente distinguui debere: Vt denique intelligas Ecclesiâ quidem ratione sui ministerij & magisterij à Deo accepti, facere vt credamus: formalem tamen rationem non esse cur credamus, sed Deum intus loquentem, suoque diuino spiritu omnem nobis veritatem intus testificantem.

*Whitakerus.*

Præterea dicit Ecclesiæ iudicium diuinum ac 12. Sect. infallibile esse, & in eo fideles animos acquiescere posse. \* Quidni ergò concedat etiam vltimam \* Ignorantia doctō- fidei resolutionem in Ecclesiæ iudicio positam ris indocti. esse?

*Stapletonus.*

Neque hic discernere ac distinguere vales quo sensu in iudicio Ecclesiæ fidelis animus acquiescit.

In Eccle-  
siaz iudi-  
cio quo  
sensu ac-  
quiescen-  
dum.

scit. Sanè vt in iudicio testimonij externi, quod Deus voluit à nobis audiri & recipi sicuti testimonium eius, iuxta multas scripturas in præcedentibus citatas. Sed quia in hoc iudicio & testimonio, Ecclesia non nisi partes agit ministeriales, (Deus enim per Ecclesiam loquitur, non ipsamet Ecclesia Deus est) & rursus quia in hoc quidem iudicio acquiescit fidelis animus sed non per hoc iudiciũ, sed per internam diuini spiritus gratiam; (sicut doctrinæ & authoritati magistri acquiescit discipulus, sed non per illam magistri sui doctrinam, efficienter fit doctus, sed proprio ingenio & industria: ) has duas ob causas tametsi in iudicio Ecclesiæ acquiescit fidelis animus, vt scripturæ docent, tamen vltima fidei resolutio tum quoad causam formalem cur homo credat, Deus intus testificans veritatem est; tum quoad causam efficientem principalem propter quam & per quam principaliter homo credit, Deus quoque per Spiritum suum intus in corde operans est. Sic vltima resolutio cur homo credat Deus est, qui Ecclesiam ad docendum misit, & propter quem mittentem ipsi Ecclesiæ credimus, item quia insitum hoc habet omnis rationalis creatura Deum mentiri non posse, Deum esse semper testem veracẽ. Nam vltra hoc principium humanus animus non quærit. Nemo, inquam, quærit cur Deus sit verax. Quicumque enim Deum esse credit, hoc ipsum credit quoque necesse est. In Deo igitur aliquid loquente prorsus & principaliter acquiescit fidelis animus, vt vltima resolutione & causa cur & propter quod credat. Similiter vltima resolutio & causa principalis agens per quam efficienter homo credit, & quæ actum credendi in mente humana efficaciter producit, est Deus ipse per spiritus sui gratiam,

gratiam, libero hominis concurrente arbitrio Ecclesie iudicium inter causas externas ad credendum mouentes (nam causis externis propter nostram infirmitatem, & vt ordinatè omnia fiant, vt Deus voluit) est maximè mouens, maximè inducens, summa cum authoritate proponens, summa cum infallibilitate docens, cui necessariò parere, quam necessariò audire debemus; ideoque cuius voci & testimonio tutissimè acquiescere, & firmissimè credere, sine periculo possumus & ex obedientia fidei debemus. Vides ergo, & si alia nostra attentè legisses, videre iam dudum potuisses, nisi fortè ne veritatem videas oculos clausos habes, & velo incredulitatis obductos; cur Ecclesie iudicium diuinum & infallibile dicam, vt scripturæ apertissimè nos docent; vltimam tamè fidei resolutionem non esse dicam, vt manifesta ratio persuadet.

*VWhitakerus.*

\* Ex his quæ dicta sunt, apparet, omnes scripturæ promissiones ex Stapletoni sententia, \* nulla <sup>13. Sect.</sup> alia authoritate confirmari, quàm Ecclesie: Vnde <sup>\* Exp v're-  
ctæ fron-  
tis men-  
daciura.</sup> sequitur illud, quod Calvinus ait, omni conscientias nostras securitate fiduciaque penitus spoliari, nihil nobis in religione certum relinqui.

*Stapletonus.*

Ex his quæ iam respondimus manifestè apparet, omnes scripturæ promissiones & quicquid præterea credimus, ex Stapletoni sententia, non sola Ecclesie authoritate, sed maximè Dei per Ecclesiam loquentis, & diuini Spiritus intus in corde operantis confirmari. Vnde sequitur illud, <sup>Caluini  
mendaciæ  
Caluini-  
stæ men-  
daciæ  
ruei non  
potuit.</sup> quod Calvinus ait, posita hac Ecclesie authoritate quam statuimus, *omni conscientias nostras securitate fiduciaque penitus spoliari, nihilq; nobis in religione certum relinqui*, magnum esse mendacium & meram im-

T t s           probi

probi hominis calumniam, quam iste bonus Calvinista frustra hactenus abstergere conatur. Sanè qui Ecclesiae testimonium & iudicium infallibile remouere & refellere volunt, vt cum VWhitakero Calvinus, illi nobis nihil in religione certum relinquunt; quum sublata Ecclesiae auctoritate, vt pro suo quisque spiritu quem sibi venditat, tum quæ sint diuinæ scripturæ, tum quis sit earum sensus legitimus, iudicare possit, nihil aliud restat, nisi vt regula omnium credendorum suus cuique animus sit: & in causa religionis quot sint capita Ecclesiarum, tot sint sententiæ.

VWhitakerus.

14. Sect. Quidni autem, inquit Stapletonus, cùm Ecclesiae testimonium diuinum sit? Respondeo. Fate-  
mur quidem nos Ecclesiae iudicium diuinum aliquo modo esse, non autem *κατὰ τὴν* sed *κατὰ τὴν*\* quatenus scilicet cum scriptura, cum Spiritu sancto, cum diuina voluntate consentiat. Sed tum dicimus iudiciũ illud non propter Ecclesiam, sed propter Dei voluntatem atq; auctoritatem, cum qua conspirat, recipiendum esse.

\* Scilicet iudice te-  
ipio.

Stapletonus.

Ecclesiae iudicium non esse simpliciter diuinũ, sed suo quodam modo, aperte nos docuimus huius operis quod impugnas libro præcedente, vbi hanc questionem late tractauimus. Sed hunc modum secundum quem diuinum est, tu parum diuinè explicas. Diuinum, inquis, est, quatenus cum scriptura consentiat. At bone vir quo Iudice? quo arbitro? Quis iudicabit, quomodo constabit quod cum scriptura, & Spiritu sancto, & Dei voluntate Ecclesiae iudicium consentiat? An particularis quisquam hoc iudicabit? At falsus es ipsemet, ipsaque veritas fateri te coegit, *ampliores & maiores co-*

*piam*

*piam Spiritus sancti ac iudicij habere Ecclesiam quam pri-* Disputat.  
*natum quempiam.* An inferiores laici qui Ecclesiæ q. 3. c. 6.  
 docentis & prædicantis partes non sunt hoc sibi  
 iudicium sument? At ordinem Christi pervertes,  
 & Christi sapientiam confundes, qui non nisi pa-  
 stores & doctores iussit nos audire. Dic mihi ob-  
 secro VWhitakere. Christus à patre missus in mun-  
 dum erat, vt testimonium perhiberet veritati, &  
 vt omnes ipsum audirent. Eius ergo testimonium  
 ac iudicium erat diuinum & infallibile. An hanc  
 nunc exceptionem probabis? Fateor quidem di-  
 uinum & infallibile Christi testimonium esse mo-  
 do cum scriptura veteri, cum Spiritu sancto, cum  
 Dei voluntate concordet. Nam & Christi quo-  
 que testimonium istis conforme esse debuit: nec  
 hoc ipsemet tacet aut dissimulat. *Scriptura*, inquit, Ioan. 5. 7.  
*testimonium perhibent de me. Mea doctrina non est mea,* & 6.  
*sed eius qui misit me patris.* Et rursus: *Non veni facere* Ecclesiæ  
*voluntatem meam, sed voluntatem patris qui misit me.* An testimo-  
 ergo Christi quoq; testimonium negabis esse sim- niū sim-  
 pliciter admittendum, sed solum secundum quid, pliciter  
 eo quòd & illud debuit scripturis ac Dei voluntati audiendū  
 esse conforme? Nonne hoc blasphemum esse cla- sicut Chri-  
 mitabis? Aduerte tamen. Idem Christus Ecclesiæ sti.  
 suæ dixit. *Qui vos audit me audit.* Et rursus: *Sicut pa-* Lue. 10.  
*ter me misit in mundum sic & ego mitto vos.* Quemad- Ioan. 7.  
 modum igitur Christus simpliciter audiendus fuit  
 sine vlla exceptione, tametsi de facto quicquid  
 docuit scripturis & diuinæ voluntati cõforme fuit;  
 sic Ecclesia simpliciter audienda est sine vlla excep-  
 tione, tametsi de facto quicquid docet, scripturæ &  
 diuinæ voluntati conforme est. Rursus sicut Chri-  
 sti testimonium ideo simpliciter audiendū erat, vt-  
 cunq; diuinæ voluntati debuit esse conforme, quia  
 de illa conformitate nemo alius iudicare potuit aut  
 debuit,

Colof. 2. debuit, quum in illo thesauro essent coelestis sapientia & scientia absconditi; sic Ecclesie testimonium ideo simpliciter audiendum est, vtcunque diuinæ voluntati conforme semper esse debeat, quia de hac eius conformitate nemo alius iudicare potest aut debet; quum in Ecclesia Christus suum spiritum posuerit, illi omnia nota fecerit quacunque audiuit à patre suo, illi Spiritum veritatis in æternum promiserit qui eam doceat omnem veritatem, cum illa se ad futurum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi prædixerit, illi deniq; sapientia coelestis thesaurum commiserit, de quo vnus Ecclesie pastor dicit. *Habemus thesaurum hunc in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei non ex nobis. Præmiserat videlicet. Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientia claritatis Dei in facie Christi Iesu.* Hic est thesaurus de quo loquitur. Ait ergo. Deus qui verbo creauit de tenebris lucem, ille cordis nostri tenebras in lucem fidei conuertit, idque adeo vt alios etiam nostra luce illuminemus, & videre faciamus per notitiam fidei gloriosa Dei opera & beneficia in cognitione Christi. Hunc autem ingentem thesaurum, hanc scientiam & potestatem illuminandi alios in hoc fragili corpore & in hac persona contemptibili circumferimus, vt tota huius rei gloria potentia Dei tribuatur, non dignitati nostræ. Hæc est Pauli sententia de sapientia thesauro, & potestate alios illuminandi Ecclesie commisso. Propter hanc sapientiam & potestatem illi concreditam, eius iudicium diuinum ac infallibile est, & ei simpliciter acquiescendū est; quia etsi in se quidē simpliciter diuinū non sit, quatenus quicquid habet à Deo habet, eiusq; ministra est, tamen quoad nos nostramq; obedientiam simpliciter diuinū est, quia ei tanquam Deo (Deus enim per illam loquitur) obedi-

obediendum est. Deinde illud vide VWhitakere. scripturæ testimonijs simpliciter acquiescendum esse nullo modo negabis. Scripturarum tamen testimonia non aliter recipienda sunt, nisi quatenus earum sententia, sensus, interpretatio, cum diuina lege ac voluntate consentit. Nec Diabolo Matth. 4. nec Iudæis Ioan. 7. & 19. Scripturas contra Christum proferentibus credendum fuit: verum tamen est sacrarum scripturarum testimonijs simpliciter acquiescendum esse, quia illæ nunquam fallunt quando bene intelliguntur. Sic Ecclesiæ testimonio & iudicio simpliciter acquiescimus, quia illud nunquã fallit quando rectè illud intelligimus. Hac <sup>Cap.</sup> de re huius operis quod impugnas lib. 8. plura diximus.

*VWhitakerus.*

Alphonfus deCastro 1. lib. cap. 8. aliter huic Cal. <sup>15. Sect.</sup> uini argumento respondet, nempe nos ab Ecclesia habere, vt sciamus quæ sit diuina scriptura: postea autem quum nobis scripturam esse diuinam constiterit, tum eam ex seipsa habere, vt ei per omnia credere teneamur. Putauit iste vehementer absurdum esse, quod Stapletonus ausus est defendere. Sed in hac quoque responsione hoc inest, vt si scripturam Ecclesia authenticam nobis facit, tum & ea etiam authentica nobis veraque faciat, quæ in scriptura perscribuntur & docentur. Quare hac defensione vt Stapletonus noluit, & apertè quod hinc sequitur. enūtiare maluit, omnia credi à nobis propter Ecclesiam.

*Stapletonus.*

Alphonsi diuersam sententiam mihi opponis: & eam tamen tamen ipsemet improbas, docesque ex eius responsione idem consequi quod ego affirmo & ille affirmare non audet. Quare me apertius & consequentius respondere concedis. Ago gratias humanitati tuæ: tametsi hac laude carere mallet, quàm

quam vt cum doctissimi viri nota, mea laus cresceret. Tu interea cur his verbis tuam chartam, maculare volueris, ipse videris.

*VWhitakerus.*

16. Sect.

\* Blasphemia hæretico digna

Quod subiungit Stapletonus ex Ephes. 4. 11. reliquisse Christum Ecclesiæ suæ Apostolos, Prophetas, Euangelistas. Pastores, Doctores, vt populus in fide teneretur, & quouis doctrinæ vento non circumferretur, \* nullius momenti est.

*Stapletonus.*

Ephes. 4.

Ecclesiæ  
authoritas  
amplissima  
B.  
Paulo lu-  
culenter  
traçira.

Quid audio? Tam illustris & luculenta Apostoli doctrina de officio & fine docentis Ecclesiæ amplissimo, ad eius auctoritatem demonstrandam nullius momenti est? Ponamus verba Apostoli, quæ tu proferte non es ausus, quorum tu sensum extenuasti. Ait Paulus. *Datos esse Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum, id est vt confirmentur & roborentur & perficiantur in fide fideles iam credentes; in opus ministerij, id est, vt sint ministri noui testamenti in adificationem corporis Christi, id est, vt conuertant infideles & Ecclesiæ ædificium dilatent, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, id est donec omnes ad Christum vocandi in vnam fidem & nominis Christiani professionem conueniant: in virum perfectum. id est donec Ecclesia efficiatur perfecta in fide & charitate: in mensuram ætatis plenitudinis Christi, id est, donec ætas seu tempus Ecclesiæ à Christo mensuratum fuerit plenum; vt iam non simus paruuli fluctuantes, vt interea temporis non simus dubij aut vacillantes in fide sicut paruuli sensibus; nec circumferamur omni vento doctrinæ, id est. ad hanc vel illam sectam quolibet nouo flatu falsi & inanis dogmatis feramur; in nequitia hominum in astutia ad circumventionem erroris, per impietatem & fraudem seductorum*

ductorum vt in errore nos circumueniant : *veritatem autem facientes in charitate*, id est, sed veram Pastorum & Doctorum doctrinam tenentes & exequentes, vel veraciter agentes, ἀληθεύοντες in sincera charitate & vnitatem animorum, *crescamus in illo per omnia qui est Caput Christus*, id est, sic demum proficiamus in omnibus, tam ad fidem quam ad charitatem pertinētibus, adherentes Capiti nostro vitali (quod in sequentibus demōstrat) Christo Iesu. Hęc est plena & integra Apostoli sententia de datis à Christo Ecclesię Apostolis, Prophetis, Euangelistis, Pastoribus & Doctoribus, & de vario atque amplissimo fine huius potestatis: nō solum vt *populus in fide teneatur*, quod tu tenuissimè affirmasti, sed vt in fide accepta confirmetur, roboretur, redintegretur (hoc enim proprie κατὰρτιζειν vnde κατὰρτισμός significat,) vt in corpus Christi ædificetur, vt ab impijs & astutis hereticis conseruetur, vt denique in omni pietate perficiatur. Hoc tu totum *nullius momenti esse*, homo nequam & seductor improbus, audes dicere, quando de Ecclesię authoritate in ijs quę sunt fidei quæritur, vt nunc in hac disputatione quæritur? Sed videamus obsecro quam luculento argumento tantum Apostolicę doctrinę pondus labefactare poteris.

VWhitakerus.

Etsi enim populus per Pastores ac Doctores in fide atque obedientia retinetur, non tamen sequitur, propter horum \*duntaxat authoritatem fieri, vt in officio populus maneat. Nam populus Christianus maiorem authoritatem agnoscit ac reueretur, quàm Pastorum; ipsius scilicet Dei; quę nisi plus valeret, quam Pastorum teneri populus nunquam posset.

17. Scđ.

\* Antiquum est fugiam ad omnia pericula paratum.

Staple-

*Stapletonus.*

Hæretici  
hodie scri-  
pturas S.  
leuissimo  
loco ha-  
bent, quâ  
contra eos  
faciunt.

Egregia scilicet responsio, & Regio professore digna, & quæ tam illustrem tamque accuratam Apostoli doctrinâ facile excutiat. Sic videlicet vos hæretici scripturas sanctas reueremini, sic illas scrutamini, sic labijs vestris eas honoratis, vt cum contra vos aperte & disertè faciunt, leuissimo digito attingentes, *nullius esse momenti* impiè pariter & impudenter asserere non dubitetis. Quod in tuo maximè Caluino seductore imprimis nefario, pluribus exemplis demonstrare possem si vellem. Respondes scilicet hæc omnia Pauli verba idcirco nullius momenti esse, quia *non sequitur ex illis, propter Ecclesiæ duntaxat auctoritatem populum in officio contineri, sed magis propter auctoritatem Dei.* Hoc videlicet Paulus ignorabat, hoc nesciebat. Oblitus quippe fuerat, vt te monitore indigeret, de Pastorum & Doctorum officio quum tam multa diceret, illud addere, illud explicare, Dei tamen auctoritatem his omnibus maiorem esse &c. quæ tu inaniter garris.

Ecclesiæ  
auctoritas  
non ideo  
minor,  
quia Dei  
maior est.

Quid enim? An hoc Ecclesiæ auctoritatem imminuit aut labefactat, quod maior sit auctoritas Dei? Quia sol maximè lucet, ergo à sole illustrata lucida non sunt? Quia ignis maximè calefacit, ergo ipsa ignita non sunt calida? Denique quia Rex maior est legato suo & ipso Rege Deus, ideo legati aut Regis auctoritas minor est? Imò quantò Regis auctoritas maior & excellentior, tantò & legati maior erit; in quem suam potestatem Rex transtulit, qui personam Regis gerit, per quem denique Rex loquitur. Rursum quantò submissius Deo obediendum est, tantò promptius Regi obedire oportet qui Dei minister est. Sic Ecclesia quæ pro Christo legatione fungitur, non ideo minorem potestatem habet, quia Christi potestas maior est. Imò quantò

Dei

Dei & Christi maior authoritas est, quantò maiorem in Deo & Christo authoritatem ac reuerenti-Rom. 19.  
am populus Christianus agnoscit, tantò maiorem authoritatem ac reuerentiam in Ecclesia quoque populus Christianus agnoscer: in quam videlicet Ecclesiam, suam potestatem quoad animas sibi lucrandas Christus transtulit, quæ Christi personam in terris repræsentat & gerit, per quam denique Christus loquitur. Populus igitur Christianus quando Ecclesiam audit, quia Christum in ea loquentem audit, de maiore Christi authoritate, vt Ecclesiæ vocem declinet, cogitare nõ debet; (quod vos hæretici facitis) sed quò magis Christi authoritatem reueretur, eò magis Ecclesiæ Pastores & Doctores quos Christus misit, reuereri debet. Sanè simili argumento malos subditos docebis Regis authoritatem parui facere, quia Dei maior est.

Deinde quàm ridiculè respondes, *Non propter Ecclesiæ duntaxat authoritatem fieri vt in officio populus maneat?* Ita scilicet quasi Dei authoritas excludatur. An igitur propterea Pauli verba *nullius apud te momenti erunt*, quia non probant Ecclesiæ Pastores & c. talem habere authoritatem, vt propter eam duntaxat populus in officio contineatur? At quid si Ecclesiæ propterea authoritatem maximè, præcipuè, ordi- authoritas nariè in officio contineatur? An non hoc saltem in suo ge- multum erit? An hoc *nullius momenti esse*, iterum au- neremaxi- debis dicere? Imò quid si, loquendo de tota externa ma & sola potestate & authoritate quam Christus in terris à Paulo posuit, in ordine ad fidem & omnem salutem asse- traditur. quendam (non solum vt tu tenuissimè loqueris, vt *populus in officio cõtineatur*, quasi nihil aliud esset Ecclesiæ Pastores, & Doctores, quàm vt pædagogus quispiam classicus) de qua certè hic Paulus, loquitur, etiam duntaxat per Ecclesiæ authoritatem, mi-  

V v                      nisterium,

nisterium, ac functiones amplissimas ad fideri omnem inducimur, in fide cōfirmamur ac demum in omni pietate perficimur? Atque ita sane se res habet. Hoc Apostolus his verbis docere voluit. *Hæc sunt dona data hominibus quum ascendit Christus in altum captiuam ducens captiuitatem.* Tota externa potestas & authoritas qua sola homines ad Deum adducuntur vt demum post Christum ascendant, in his verbis ab Apostolo explicatur. In qua Deus nō excluditur, sed vt causa cum suo effectu maximè includitur. Tamenne dices, hoc totum *nullius momenti esse?*

Hæretici  
ex vna ve-  
ritate al-  
teram ue-  
struunt.

In lib. de  
decret.  
Nic. Syn.

Lib. 2. cap.  
31.

Ser. n. 3.  
con. Aria-  
nos.

Sed hic hæreticorū mos, hæc cōsuetudo vestra, *hæc astutia ad circūuentionem erroris*, est vt vna veritate proposita alteram destruat. Ariani filium Dei blasphemantes, Dei Patris honorem multis verbis extollebant, & *sub vocabulo ingeniti* (ait Athanasius) *animi prauitatem occultabant.* Iidem Catholicos episcopos personarum Trinitatem docentes Sabellianos esse clamitabant, vt est apud Theodoretum in histor: Eccles: & ipse Arius Sabellium se impugnare aiebat teste Athanasio in lib. ad Serapionem. Interdum quoque iidem Ariani diuinitatem filij negātes humanitatē Christi magnificè extollēbāt, vt docet Athanasius. Sic tu hoc loco Whitakere cæterique hodie hæretici, vt Ecclesiæ authoritatem minuatis & ab eius vnitatem atq; obediētiam populum Christianum ad sectas vestras abducatis, Dei authoritatem vrgetis. *Maiorem* (inquis) *Dei authoritatem populus Christianus agnoscit ac reueretur.* Ita nimirum proximo & inferiori magistratui rebelles excusare se solent, Regi se suo maiorem reuerentiam debere, ideoque magistratus potestatem, apud ipsos *nullius momenti esse* vt tu hic de Ecclesiæ potestate loqueris à D. Paulo explicata. Et vide nunc an non  
tuam

tuam ipsius impietatem exemplo familiaritate ipse manifestaueris, tuoque fore iudicio captus fueris. Sic enim adhuc responsionem tuam prosequeris.

*Whitakerus.*

Sic eadem plane ratione populus in pace per Magistratus ac ministros regios tenetur: sed tamen est maior autoritas quam horum magistratum, propter quam in pace teneatur, ipsius sane Principis, cuius latissimè patet per omnes sue ditionis partes autoritas atque dominatus.

18. Sect.  
Contra  
scriptum  
disputat.

*Stapletonus.*

Ita planè se res habet ut dicis. Sed vide nunc contra te ipsum quam præclarè disputes. Agitur hic de auctoritate Ecclesiæ circa scripturas approbandas, & populo fideli consignandas quam tu negas, ego defendo. Ut hæc auctoritas in particulari probeur, sumitur à me argumentum ex illis Pauli verbis iam tractatis, ubi generaliter amplissima Ecclesiæ potestas in ijs quæ sunt ad fidem ab Apostolo traditur: Hic tu respondes totum hoc *nullius momenti esse, quia maior est Dei auctoritas.* Age ergo, ponamus in simili à te ipso in medium prolato quæstionem consimilem. Quæritur de potestate alicuius Magistratus localis circa vnam certam causam definendam, quam tu negas ego assero. Ego ut in hac certa causa potestatem habere Magistratum doceam, assero plenam & generalem potestatem quam à Rege accepit; ex qua infero etiam in hac particulari (quæ in illa generali includitur) potestatem quoque illum habere. Nunc à te quæro, an hæc iusta responsio & ad declinandam Magistratus localis sententiam iusta evasio erit, si ita respõdeas. Ego hanc generalem Magistratus huius potestatem quam à Rege profero acceptam, *nullius momenti esse* respondeo, *quia maior est ipsius Regis auctoritas, quæ latissimè*

*per omnes suae ditionis partes patet. Si hæc tibi responsio prorsus improba & rebellibus ac refractarijs propria, & castigatione digna videtur; idem iudica, idem existima de hac tua responsione non minus improba, ne quid dicam grauius. Et sic tu hæcenus primum Caluini argumentum à me olim impugnatum, miser Calvinista, miserè propugnasti: & miseram tuam ignorantiam & inscitiam magis ac magis prodidisti. Nunc ad cætera quid respondeas videamus.*

## R E S P O N S I O A D A R G V M E N T V M D E C I - M V M T E R T I V M.

### C A P V T. X I I I.

*VWhitakerus.*

*I. Sect.* **D**E C I M V M tertium nostrum argumentum quod fuit Caluini secundum, huiusmodi est. Hoc modo diuinæ scripturæ veritas impiorum hominum ludibrijs exponeretur, & in magnam apud omnes suspicionem vocaretur, ac si nõ aliam haberet authoritatem, quàm hominum beneficio precatiam, si modò ob Ecclesiæ \* tantum iudicium recipi dicatur: ergo &c. Atque hoc quidem verissimum est. Quis enim non videt isto modo scripturam infinitis hominum conuicijs atque calumnijs exponi? Hic Stapletonus vi veritatis victus, veram vocem \* coactus est vel inuitus emittere. Ait enim, non hominum beneficio sed testimonio Dei per homines loquentis, authoritatem habere tum

scriptu-

\* Mendacium quia nec ipse Caluinus sic loquitur.

\* Mendacium ridiculum & morio- ne dignum.

scripturam, tum reliquam omnem fidem nostram.

*Stapletonus.*

Admodum ridiculè & pueriliter dicis, me vi veritatis victum veram hanc vocem vel inuitum emisisse, non hominum beneficio sed testimonio Dei per homines loquentis auctoritatem apud nos scripturam habere. Iam antea lib. 8. illud ipsum studiosè comprobavi, dum longa & accurata disputatione, per multa capita, ostendi Deum nobis per Ecclesiam loqui, fidem nostram testimonio Dei niti, siue per se siue per alios loquatur, Ecclesiæ testimoniū ideo esse diuinū. quia Deus per eam loquitur, denique idcirco non esse Ecclesiæ vocem fidei nostræ causam formalem, aut resolutionem vltimam, quia non Ecclesia loquens, sed Deus per Ecclesiam loquens, formalis illa causa est, & vltima resolutio. Nunc tu ridiculum caput, post tam longam à me disputationem prius institutam, hoc demum loco ais, Caluini tui scilicet sapientia coactum, vi veritatis victum & inuitum me ista dicere. Deinde Caluini sic recitas argumentum, quasi ille de Ecclesiæ tantum iudicio disputasset; quod nec apud me legisti, nec in loco à me ex Caluino citato habetur. Ille Ecclesiæ simpliciter auctoritatem submouet: nec de tuo ridiculo & perpetuo effugio sollicitus fuit. Hæc sunt artis tuæ schemata, hæc disputationis tuæ emblemata, frequenter & splendidè mentiri.

*VWhitakerus.*

Hoc quidem nos libenter amplectimur. Fate-  
mur enim scripturam ex Dei testimonio auctori-  
tatem habere: atque illud quoque fatemur quod  
ipse adiicit, Deum per homines loqui. Deus enim  
non alio ministerio quam hominum vtitur, quan-  
do nos in hoc mundo nunc alloquitur. Sed quale

est hoc Dei testimonium per homines loquentis?  
Dicant & inuenient aliud esse testimonium Dei lo-

\* Nihil ad  
Rhombū.

quentis per Ecclesiam, \* aliud ipsam Ecclesiam.

*Stapletonus.*

O acumen. Laboras vt testimonium Dei per homines loquentis ( quod iam agnoscis ) ab Ecclesia distinguas, cuius auctoritatem agnoscere non vis. Et dicis. Aliud est testimonium Dei loquentis per Ecclesiam, aliud ipsa Ecclesia. Omnino. Aliud est verbum quod ego loquor, aliud ego qui loquor. Sed an propterea, qui verbo credit quod ego loquor, mihi etiam non credit? Videamus an vt re ista distinguuntur, sic eorum effectum ad quem vtraq; concurrunt possis ab inuicem distinguere.

*VWhitakerus.*

3. Sect.

Et si nos Ecclesiæ dixerint credere propter testimonium Dei, quid aliud dicunt, quàm quod dicimus nos? Sed tamen quæ Deus per Ecclesiam loquitur, ijs credi oportere dicimus, propter Dei ipsius auctoritatem qui loquitur \* non propter Ecclesiæ auctoritatem per quam loquitur.

\* Propter  
vtrumq;.

*Stapletonus.*

Omnino propter vtramque auctoritatem credere oportet, tum Dei tum Ecclesiæ, nisi mentiatur scriptura quæ dicit. *Crediderunt Domino & Moysi seruo eius.* Et iterum. *Creditum est testimonium nostrum super vos in die illo.* Hic filij Israel crediderunt non solum Deo miracula facienti & Pharaonem cum suis mirabiliter submergenti, sed & Moyse per quem virgam suam protendentem talia miracula Deus operatus est. Vnde & alio in loco ab hac fide deficientes ideoque à Deo percussi, hunc in modum suum peccatum confitentur. *Peccauimus, quia loquuti sumus contra Dominum & contra te.* Num. 21. Murmur incredulitatis suæ confitentur non solum respectu Dei, sed &

Exod. 14.  
2. Thef. 1.

sed & respectu Moysis, quem illis Deus præfecit; ut illi crederent & obedirent. Sic Thessalonicenses crediderunt non solum Christo, sed & testimonio Pauli de Christo. Si utriusque credendum est, quare non propter utrumque creditur? Credere Deo loquenti, an aliud est, quàm propter Dei verbum credere? Sic credere Ecclesiæ loquenti, an aliud erit quàm credere propter vocem loquentis Ecclesiæ? Utrobique causa credendi est, sed non par, non similis, non æqualis. Deo creditur loquenti propter se. Ecclesiæ creditur loquenti propter Deum. Credimus propter Dei testimonium, ut propter causam principalem. Credimus propter Ecclesiæ testimonium, ut propter causam ministerialem, sed necessariam, sed ordinariam, sed Deo coniunctissimam & ut Paulus loquitur, cooperatricem. Deinde si sic dixerò, Obediendum est Regi quia Deus per illum gubernat, an sic rebellis eris, ut dicas; Quæ Deus per Regem iubet & fieri mandat, illa facienda dicimus, propter Dei ipsius auctoritatem qui iubet, non propter Regis auctoritatem per quam iubet? Aut si hic agnoscis seditiosi hominis, ac rebellis vocem; in tuis verbis schismatici atque hæretici vocem agnoscas oportet.

*Whitakerus.*

Pressus hoc argumento Stapletonus ad veterem suam distinctionem refugit; Scriptura (inquit) non accipit ab Ecclesia precariam aliquam auctoritatem, quasi ab Ecclesia dependentem in seipsa, sed apud nos. Sic Stapletonus \* putat scripturam accipere precariam auctoritatem ab Ecclesia quoad nos; cum tamen paulò prius diceret nos credere ex Dei testimonio per Ecclesiam loquentis. Certè precaria dici auctoritas non potest, quæ divino te-

4. *Señ.*

\* Mendacium putidum.

o sã sca  
biem alijs  
affricat.  
\* Ingens  
scilicet  
piaculum

stimonio nititur. " Nescit planè quò se vertat, &  
tamen \* cauillatorem Caluinum vocat.

*Stapletonus.*

Scriptura  
non acci-  
pit vllam  
precariam  
authori-  
tatem ab  
Ecclesia.

Cauillator quidem Caluinus magnus est, astutus  
tamè & vafer. Tu verò cauillator planè crassissimus  
& nugacissimus es, vt ex his tuis verbis apertè de-  
monstrabo. Mea enim sententia corrupta & men-  
daciter à te prolata, cauillandi ansam arripuisti. Ais  
enim. *Sic Stapletonus putat scripturam accipere precariam  
authoritatem ab Ecclesia quoad nos.* Moxque super hoc  
mendacij tui fundamentum infers, & concludis  
copiosè, primùm quòd paulò prius dixissem nos  
credere ex Dei testimonio &c. Deinde quòd preca-  
ria autoritas dici non potest quæ Dei testimonio  
nititur; postremò quòd nesciam quo me vertam.  
Sed infeliciter accidit, quòd totum hunc triumphũ  
tuum ante victoriam cecinisti. Si mea verba fideli-  
ter protulisses, illud mendacium, quòd ego *putem scri-  
pturam accipere precariam autoritatem quoad nos*, nulla  
fronte dixisses. Hæc nempè mea verba fuerunt. *Non  
hominum beneficio, sed ex Dei testimonio per homines lo-  
quente, autoritatem suam habet scriptura & reliqua fides  
nostra: nec precariam aliquam autoritatem (vt cauillator  
Caluinus nugatur) quasi ab Ecclesia dependentem in seipsa.*  
(Hæc enim demum precaria quædam autoritas  
videri posset, si scripturæ veritas & autoritas in se-  
ipsa ab Ecclesia penderet, id est, si ipsa Ecclesia face-  
ret vt scriptura esset vera: ) *Scriptura ab Ecclesia accipit:  
sed apud nos autoritatem habet (an dico hic, precariam  
autoritatem?) tali conditione, loquentis scilicet per Ec-  
clesiam Dei, nobis commendatam & illustrem factam.* Vi-  
des cauillator inepte, me nullo modo affirmare,  
quòd precariam autoritatem quoad nos ab Eccle-  
sia accipit scriptura. Autoritatem dico: precariam  
autoritatem non dico. Quod igitur non dixi, qua-

re tu putare me affirmas? nisi quod mentiri libuit  
 ut aliquid mentiendō responderes. Mox tuam sca-  
 biem mihi affricas. *Nescit* (inquis) *quo se vertat;*  
 quum tu ille ipse sis, qui nesciens quo te vertas, aut  
 nihil ad rem respondes, aut turpiter mentiris, aut  
 ad perpetuum effugium tuum te proripis.

*Whitakerus.*

Tum docet quomodo per Ecclesiā apud nos au-  
 thoritatem scriptura habeat, quia Deus loquēs per *5. Sect.*  
 Ecclesiam nobis eam cōmendat & illustrē facit. Si  
 distinguit Deum loquentem per Ecclesiam ab ipsa,  
 totum hoc concedimus, & tum \* Dei autoritate  
 niti scripturam concludimus. Si non distinguit, *\*Sed non*  
 tum facit Deum loquentem per Ecclesiam & Ec- *sola.*  
 clesiam per quam Deus loquitur, idem, id est, cau-  
 sam efficientem principalem & instrumentū \* con- *\*Doctor*  
 fundit. Quæro ergo ab eo, utrum testimonium il- *indoctus*  
 lud Dei per Ecclesiam loquentis, ab ipso Ecclesiæ *non in-*  
 iudicio ac testimonio distinguat, & aliud quiddam *telligit.*  
 ab eo faciat; an cum eo confundat, & idem planè  
 esse statuat? Si distinguat, tum concedit id quod  
 nos volumus, autoritatem nempe scripturæ quo-  
 ad nos, Dei ipsius testimonio niti; si verò confun-  
 dat, tum absurdè commiscet ea, quæ sunt distin-  
 guēda. Alius enim est qui loquitur, aliud per quod  
 loquitur. Si ergo Deus per Ecclesiam loquatur,  
 hoc non Ecclesiæ est, sed Dei potius testimonium.  
 Quod si Dei ipsius testimoniū sit, sequitur Deum,  
 nō Ecclesiam scripturæ, etiā quo ad nos, autoritatē  
 dare. Atq; de hoc argumento satis multa diximus.

*Stapletonus.*

Tota hæc tua responsio ex ignoratione verè phi-  
 losophiæ procedit. Causam efficientem principalem  
 & causam instrumentalem, quia re ipsa distin-  
 guuntur, propterea ratione quoque effectus ita di-

Instrumē-  
ta sunt  
veri no-  
minis  
causæ.

stingui vis, vt non vtrique causæ totus effectus, sed principali tantum tribuatur. Iuxta quam tuam philosophiam nec calamus scribet, nec serra scindet, nec gladius percutiet, sed hæc omnia solus homo qui causa principalis est faciet, non illa. Sic enim tu in præsentī causa concludis. *Alius est Deus qui loquitur, aliud Ecclesia per quam loquitur. Quod ergo Deus per Ecclesiam loquitur, hoc non Ecclesiæ est, sed Dei potius testimonium.* Et rursus: *Si Dei testimonium est, sequitur Deum non Ecclesiam scripturæ authoritatem dare.* In his duabus tuis conclusionibus Ecclesiæ testimonium à causa & ratione credendi excludis, & in priori conclusione, Deo potissimum (quod sanè verissimum est quia potissima causa, principalis causa est) in posteriori conclusione, Deo simpliciter, & in vtraque conclusione *non Ecclesiæ*, hanc causam tribuis: quod falsissimum est: quia instrumentalis causa verissima causa est: & ei quoque effectus verissimè tribuitur. Hic igitur error tuus est, quòd quum duæ causæ ad vnum effectum concurrunt, quia non sunt natura & realiter idem, propterea iudicas nec ratione effectus quem producant, esse idem & vnum quid, sed sic vis esse diuersa, vt principali tantum causæ effectus tribuatur, non instrumentali. Sic enim ais, *Non Ecclesiæ sed Dei testimonium esse quod per Ecclesiā Deus loquitur.* Eadem ratione dices, non legati sed Regis vocem esse quam legatus loquitur. Non prætoris aut magistratus, sed principis edictum esse quod Prætor edixit. Denique nec Regis esse mandatum quod per Regem profertur sed Dei: moxq; si reluctari libeat, & obedire non placet, dices Regi esse credendum non legato: principi esse obediendum, non magistratui: vel deniq; nec ipsi principi sed Deo. Alius enim est Rex qui loquitur & princeps

Ciuilem  
potestatem  
non fecit  
quam Ec-  
clesiasticā  
VWhita-  
keri disc-  
puratio  
subuenit.

ceps qui iubet, & Deus ipse per quē reges regnant aliud legatus & magistratus per quos rex loquitur. Aliud quoq; Rex per quem Deus mandat. Quod ergo Rex per legatū loquitur aut per prætorem edicit, aut quod Deus per Regem mandat, hoc non legati, non prætoris, sed Regis potius vox & edictum est: imò nec Regis sed Dei. Quod si Regis ipsius vel Dei potius vox & edictū sit, sequitur Deū, nō Regē aut legatū loqui, & illis quæ loquitur auctoritatem dare: Deū quoq; solum edicto auctoritatē adferre. Ex quibus omnibus sequetur, vt quibus legati verba & prætoris edictū aut Regis mandata ac leges displicent, statim excipiant. Non oportet huic legato aut ipsimet Regi *ἀπλῶς*, sed *ἡγροῦσι*, credere; non simpliciter, sed secundum quid credere, id est, quatenus huius legati mandatum & huius Regis mandata rectæ rationi nostrisque legibus ac cōsuetudinibus cōformia sint. Quo sanè modo, tu in priori argumento cōtra Ecclesiæ auctoritatē excepisti. Et hic sanè est tuæ argumentationis hoc loco scopus, hic finis, hæc meta, vt cū omnino periuaseris non Ecclesiæ sed Deo esse credendum, quia nō Ecclesiæ sed Dei testimoniū est quod ad credendum inducit, pro omnibus statim hæreticis cōcludas, Ecclesiam eiusq; vocē & testimoniū tuto posse contemni, sine periculo posse remoueri: satis esse si Deū alio aliquo modo & medio audiamus: videlicet in scripturis loquentem vt vos vultis, vel in solo Spiritu loquentem vt vestri in Anglia illuminati, omnesque Anabaptistæ volunt. Hæc est tuæ absurdissimæ disputationis necessariò consequens impietas.

Sed docenda est ignorantia tua, Deū per Ecclesiam loquentem vnum esse mediū, sicut aggregatū quoddā ex partialibus causis. Sicut vnū est vidēdi  
mediū

Ioan. 5. 7.  
& 6.

Ecclesiæ  
testimoniū  
simpliciter  
audiendū  
sicut Christi.

Luc. 10.  
Ioan. 7.

Deus per  
Ecclesiam  
loquens  
vnum est  
medium.

medium lux per aerem delata, seu aer lucidus, sic vnum est credendi medium Deus per Ecclesiam loquens. Sicut vnum est in causis ciuilibus obediendi medium Rex per magistratum vel Deus per Regem iubens, sic vnum est in materia fidei obediendi medium Deus per Ecclesiam docens. Sicut vnum est disciplinae medium magister & vox eius, sic vnum est ingenerandae fidei medium Deus & vox eius, siue illa vox per Angelos, siue per prophetas, siue per Christum, siue per Ecclesiam ad nos feratur.

Quid? an etiam contra angelos primi patriarchae, contra prophetas Israelitae, contra Christum Iudaei excipere debuerunt te iudice, sicut tu hic contra Ecclesiam excipis? An vis vt & illi dicere debeant, se non credere angelis *in quorum dispositione lex data erat*, non prophetis *per quorum ora Spiritus sanctus loquutus est*, non denique Christo per quem Deus ita loquebatur, vt disertè testatus fuerit, *mea doctrina non est mea sed eius qui misit me Patris*, sicut tu hic dicis non Ecclesiae sed Dei testimonio nos credere? Et aduerte paulisper quomodo Christus dixerit, *mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me Patris*. Nam vt Augustinus disputat, notandum est, non eum dicere: *Hae doctrina non est mea*, sed dicere, *Mea doctrina non est mea*. Si enim tua, quomodo non tua doctrina est? Rursum si non tua, quomodo tua? Vtrumque enim Christus dicit, *meam doctrinam, & non meam sed Patris* Sed suam doctrinam vocat, quia illi vt homini inhærebat per gratiam creatam & infusam, sicuti mensura fidei & scientiae nobis à Deo donata inhæret; Non suam vocabat tum ratione originis, quia à Deo patre illam acceperat, tum ratione cõmunitatis, quasi non solum suam, quia ratione eorum quae docuit eadem fuit doctrina patris

Act. 7.  
Luc. 1.

Ioan. 7.

Idem est  
testimo-  
nium Dei  
& Eccle-  
siae, tamen  
illa sunt  
duo di-  
stincta.

August  
de Trinit.  
lib. 1. c. 12.  
Ambros.  
de fide  
lib. 2. c. 4.  
& lib. 5.  
cap. 3.

na patris & sua, propter identitatem eorum quæ docebat. Quæ enim docuit Christus vt homo, sunt eadem cum his quæ doceri vult pater. Eodem planè modo, quia sicut *Christum pater misit in mundum*, vt *testimonium perhiberet veritati*, sic *Ecclesiam* Christus misit in mundum vt ipsa quoq; testimonium perhiberet veritati, (*Eratis mihi testes &c. Act. 1.*) dicere potest Ecclesia. Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me Christi, eius qui in me loquitur Spiritus sancti. Quamuis igitur duo sunt ipsa Ecclesia & Deus per Ecclesiam loquens, sicut duo erant Christus docēs & Pater per Christum docēs, duæ in quâ personæ distinctæ, & quoad naturâ humanam filio Dei propriam etiam re distincta, & quemadmodum alia est sapientia Ecclesiæ data, alia Dei; quia hæc increata, illa creata, hæc plenissima, illa partialis, hæc fontana illa deriuata, tamè ratione eorum quæ Ecclesia docet, eadem est sapientia Ecclesiæ & sapientia Christi, propter identitatem eorum quæ docet Ecclesia. Quæcunque enim docet Ecclesia, sunt eadem cum his quæ docet Deus per Ecclesiam, & quæ doceri vult Christus. Vides ergo ad identitatem testimonij & doctrinæ loquentis Ecclesiæ, ac Dei per Ecclesiam loquentis, nihil præiudicij afferre, nihil obstare, quod alius sit qui loquitur, & aliud per quod aliquis loquitur: neque propterea causas istas confundi, aut cōmisceri quæ distingui debent, eo quod ratione effectus quem simul producunt, vnâ integram causam constituent, & ratione eorum quæ loquuntur vnâ & eandem doctrinam faciunt.

Ille causas has confunderet, qui vel duas esse partiales causas negaret, vel duas esse æquales, & integras causas affirmaret, nec principalem ab instrumentali distingueret. Nunc autem sic vnâ in-

Causa  
principalis & instrumentalis quomodo confundentur.

tegra causa fidei est Deus per Ecclesiam loquens, vt (de ordinaria credendi via loquendo) nec Deus absque Ecclesiæ ministerio ad fidem inducere solear, nec Ecclesia absque Deo (ex cuius autoritate & in cuius persona, & quo intus cooperante loquitur,) ad fidem inducere valeat.

Scriptura-  
rum exē-  
plo autho-  
ritas Ec-  
clesiæ de-  
fenditur.

Sed nunc vt ex tuis ipsius verbis tuam ignorantiam commonstrem, an putas falsum esse nos scripturarum testimonio credere, quia in scripturis Deus loquitur? Aut quia in scripturis Deus nobis loquitur, & aliud est Deus in scripturis loquens, aliud scriptura ipsa in qua loquitur, vis idcirco vt tecū hoc modo ratiocinemur? Si ergo in scriptura Deus loquitur, hoc non scripturæ sed Dei testimonium est. Quod si Dei testimonium sit, sequitur Deum non scripturam ijs quæ credimus autoritatem dare. Tu fortasse vt hanc præsentem tuam disputationem tuearis, etiam in scriptura hoc concedes, quod nec eius testimonium aliquam autoritatem adferat ijs dogmatibus quæ ex scriptura didicimus. Sed ea quæ in hac ipsa disputatione dixisti, non tibi illud permittent, nisi forte sicut Ecclesiasticæ sic & tuæ ipsius doctrinæ contradicere, nihil absurdi putes. Memineris enim de scripturis hoc modo te in præcedentibus disputasse. *Etsi Spiritus S. testimonium non sit idem, quod ipsi libri scripturarum, externum tamen non est, nec ab ipsis libris seiunctum & alienum quia percipitur ex doctrina quæ in ipsis libris traditur.* Hæc tu ibi. Eodem modo de Ecclesia tibi respondemus, & quidem multo verius, quum reuera non ex scripturæ libris Spiritus S. testimonium internū petatur (vt eo in loco contra te ostendimus) sed cū Ecclesiæ voce hoc testimoniū ordinariè cooperetur vt ex scripturis multis & varijs in hac præcedenti defensione declarauimus. *Etsi Dei testimonium*

Disp. 4. 3.  
cap. 3. 213.

Suprà  
lib. 1. cap.  
11. sect. 5.

nium non sit idem quod est Ecclesiæ quæ loquitur, tamen non est ab ipsa Ecclesia seiunctum & alienum, quia percipitur ex doctrina quæ ab Ecclesia traditur. Bene se res habet. Inuenisti ipsemet, quomodo non seiuncta & aliena sed cõiuncta esse possunt, ratione vnius effectus quem pariter producant, quæ in seipsis vnum & idem non sunt. Hoc in scripturis videre voluisti, vt earum Maiestatem tuereris. Hoc in Ecclesia videre omnino debes, vt Ecclesiæ authoritatem amplius non impugnes. Fateris enim Deum per Ecclesiam loqui. Fateri ergo debes, Dei testimonium ab Ecclesia seiunctum & alienum non esse: sicuti à scripturis seiunctum esse non patens. Fateri postremo debes, non solum Dei testimonium sed Ecclesiæ quoque testimonium authoritatem fidei dogmatibus adferre, & inter cetera, ipsi scripturæ vt à nobis cognoscantur & credantur. Si aliæ rationes tibi non persuadeant, ac tua te confessio premat & conuincat necesse est. Atque de hoc argumento satis multa diximus.

Nisi illud forte ad maiorem adhuc rei tam salutaris explicationem addi debeat, Ecclesiam loquentem causam quidem ministerialem & instrumentalem esse, non tamen vt in artificialibus fit causam merè passiuã & quæ motum omnem ab artifice recipiat, sed esse instrumentalem causam suo proprio motu suaque vi ipsi à Deo data agentem, & Deo cooperatricem, vt scriptura nos docuit. Sic enim Paulus Ecclesiæ minister, de suis Ecclesiasticis laboribus dicit. *Plus omnibus laboravi. Non ego autem sed gratia Dei mecum.* id est, vt exponit Augustinus, *nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.* Sic & D. Bernardus. *Poterat dicere Apostolus per me sed quia minus erat, maluit dicere mecum præsi. meus se non solus operis esse ministrum per effectum, sed etiam coope-*

Ecclesiæ  
vox non  
est causa  
instrumē-  
talis vt ar-  
tis instru-  
mentæ.

1. Cor. 15.  
De gra.  
& lib. arb.  
cap. 5.

in tract.  
de gra.  
& lib. arb.

tantis

2. 2. q. 1.  
art. 7. ad 3.  
1. Cor. 3.

1. Cor. 4.  
1. Tim. 4.  
Ephes. 4.  
Ephes. 3.  
Matth. 5.

*rantis quodāmodo socium per consensum.* Hæc ille. Hoc enim sanè respectu, quia *fidei doctores* vt docet S. Thomas, *habent se per modum agentis in manifestatione fidei,* & vt Paulus disertè loquitur, *adiutores* seu cooperatores Dei sunt, propterea cōcurrunt illi ad fidei effectum in nobis, etiam per modum causæ secundæ cum qua prima causa suuin effectum producit. Nam vt non solum ignis calefacit sed Deus cum igne per concursum suum generalem calorem producit, sine quo concursu nihil ignis efficeret (vt euidenter apparuit in fornace trium puerorum in quos ignis nihil agere potuit, Deo concursum suum abstrahente) & sicut non solum sol lucem adfert sed Deus cum sole hunc mūdum illuminat per concursum suum cum illa causa secundā; sic omnino Ecclesia hominum mentes, docendo & prædicando fidem, illuminat, quia cum Deo ad hunc effectum cooperatur & ad fidem ingenerandam vox eius externa cum Deo per eam loquente effectiue concurrat. Hac de causa tribuitur conuersio credentium, fides, salus, ipsis Ecclesiæ ministris. Paulus dicit. *Per Euangelium ego vos genui.* Idem Timotheo suo scribit. *Attende tibi & doctrinæ. Insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum saluum facies & eos qui te audiunt.* Sic Pastores Ecclesiæ dicuntur, *consummare fideles, edificare corpus Christi illuminare omnes*, denique esse *lux mundi*; quia in his omnibus nobilissimis effectibus, tanquam causæ secundæ & cooperatrices ad eos producendos effectiue concurrūt. Vnde ministri Dei non tam sunt instrumēta ratione eius quod administrant, quam propter efficiendi vim ad instrumentalem causam reducuntur, & illi assimilantur; non quia propriè non agāt, sed quia nec soli nec ex se nec principaliter agunt, verum cum Deo & ex Deo, & ipso Deo principaliter agente.

Sicut

Sicut ergo causa secunda non est res eadem cum causa prima, ignis, sol, aqua, non sunt idem quod Deus sed creaturæ Dei, & tamen hæ causæ secundæ suos effectus naturales propriè & verè produciunt, sed Deus quoque cum illis (alioqui ad omnes eorum effectus immediatè non concurreret, immediatione suppositi, nec verum esset *Deum omnia in omnibus operari, nosque in Deo & esse & viuere & moueri* vt scriptura docet) sic omnino Ecclesia nõ quidem est idem cum Deo sed creatura Dei, & *ministri noui testamenti à Deo ad hoc ministerium vocati, electi & idonei facti*; & tamen effectum conuersionis fidei & salutis in ijs quos docent, (etsi effectus supernaturales,) verè & propriè produciunt, propter potestatem & dona supernaturalia à Deo accepta, & quia Deus supernaturaliter cum illis concurrat: sed Deus quoque cum illis, & quidem principaliter eundem effectum producit. Hæc diuina dignatio est, talem potestatem dare hominibus. Hæc Dei misericordiæ plena prouidentia est, vt humanæ naturæ dignitas commendaretur, vt inter homines charitas augetur, vt infirmitati nostræ succurreretur, qui homines quum sumus, & quoad diuina, natura stulti, ab homine sapiente commodissimè discimus, vt denique superbiam humanam occurreretur, & vt aliqua esset in terris authoritas per quam ad Deum assurgere, qua mediante in officio ac fide contineri, populus credentiam posset. Has causas in hoc opere quod tu impugnas latius deduximus. Talis est Ecclesiæ authoritas, quam vos hæretici videre non vultis, cui obtemperare recusatis, quam omnibus modis extenuare & labefactare contenditis.

1. Cor. 12.  
Act. 17.

2. Cor. 4.

Vide August. in prologo libri de doctr. Christ. & lib. de utilitate cred. cap. 14. & seq. Lib. 2. cap. 6. & lib. 8. cap. 22.

Est quidem aliud quàm Deus Ecclesia, sed est conditio loquentis Dei, quam explanationem meam tu

Vox Ecclesiæ conditio lo-

quientis  
Dei.

Gen. 1.

Matt. 26.

nullo verbo attingere voluisti. Non mutat rationem formalis obiecti, aliqua conditio eius. Non propterea propriè sol nō illuminat, eo quod nō nisi per mediū aetem illuminat, aut interdum per medias fenestras vitreas lumē suū transmittat. Non propterea Deus ipse formalis ratio fidei nostrę propriè non est, quia non nisi per Ecclesię vocem ordinariè lumen fidei ad nos transmittit: Non minus propriè arbor germinat caulis in dijs interuenientibus, quam illę quę solo Dei verbo germinabant, dicente Deo, Germinet terra herbam virentem &c. Sic non minus certò & firmiter & infallibiliter credant, qui Deo per Ecclesiam loquente & hoc interueniente medio credant, quam qui immediatè à Deo docti credebant, vt veteres Patriarchę, Prophetę, & ipse Petrus, *cui nec caro nec sanguis. sed Pater de cælo reuelauit*, quod Christus erat filius Dei viui qui in hunc mūdum venerat. Tot modis vides quod etsi Deus & Ecclesia non sint idem & vnum aliquid, tamen testimonium Dei per Ecclesiam loquentis, & Ecclesię sic loquentis, vnum & idem testimonium est, eiusdem fidei, roboris, & auctoritatis, quoad nos; qui credere semper Deo debemus, quomodocunque nobis loquatur, siue per seipsum siue per alios. Atque hæc de hoc argumento hæctenus.

# RESPONSIO AD ARGVMENTVM DECI- MVM QVARTVM.

## CAPVT. XIII.

*VVhitakerus.*

**D**ECIMVM quartum nostrum Argumentum I. Sect. quod est Caluini tertium, ita se habet. Testimonium Spiritus sancti est prestantius omni auctoritate: ergo idem Spiritus optimè nobis persuadet Deum in Scripturis locutum esse. Nos dicimus, Scripturas Spiritus sancti testimonio nobis comprobari; ergo nos certissimum testimonium adhibemus, etiam aduersariorum iudicio, qui hoc negare non audent. Deus enim solus de se idoneus testis est. Concedit Stapletonus Spiritus sancti testimonium optimum ac certissimum esse; sed verbo tantum concedit, re ipsa vim omnem huius testimonij infringit. Subiungit enim oportere hoc \* Mendacium quia opprime illud statuit. spiritus testimonium publicum ac manifestum esse, non priuatum & arcanum, ne spiritus seductorij sub titulo diuini spiritus sese ingerant; hoc verò publicum spiritus testimonium vult esse Ecclesie iudicium.

*Stapletonus.*

Sententiam responsionis mee satis hic, præter morem tuum, fideliter recitasti: sed causam & rationem huius responsionis mee, more tuo, veterariè & fallaciter, prætermisisti. Hæc nimirum quæ statim sequebantur verba alto silentio inuoluisti. *Ut videlicet non solum sit à Deo testimonium illud, sed etiam constet esse à Deo. Agitur enim de eo. quod fidei est, & pu-*

*Causa cur diuini spiritus testimonium per Ecclesiam nobis innotescere debet.*

*blice atque communis doctrina, de qua omnibus constare debet quod à Deo sit. Tale autem publicum & illustre Spiritus sancti testimonium in Ecclesia Dei perpetuo residere supra docuimus; (lib. 8. cap. 12. & seqq.) idèdque spiritum Dei per Ecclesiam loqui. & de verbo suo per os Ecclesiae testimonium perhibere sicut i de salute vetera testimoniū perhibuit per os Prophetarum eius. Nec cum Ecclesia testimonium aut iudicium predicamus, Dei spiritum vel ab Ecclesia docente, vel à nobis audientibus excludimus, sed utrobique diserte includimus. Hunc enim spiritum Dei & cum Ecclesia Dei inseparabiliter coniungi, in his quæ sunt fidei tradendis supra docuimus (lib. 8. cap. 12.) & singulis quoque adesse ut docenti Ecclesiae credant ostendimus. Lib. 8. cap. 2. & 3. Hæc omnia verba in huius argumenti Calviniani refutatione posita, in quibus ipsius refutationis robur & ratio tota atque confirmatio consistit, tu ignavus aduersarius nec verbo vno attingere es ausus: sed nudam sententiam meam nulla ratione confirmatam lectori proposuisti, ut tantò facilius quasi nudam eam atque inermè fortis athleta confoderes; quam armatam & munitam vel extremis digicis contingere veritas es. Nunc igitur quid contra cauilleris videamus.*

*Whitakerus.*

2. Sect.  
\*Ridiculu-  
lum.

\* Cogitur hic interim fateri, opus esse testimonio spiritus, & certissimum esse hoc Spiritus sancti testimonium.

*Stapletonus.*

Et quis vel quid tandem me coegit hic fateri hoc testimonium spiritus? An Calvinii tui argumentum ab arcano spiritus testimonio ductum? At si verba mea à me iam repetita integrè posuisses, hanc tuam vanitatem lector statim deprehendisset, videns in locis à me designatis, de hoc testimonio spiritus tam arcano in vnoquoque nostrum ut  
efficaci-

efficaciter credamus, quam publico in vocedocentis Ecclesie ut ad fidem inducamur, à me antea disputatum fuisse, ideoque non agnitum modo sed & explicatum atque excussum hoc à me spiritus testimonium intellexisset. Sed ut tua vanitas lectorem literet, illa mea verba subticuisti.

*Whitakerus.*

Itaque ponit testimonium spiritus, sed eiusmodi quale \* nullum est, publicum scilicet & manifestum; ut externum Ecclesie iudicium, pro publico spiritus iudicio habeatur, & quicquid Ecclesia statuit atque iudicat, hoc à spiritus testimonio proficisci credatur. Nullum eiusmodi forum Christus instituit, ut post suo loco patebit.

3. Sect.  
\* Impium & propheticum & si ipsi contrarium.

*Stapletonus.*

Tu nullum esse publicum spiritus sancti testimonium affirmas. At ego tale publicum testimonium in loco à me designato eiusdem operis quod nunc impugnas, comprobavi. Illas probationes meas refellere debuisti, ut meam hic responsionem illis antecedentibus probationibus nitentem iuste refelleres. Rursus tu negas externum Ecclesie iudicium, hoc esse diuini spiritus testimonium publicum. At ego illud ipsum locis designatis studiose confirmavi. Illa confirmatio tibi refellenda fuit, ut sic me falso respondisse ostenderes. Sed tritum in scholis est, & in te nunc confirmatum. Plus potest asinus negare quam Aristoteles probare. Denique nullum eiusmodi forum Christum constituisse, suo postea loco docebis. Illa qualia sint postea videbimus.

Spiritus s. publicum testimonium ex ipso  
V Whitakero probatur.

Sed heus tu, quid si quæ tu hic tam simpliciter negas, ex tuis ipsius præcedentibus verbis probari possint. Ais nullum esse publicum spiritus testimonium, quod videlicet non solum sit à Deo, sed quod

etiam constet esse à Deo. Sic enim meipsum explicui in verbis à te prætermisissis, & supra à me repetitis. Quorsum igitur ad primum Caluini argumentum respondens dixisti? *Non queritur vtrum Ecclesiæ iudicium in se diuinum sit, sed vnde nobis constet diuinum esse.* Vide ergo: de Ecclesiæ ipsius iudicio debet publicè constare quod tale sit. Multò magis de priuati cuiuslibet arcani Spiritus testimonio quo se quisq; priuatus moueri & persuaderi dicit, vt hos libros diuinas scripturas esse credat, constare debet quod tale sit. Certius enim teipso alibi confitente Ecclesiæ iudiciū est, quàm priuati cuiuslibet, eo quòd *maiorē & ampliorē spiritus ac iudicij copiam Ecclesiā habet, quàm priuatus quisquam:* quæ tua quoque sunt in hac disputatione verba. Si ergo Ecclesiæ iudicium an diuinum sit, constare nobis debet, vt tu postulasti, multo magis priuati cuiusque arcanum spiritus testimonium, de quo magis dubitari potest propter minorem spiritus copiam, vt tute docuisti, constare nobis debet, quòd tale sit quale esse dicitur.

Rursum tu hic negas Ecclesiæ iudicium pro publico spiritus iudicio haberi. Atqui modò in refutatione responsionis nostræ ad secundum Caluini argumentum ipsemet falsus es, *Deum per Ecclesiam loqui.* Si ergo Deus per Ecclesiam loquitur, & à Deo Dei spiritus separari non potest, quin Ecclesiæ vox & iudicium (quod semper est publicum, quia publicam personam gerit & ad publicam fidelium instructionem Ecclesiæ semper loquitur) sit publicū spiritus iudicium negari non potest.

*Whitakerus.*

4. *sect.* Quæro enim num omnibus publicum ac manifestum sit, an paucis? \* Non omnibus certè & publicè manifestum est. Tum enim omnes agnoscerent & sese illi submitterent. Si paucis publicum esse

Suprà in  
arg. 12. c.  
12. lib. 3.  
sect. 6.

Sup. lib. 2.  
c. 5. sect. 5.

Suprà ad  
arg. 13.  
sect. 2. &  
5.

\* sibi ipsi  
conuadi it

esse dicant, libenter ab illis scire velim, quomodo id publicum aut manifestum dici possit? Sed quæro præterea, quibus tandem paucis publicum sit? \* Pa-  
 storibus dicent, aut pressi argumētis, vni Papæ. Sed \* Quæsti-  
 onis statū  
 ignorāret  
 immutat.  
 nos huiusmodi publicū iudiciū quærimus, quod omnibus fidelib. pateat, & vel tale nobis Stapleton. ostendat, vel se ludere in re seria fateatur. Non enim disputamus quomodo Papa aut Pastores tantum, sed quomodo omnes omninò fideles intelligant scripturas diuinam authoritatem habere. Quamobrem eo tandem rediguntur, vt fateantur se alio quàm Ecclesiæ testimonio niti, eoque priuato, quippe quod in vno homine lateat.

*Stapletonus.*

Debui totum tuum vanissimum sermonem in-  
 regrum ponere, ne statim ab initio eum intertumpens, incivilis viderer. Alioqui vno statim verbo, & Ecclesiæ  
 iudiciū  
 quomo-  
 do & quibus pu-  
 blicum.  
 in ipso principio sermonis tui, totum nugacitatis tuæ filam abruptissem, breuiter respondendo, hoc publicum Ecclesiæ iudiciū omnibus esse publicum obiectiuè, sed in paucis esse subiectiuè. Penes quidem paucos est, sed ad omnes defertur, & ideo publicum dicitur, quia omnibus illud constat, non paucis. Quod autem tu in contrarium arguis, ergo omnes illud agnoscerent, & sese illi submitterent: verum est, & ita se res habet. Omnes enim fideles  
 (Nos autem (inquis hic tu) huiusmodi publicum hic iudiciū quærimus quod omnibus fidelibus pateat) Ecclesiæ VWhita-  
 ker. s. suis  
 verbis re-  
 turatur.  
 iudiciū agnoscunt & ei se submittant. Et ne in re notissima probanda longior sim, tua ipsius confessio compendio illud probabit. Sic enim supra locutus es. Sup. r. 7.  
 pag. 230.  
 puc  
*Hæc ratio apud omnes vel pessimos homines maximi momenti & pōderis fuit. Ecclesia iudicauit semper hos libros Canonicos esse: ergo tu non debes eos reycere vel de illis dubitare. Sanè impudentem esse oportet, qui hoc argumen-*

Cap. 8. p.  
214.

Cap. 1. p.  
209.

*Non moueatur.* Hæc ibi tu, Rursum seq, capite sic loqueris. *Quis Christianus est, quem Ecclesia Christi commendans scripturam Christi, non commoueat?* Rursum in ipso principio disputat. tuæ hanc confessione proponis. *Non negamus ad Ecclesiam pertinere ut scripturas approbet, agnoscat, recipiat, promulget, suis omnibus commendet: & hoc testimonium esse verum, atque ab omnibus suscipi oportere dicimus.* Hæc ibi tu. Ipsemet fateris Ecclesiæ iudicium ad omnes fideles pertinere, per Ecclesiæ iudicium suis omnibus, id est, omnibus fidelibus scripturas commendari, denique Ecclesiæ testimonium ab omnibus suscipi oportere. Agnoscis ergo ipsemet hoc publicum Ecclesiæ iudicium, omnibus esse publicum ac manifestum. Quod enim ab omnibus suscipi oportet, an non prius omnibus publicum ac manifestum esse debet? Tu ergo te gladio fortis bellator iugulasti.

VWhitakeri con-  
sueti va-  
rietas.

Sed hæc tua semper vanitas est, quum duo proponis, vnum quod verum est leuissimè refutas, in altero quod falsum est & quod nemo dixerit, refutando copiosus es. Quum enim negasses hoc Ecclesiæ iudicium omnibus esse publicum, & eo argumento refutasses, cuius tu falsitatem tua ipsius præcedenti confessione demonstrasses, mox copiosus es, ut probes publicum iudicium dici non debere quod paucis publicum est. Hoc inaniter probas, quia nemo tam demens opinor est qui hoc dixerit.

VWhitakeri in  
disputan-  
do igno-  
rancia.

Et tamen vide hic alteram vanitatem tuam planè vanissimam. Fingis nos dicere velle paucis hoc iudicium esse publicum, quia pauci sunt qui hoc iudicium ferunt. Pastores videlicet, aut fortè vnus Papa. Et non vides, non aduertis ab vna quæstione in alteram transire, à publico iudicio obiectiuè ad publicum iudicium subiectiuè: à publico iudicio quatenus omnibus patet & manifestum est ( quæ fuit

fuit prima tua quaestio) ad publicum iudicium quo pauci per modum authoritatis valent, cuius ferendi & publicandi potestas penes paucos est. An rescis distinguere publicum Ecclesiae iudicium, quatenus à paucis quidem publicatur, Ecclesiae magistris, & quatenus omnibus sit publicum Ecclesiae filiis & subditis? Potestas Principis seu Iudicum & Magistratum sub eo publica potestas est. An ideo publica non est quia in paucis est? At horum Iudicum & magistratum edicta, mandata, leges, publicæ quoque sunt, quia omnes concernunt & obligant illorum iurisdictioni subditos. Tua tarditas his familiaribus exemplis doceri debet. Nunc ad alia pergamus.

*VWhitakerus.*

Abfurdum autem est, foueriare aliquod forum publicum Spiritus sancti. Imo scripturae ipsæ planè contrarium docent, spiritus sancti testimonium \* non nisi priuatum, internum, & arcanum esse. 2. Corin. 1. 21. Paulus ait Deum *obsignasse nos, & dedisse nobis arrhabonem Spiritus.* At ubi? Nempe *in cordibus nostris.* Rom. 8. 16. Non palam, non extra, sed intus, nempe *nostro spiritui, testari* dicitur Spiritus Dei, quod sumus filii Dei. 1. Ioan. 5. 10. *Qui credit in filium Dei, dicitur testimonium habere non in externo aliquo foro, sed in seipso.* Matth. 16. 17. Christus Petro ait. *Caro & sanguis nō reuelant hæc tibi, sed pater meus qui est in cælis.* Quibus verbis procul dubio innuit, intus fuisse Petro à Spiritu sancto persuasum ac reuelatum, quod de Christo prius confessus fuerat. 1. Ioan. 2. 20. Ioannes fideles alloquitur hoc modo. *Vos vnctionem habetis à sancto illo profectam, & nostis omnia.* & verl. 27. eiusd. cap. *Vnctio quam accepistis manet in vobis.* Non intelligit externam aliquam & manifestam vnctionem, sed internam quæ in animis nostris hæreat,

5. *verl.*  
\* Mendacium nobile.

Quæque intus nobis omnem veritatem confirmet.

\*Doctores  
indocti  
errorera-  
fissimas.  
\*Profes-  
sor indig-  
nus pro-  
positiones  
suas non  
intelligit.

Sic Esaia: 59. 21. *Spiritus meus qui est in te &c.* Et cer-  
te \* pugnat cum natura spiritus, vt eius testimo-  
nium externum & publicum sit. \* Qualis enim  
est ipse spiritus, tale eius testimonium est. At spiri-  
tus ipse arcanus & occultus est, & *ubi vult spirat*, vt  
Nicodemum Christus docuit, Ioan. 3. 8. ergo & e-  
ius testimonium occultum est: ita tamē occultum  
vt ijs ipsis interim, qui hac victione perfusi sunt,  
certum & exploratum sit. Atque hoc quidem adeo  
manifestum est, vt ipsi etiam Papistæ cogantur fa-  
teri. Sic enim Hosius in confessione Petrocouien-  
si, cap. 16. Nos verò libenter concedimus, acci-  
pienda esse Euangelia, vt verbum Dei intus do-  
centis & reuelantis, neque credendum illis esse,  
nisi propter Dei vocem intus loquentis.

*Stapletonus.*

Magno conatu meras nugas egisti. Nugatoris  
est id studiosè & copiosè probare quod ab aduer-  
sario non negatur: & quod ad rem propositam  
conficiendam nullo modo pertinet. Propositum  
tibi fuit probare nullum esse publicum & exter-  
num spiritus sancti testimonium penes Ecclesiam  
Nunc tu id tantum ex omnibus scripturis à te pro-  
latis comprobasti, aliquod esse internum spiritus  
sancti testimonium, cuius beneficio vnusquisque  
in particulari credit. Hoc adeo non negatur à no-  
bis, vt etiam disertissimè sit à nobis confirmatum,  
vt in verbis responsionis meæ à te prætermis-  
sis paret. Sed an ideo concludes, ergo nullum est exter-  
num & publicum eiusdem diuini Spiritus testi-  
monium? Quis non te rideat ita concludentem?  
Sunt in hac ciuitate multæ priuatæ ædes: ergo  
nullum est forum publicum, aut domus ciuica in  
qua vel ius dicitur vel iustitia administratur. Kur-  
sum est

VV ita-  
keri col-  
lectio ri-  
dicula &  
exhibitan-  
da.

sum est in singulis hominibus ratio & intelligentia qua verum à falso, bonum à malo discernant: Ergo nulla est disciplina publica, nulli disciplinarum magistri, nullæ scholæ, nullæ Academiæ, vbi publicè docetur verum à falso, bonum à malo discernere. Quis te sic disputantem Doctor indocte, ab omnibus scholis & Academijs non exhibilet, & à cathedra tua Regia cum summa ignominia descendere non iubeat? Sanè ab Ecclesiæ consortio & communionem te ipsum iam abdicasti, *tuo proprio iudicio condemnatus*, vt Apostolus loquitur, qui sic priuatum in vnoquoque Spiritus sancti testimoniũ aduertis & consideras, vt publicum Spiritus sancti testimonium in Ecclesia non videas. Non secus mereris de schola tua Academica vt disputatorem absurdissimum planeque ridiculum penitus explodi.

An dices constare quidem vtrumque posse, vt in exemplis à me prolatis, sed in scripturis sanctis huiusmodi publicum spiritus sancti testimonium non reperiri? At hæc est crassa tua ignorantia Doctor indocte & professor eximie. Vide enim quàm apertè, quàm disertè scriptura hoc doceat: maximè Paulus sermone prolixo & accurato. Disputans enim ille ex proposito de donis spiritualibus, (*de spiritualibus autem nolo vos ignorare fratres*) vbi primum de hoc interno & particulari in vnoquoque credente spiritus testimonio dixisset, *Nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu: & nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu S.* subiungit statim de alijs diuini spiritus operationibus in Ecclesia publicis & ad publicam vtilitatẽ datis, ne secundum tuam dementiam, ex illo priuato cuiusque dono, statim inferret, ergo publica spiritus sancti dona in Ecclesia non sunt. Ait ergo. *Diuisiones vero gratiarum sunt:*

Spiritus S. testimonium publicum ex scripturis ostenditur.

1. Cor. 12.

rum sunt: idem autem spiritus. Varia videlicet donorum Dei distributio, siue in privato, siue in publico. Sed potissimum agens de publicis addit. Et diuisiones ministracionum sunt, idem autem Dominus. Varia est officiorum ratio in Ecclesia, ab vno Christo instituta. Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Vides in hac distributione gratiarum & charismatum esse quandam manifestationem *φανερωσις*, id est, euidentem demonstrationem diuini Spiritus, idque ad aliorum vtilitatem. Hæc manifestatio Spiritus nūquid tibi arcana & occulta videtur? Hęc manifestatio ad vtilitatem aliorum data, an priuata est & nō publica? vide ergo in singulis exemplis que subiungit Apostolus. *Alij quidē per spiritū datur sermo sapientia*, id est, facultas persuadendi ea quæ sunt diuina & altiora mysteria. *Alij autem sermo scientia secundum eundem Spiritum*, id est, facultas manifestandi per creaturas ea quæ Dei sunt. *Alteri fides in eodem spiritu*: Fides videlicet quæ miracula operetur quibus persuadendi magna vis inest. *Alij gratia sanitarum in vno spiritu*: id est, posse verbo & oratione sanare quod etiam confirmat fidem. *Alij operatio virtutum*, id est, miraculorum in genere quæ ex magnitudine facti persuadent: *Alij propheta*, prædictio futurorum quod fecit Agabus. *Alij discretio spirituum*, id est, posse cogitationes & intentiones aliorum penetrare, quod datum fuit Petro, cum Ananiæ & Saphiræ mendacium detegeret. *Alij genera linguarum*, posse varijs loqui linguis, quod ad commendationem fidei valebat. *Alij interpretatio sermonum*, id est, ex afflatu Spiritus posse loqui ad ædificationem aliorum. Hæc fuerunt in prima Ecclesia varia Spiritus sancti dona, variæque eius manifestationes, & publica testimo-

Act. 21.  
Act. 4.

testimonia quibus alij vel in fide confirmabantur, vel ad fidem etiam inducebantur. An dices fuisse *manifestationes*, sed non testimonia manifesta? Vide ergo quid Paulus Lyaconijs dixerit. *Non sine testimonia semetipsum Deus reliquit benefaciens de cælo. dans pluuias, & tempora fructifera, &c.* Sicut enim hæc Dei opera naturalia, diuinæ prouidentia & potentia testimonia erant, quibus ad Deum cognoscendum omnes gentes inuitabantur; ita hæc gratiarum diuisiones per spiritum, testimonia erant Spiritus diuini, quibus ad fidem in Christum homines inducebantur, vel in ea confirmabantur.

Act. 17.

At dices hæc omnia ad publicum Spiritus sancti testimonium, quod in publico Ecclesie iudicio nos ponimus, nihil attinere, quum hæc temporaria & extraordinaria fuerint, nec Ecclesie pastoribus propria, sed multis etiam priuatis ac laicis fidelibus impartita. Est quidem ita: sed ideo hæc produximus, vt primum in genere tuam ignorantiam refutarem, quæ sic arcanum Spiritus S. testimonium ex quibusdam scripturis vrget, vt nullum esse publicum & manifestum eiusdem spiritus testimonium patiatur. Dices enim impudentissimè. *Et certe pugnat cum natura spiritus, vt eius testimonium externum & publicum sit.* Atqui omnes illæ operationes diuini spiritus quas Paulus commemorauit, manifestationes erant, & testimonia externa, illustria & publica, diuini spiritus, qui in multis fidelibus tam mirabiliter operabatur, & tot opera externa ad aliorum utilitatem in illis exercebat.

Sed nunc aduerte an non idem Paulus, publicum hoc & manifestum Spiritus sancti testimonium etiam in Ecclesie pastoribus ac magistris proprium non docuerit. Eodem in loco, vbi ex analo.

Spiritus S. publicum testimonium in voce Ecclesie.

analogia corporis naturalis & partium eius, longa  
 disputatione docuisset varias & diuersas esse in  
 mystico Christi corpore quod est Ecclesia, functio-  
 nes, varia membra, certo ordine disposita tandem  
 concludens ita scribit. *Vos autem estis corpus Christi*  
 1. COR. 12. *& membra de membro, ex partibus, id est, quisque in parte*  
*sua & loco suo ( ut textus Syriacus exponit ) mem-*  
*brum in Christi corpore est. Moxque præcipua*  
*membra, in quibus præcipuas suas functiones Dei*  
*spiritus exercet, ponit & enumerat dicens. Et quos-*  
*dam quidem posuit Deus in Ecclesia primū Apostolos, secun-*  
*do prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias*  
*curationum, &c. Hic iterum repetens manifestatio-*  
*nem spiritus in toto corpore Christi & membris*  
*eius, ponit primo loco, Ecclesiæ præpositos, ut do-*  
*ceat in illis & per i. los Spiritus sancti dona & cha-*  
*rismata manifestari. Dices forte hæc obscurius &*  
*minas clarè ex Apostolo colligi posse. Audi ergo*  
 eum alio in loco clarius ista explicantem. *Vnicuique*  
 Ephes. 4. *( inquit ) nostrum data est gratia secundum mensuram*  
*donationis Christi. Quæ gratia aut cuius nisi Spiritus*  
*sancti gratia? Propter quod dicit. Ascendens in altum ca-*  
*ptiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quæ*  
*dona aut cuius, nisi Spiritus sancti dona? Sequitur.*  
*Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem*  
*Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores &*  
*Doctores. Hæc sunt maxima & præcipua dona Chri-*  
*sti & Spiritus S. data Ecclesiæ. Sed quorsum data*  
*sunt? An ut isti Apostoli, Prophetæ, Euangelistæ,*  
*Pastores & Doctores, arcanum tantum & priuatum*  
*Spiritus sancti testimonium haberent, quo imbuti*  
*& persuasi, ipsi Deo & Christo crederent? Vide*  
 1. *ergo quid sequatur. Ad consummationem sanctorum,*  
*in opus ministerij, in adificationem corporis Christi. Hæc*  
*consummatio sanctorum seu cōfirmatio fidelium,*  
 non-

nonne externum & publicum Pastorum munus est quo omnes fideles tuo testimonio & iudicio confirmantur? An hoc externum & publicum munus sine Spiritu sancto exercetur? Quomodo ergo donum Christi est? Habes igitur externum & manifestum Spiritus sancti testimonium, in publico Ecclesiae iudicio. Rursum, hoc opus ministerij nonne externum & publicum opus est, quo per Ecclesiae ministros & obis administratur quicquid ad salutem pertinet? An verò hoc ministerium publicum sine Spiritu sancto exercetur? Quomodo ergo donum Christi est? de quo alibi dixit Paulus. *Qui fecit nos idoneos ministros novi Testamenti* Habes igitur iterum externum & manifestum Spiritus sancti testimonium in publico Ecclesiae ministerio. Deinde hæc ædificatio corporis Christi; an non actio publica est, & ad aliorum collectionem in ædificium domus Dei ordinata? An priuatum aliquod est Spiritus sancti opus? Aut absque Spiritus sancti operatione hæc ædificatio fit? Quomodo ergo donum Christi est? Habes igitur adhuc semel externum & manifestum Spiritus sancti testimonium in publico Ecclesiae iudicio. Quid enim? Ecclesia pro potestate sibi data, confirmans fideles, exercens opus ministerij sui, ædificans cor usque Christi, nonne in his omnibus publicum iudicium exercet? An ista fieri possunt sine publica testificatione eius veritatis quam docent, quæcunque tandem illa sit ad fidem spectans? Sed alias scripturas audiamus. Quam Christus Apostolis diceret. *Ille (Spiritus S.) testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis*, nonne disertè utrumque coniunxit, internum diuini spiritus & externum Ecclesiae testimonium? An non planè externum & valde publicum Apostolorum testimonium fuit, de quo

2.

2. Cor. 3.

3.

Ioan. 15.  
Exempla  
publici te-  
stimonij  
S. Spiritus

quo

AR. 1.

quo scribitur? *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Iesu Christi Domini nostri? Ipsis autem Apostolis sic testificantibus, nonne Dei Spiritus in illis loquebatur, & per illos hoc totum testimonium reddebat, pariterque in auditorum animis vt huic externo ac publico diuini Spiritus testimonio crederent cooperabatur? Sed vide adhuc apertius exemplum, de externo hoc Spiritus sancti testimonio per publicum Ecclesie iudicium. Orta est inter primos fideles controuersia de legalibus ceremonijs aut seruandis à gentibus conuersis, aut non seruandis. Multi hanc, alij illam sententiam tenebant. Qui veriorem tenuerunt, habuerunt haud dubie arcantum Spiritus sancti testimonium, quo inspirati & indueti veritati consentirent. Sed quia hoc eorum priuatum testimonium alijs aliter sentientibus & credentibus suadere non potuit, itum est ad publicum Ecclesie iudicium, & ad externum Spiritus sancti testimonium, quod tu qui nullum esse dicis, eo tempore si vixisses, omnibus profecto modis impediisses; & ne ad aliquod publicum Ecclesie iudiciu aut externum aliquod Spiritus S. testimonium, quaestio illa referretur, studiose fatigisses, proclamans non esse nisi arcantum Spiritus testimonium, & in eo vnicuique acquiescendum esse, quod quisque sibi ex hoc arcano Spiritus S. dictamine persuaferit. Cæterum te necdum ita insaniente, relata est quaestio ad publicum Ecclesie iudicium, *Conuenerunt Apostoli & Seniores videre de verbo hoc. Et postquam conquisitio magna facta esset, tandem concluditur in hac forma. Visum est Spiritui sancto & nobis. Vide hic doctor indocte, verbis apertissimis expressum, Spiritus sancti testimonium externum in publico Ecclesie iudicio. Quid? An tam impudens eris, vt Concilium hoc**

AR. 15.

hoc Apostolicum, publicum Ecclesiæ iudicium fuisse negare velis? Aut tam demēs & pertinax eris vt Spiritus sancti externum testimonium, in hoc decreto Apostolico, negandum putes? Sententia publica est Spiritus sancti & Ecclesiæ *visum est Spiritui sancto*, vt audito hoc testimonio propter Dei auctoritatem omnes acquiescant. *Visum est nobis*, vt audito Ecclesiæ iudicio, propter Ecclesiæ vicariam potestatem omnes obtemperent.

Sed vide nunc an non quæ ipsemet protulisti, tuam quoque dementiam conuincant. *Repugnat* (inquis) *cum natura spiritus vt eius testimonium externum & publicum sit.* Qui sic bone vir? *Qualis enim est ipse spiritus talis eius testimonium est.* Sed quomodo tale? An omnibus modis tale? Ergo quia Spiritus S. Deus est, eius quoque testimonium Deus erit? Quia Spiritus Sancti æternus est, eius quoque testimonium æternum erit, nullum in tempore datum? Quia Spiritus Sancti incomprehensibilis est, eius quoque testimonium erit incomprehensibile, & à nemine intelligetur? Vides disputator absurde quàm nunc absurdum sit quod subinfers. *At Spiritus ipse arcanus & occultus est, ergo & eius testimonium occultum est.* Eodem enim argumento probabis testimonium Spiritus sancti, Deum esse, æternum esse, incomprehensibile esse: quia hæc omnia Spiritus S. est. *Qualis igitur est ipse spiritus, tale eius testimonium est;* in ratione & vi testificandi verum est, non omnibus modis verum est: id est, testimonium Spiritus S. infallibile & summæ veritatis erit, quia spiritus infallibiliter testificatur. Sic igitur collectio tua stupida est & doctore theologo ac professore regio procius indigna.

Sed & minorem non minus stupidè probas. *Spiritus* (inquis) *arcanus & occultus est, & vbi vult spi-*

Collectio  
V Vhira-  
keri stu-  
pida.

Scripturæ  
ab VVhi-  
yakero. cu-  
tate con-  
tra ipsum  
militant.

*nat. vt Nicodemum Christus docuit.* Atqui verbū proxime subsequens, quod tu proferre non es ausus, cōmentum tuum euidenter refutat. Sequitur enim. *Et vocem eius audis: sed nescis vnde veniat, aut quo vadat.* Spiritus (ait Christus) vbi vult spirat, pro suo beneplacito dona sua impartit, & loquitur seu priuatum in cordibus singulorum, seu publicè per ora Prophetarum: & *vocem eius audis.* Tu Nicodeme in Prophetis vocem Spiritus sancti audiisti. Nam internam vocem Spiritus S. in suo corde, vt in Christum crederet necdū audiuerat. Et tamen si vocem eius audis, tamen hic spiritus quoad seipsum inuisibilis est & lucem habitat inaccessibleem, & nescis quò hic spiritus vadat, aut vnde veniat; vias eius; iudicia, & consilia eius assequi non possumus vt ad Rom. II. Paulus docet. Vide nunc ergo vt hic ipse locus vtcunque Spiritus sancti Maiestatem occultam & inaccessibleem doceat, tamen vocem & testimonium eius occultum & inaccessibleē non doceat: imò contrarium doceat. *Vocem eius audis:* quod Nicodemo adhuc incredulo dictum, de interna voce intelligi non potest. Vocem igitur Spiritus S. per Prophetas olim loquentem intelligit, quam Nicodemus audierat. Sic vocem Spiritus sancti per Ecclesiam loquentem nos audimus. Ait Christus. *Qui vos audit me audit.* Ergo quam Ecclesiam audimus vocem Christi, vocem Spiritus sancti qui à Christo non separatur, audimus. Hæc est publica Spiritus S. vox: hoc publicum eius testimonium. Sic tua absurdissima disputatio non solum te refellit, sed & nouum nobis argumentum suggestit, vnde magis refellaris.

Luc. 10.

Vide nunc aliud testimonium à te non minus infeliciter prolatum. Allegas ex Esai. cap. 59. ver. 21. *Spiritus meus qui est in te &c.* Sed quare cætera falce per-

ee perfidiæ tam eleganter refecuiſti? Sanè quia cæ-  
 tera contra te multum faciebant, pro te nihil. Sic  
 enim apud Eſaiam ſequitur: & hæc eſt eius tota  
 ſententia. *Et timebunt qui ab Occidente nomen Domini* Eſai. 59.  
*& qui ab ortu ſolis gloriam eius, cum venerit quaſi fluius*  
*violentus quẽ ſpiritus Domini cogit, & venerit Sion Redem-*  
*ptor, & eis qui redeunt ab iniquitate Iacob, dicit Dominus.*  
*Hoc fædus meum cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus qui*  
*eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de*  
*ore tuo, & de ore ſemini tui, & de ore ſemini ſemini tui,*  
*dicit Dominus. amodo & uſque in ſempiternum.* Eſt illu-  
 ſtre maxime teſtimonium, externi diuini ſpiritus  
 teſtimoniꝝ per Eccleſiam loquentis, & illud pro-  
 priè confirmat, quod tu ex hoc loco infirmare vo-  
 luisti. Diſertiffimè loquitur de nouo fædere Dei  
 cum nouo populo, vbi Redemptor venerit qui  
 Chriſtus eſt. Dicit hoc fædus huiusmodi eſſe, vt  
 ſpiritus Dei maneat in hoc populo: Nec hoc ſo-  
 lum dicit quod ſpiritus eius manet in illis (quod tu  
 ſolum allegare voluisti, vt internum tantummodo  
 in ſolo corde manens diuini ſpiritus teſtimonium  
 ex hoc loco probares) ſed addit, quod *verba eius quæ*  
*poſuit in ore Eccleſiæ, id eſt in ore Apoſtolorum,*  
*Pæſtorũ & doctõrũ Eccleſiæ (illi enim ſunt qui locu-* Hebr. 13.  
*ti ſunt nobis verbũ Dei, vt Paulus de Præpoſitis Eccle-*  
*ſiæ loquitur) non recedent de ore Apoſtolorum &*  
*omnium ſucceſſõrum quos ſemen Apoſtolorum &*  
*poſteros magiſtros vocat. Pariter cum ſpiritu in*  
*corde Eccleſiæ promittit verba in ore Eccleſiæ.*  
 Hæc verba in ore Eccleſiæ cum diuino ſpiritu in-  
 fallibiliter coniuncta (quod & ipſe Caluinus tuus  
 in commẽtarijs in hunc locum diſertiffimè expreſ-  
 ſit dicens *promittit Deus hoc inæſtimabili dono Eccleſiam*  
*nunquam priuatam iri quin ſpiritu ſancto regatur & ful-*  
*ciatur celefti doctrina:)* ſunt iudicium illud externum

In com-  
 ment. in  
 Eſai. cap.  
 59.

& publicum Ecclesiæ, siue externum Spiritus sancti testimonium de quo quærimus. Hanc Esaiæ prophetiam Christus suaratione ad Patrem confirmavit, sic orans pro Apostolis suis. *Verba quæ dedi sti mihi ego dedi eis & ipsi acceperunt*. Et iterum. *Ego dedi eis sermonem tuum* hoc est, posui verba tua in ore eorum. *Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est*, id est, fac vt hic sermo meus & verba quæ posui in ore eorum, pura ac sancta semper permaneant. Spiritus ergo datur Ecclesiæ, vt verba Dei quæ pauuntur in ore Ecclesiæ nunquam recedant de ore Ecclesiæ. Verba quæ Christus locutus est, dedit Ecclesiæ suæ, & Patrem orauit vt hæc verba eius in Ecclesia permanerent: denique pro illis orauit, *nec solum pro illis sed etiam pro omnibus qui per verbum eorum credituri essent in illum*. Hic à te quæro, hoc verbum in ore Ecclesiæ à Deo positum, & de ore Ecclesiæ nunquam recedens, quorsum in ea ponitur quorsum in ea infallibiliter manet, ( non dico in corde tantum sed in ore ) nisi vt hoc verbū Ecclesia semper doceat? Hoc certe Christus disertè explicuit, orans pro illis qui per verbum Apostolorum, hoc est per verbum Ecclesiæ, credituri essent. Hic est ergo rursus externum Spiritus sancti testimonium in ore Ecclesiæ, id est in publica Ecclesiæ doctrina, iudicio, testimonio. Atque ita alter adhuc locus à te ipso prolatus tuam dementissimam sententiam aperte profligauit.

Nihil sanè dementius à te dici potuit, quam publicum Ecclesiæ iudicium, & externum in eo Spiritus S. testimonium nullū esse. Hæc enim vna dementia tua, vel omnem Apostolicam & Ecclesiasticam prædicationem omni publico iudicio & auctoritate carere, vel absque testimonio Spiritus sancti illam auctoritatem habere, concludet. Quo-  
rum

Ioan. 17.

Spiritus  
S. testi-  
monium  
publica  
alio argu-  
mento  
probato.

rum illud omnem potestatem à Christo Apostolis suis & eorum successoribus datam penitus subvertit; alterum nõ nisi humanam & diuino spiritu vacuam eandem constituit. Sed absurditatum quæ ex tua dementia sequuntur, aut argumentorũ quibus illa refelli posset, nullus finis esset, si singulis immorari vellem. Videamus quæ sequuntur.

*VWhitakerus.*

At Ecclesiæ certè testimonium non potest spiritus dici testimonium propriè, sed tantum per similitudinem, quatenus scilicet cum spiritus testimonio congruat ac consentiat.

6. Sect.  
\* Ridicula euasio prius explosa.

*Stapletonus.*

Hoc tuum commentum in refutatione Argumenti tui duodecimi, refutauimus; vbi propter hanc ipsam similitudinem distinguebas Ecclesiæ iudicium esse diuinum non simpliciter sed secundum quid. Quo in loco sicut ostendimus Ecclesiæ iudicium diuinum esse, quia Deus per Ecclesiam loquitur, & testimonium ac iudicium Ecclesiæ, esse testimonium ac iudicium Dei per Ecclesiam loquentis; sic ex eadem disputatione manifestum fit, Ecclesiæ testimonium esse propriè (non per similitudinem à te confictam, quæ Ecclesiam ex spiritu loquentem necessariò concomitatur, non autem causa est cur sic Ecclesia loquatur) testimonium Spiritus sancti quia semper authore Spiritu S. loquitur iuxta illud, *visum est spiritui S. & nobis.*

Sect. 14.  
Ecclesiæ testimonium S. Spiritus testimonium propriè

*VWhitakerus.*

Non enim negamus publicum Ecclesiæ iudicium posse cum arcano Spiritus sancti testimonio conspirare: sed tam dicimus propter spiritus authoritatem recipi non propter Ecclesiam.

7. Sect.  
AA. 15.  
\* Mendacium supra retortum.

*Stapletonus.*

Et hoc quoque nugamentum dicto iam loco

refutauimus; vbi quod hic de Spiritus testimonio dicitis, de Dei testimonio dicebas, vt non propter Ecclesiæ testimonium, sed propter Dei testimoniũ homines crederent. Ostendimus autem quod propter vtrumque credatur, maximè quum vtrumque vnum integrum medium credendi constituent, vt postea disputando explicatum est.

*VWhitakerus.*

8. Sect.

\* Propriũ  
crimen  
alteri im-  
pingit.

\* Menda-  
ciũ splen-  
didum.

Quod verò Stapletonus subiungit, publicum iudicium necessarium esse, propter spiritus falsos & seductorios, respondemus hunc hominem \* sapientio-rem Christo videri velle. Christus enim quum hoc malum prospiceret & præuideret, tamen nul- lum aliud contra hos fallaces spiritus medium reli- quit, nisi scripturam: in cuius quidem iudicio qui non acquiescit, is certè Ecclesiæ etiam authoritatè contemnet.

*Stapletonus.*

Ecclesiæ  
auctorita-  
tas reme-  
diũ con-  
tra erro-  
res à Chri-  
sto relictũ

Ephes. 4.

Tuam mihi scabiem affricas, dum me *Christo sapientio-rem videri velle* ais, qui publicum Ecclesiæ iudicium ad falsos & seductorios spiritus cauendos necessarium dicam; *quia* (inquis) *Christus nullum aliud remedium huic malo reliquit nisi scripturam.* Vide enim an non hæc tua magis infania sit, qui maiori impudentia quàm quæ facile explicari queat, affir- mas nullum remedium relictum hac in re nisi scri- pturam. In hoc enim tam luculento & splendido mendacio tuo, non solum Christo sapientior videri vis, qui in Ecclesiæ pastoribus & doctoribus hoc iudicium apertissimè reliquit, sed etiam Chri- sto aperto ore contradicere non vereris. Vide & at- tende an non ita se res habeat. *Christus dedit* (si Paulo credimus) *Apostolos, prophetas, Euangelistas, pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij &c. vt iam non simus sicut paruuli fluctuantes, & circum-*  
*feramur*

feramur omni vento doctrinae, in nequitia & astutia hominum, ad circumuersionem erroris. Isti falsi & seductorii spiritus, de quibus in mea ad Caluini argumentum responsione locutus sum; sunt hi homines nequam & astuti qui circumueniunt in errorem, de quibus Paulus loquitur. Seductorii spiritus, quin homines seductores significant dubitare potes? Dicente D. Ioanne; Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus <sup>1. Ioan. 4.</sup> an ex Deo sint? An non de seductoribus hæreticis loquitur? Si adhuc dubitas, attende quæ sequuntur. Quoniam, inquit, multi pseudoprophetae exierunt in mundum. Vide ergo quanta cum impudentia mentitus fueris. Affirmas perfricta fronte, falsos & seductorios spiritus, id est, pseudoprophetas, pseudoapostolos, operarios, malos & subdolos, transfigurantes se in Angelos lucis, seductores (tot enim nominibus hæretici contra- <sup>Matt. 24.</sup> <sup>2. Cor. 11.</sup> <sup>Philip. 3.</sup> <sup>Act. 24.</sup> tres tui in scripturis vocantur) Christum quidem præuidisse, sed contra hos fallaces spiritus nullum aliud remedium reliquisse nisi scripturam. Paulus autem disertissimè dicit contra hos fallaces & impios seductores, qui in nequitia & astutia circumueniunt in errorem, dedisse Christum Apostolos, &c. pastores & doctores, in opus <sup>Ephes. 4.</sup> ministerij, ad confirmationem fidelium, ne simus fluctuantes & ne circumferamur omni vento doctrinae, quem isti nequam & astuti seductores excitant. Ergo aliud reliquit remedium præter scripturam, nempe pastores & doctores; & aut Paulus nos fefellit, aut tu impudentissimè mentitus es. Non te pudebit ac pigebit tandem tot mendaciorum tuorum? Siccine semper contra apertissimas scripturas, scripturarum prærogatiuam à vobis confictam, qua illa non illustrior sed magis incerta redditur, vrgere perges? Tu videris. Magis certè insanire nõ poteris, nec cõtra manifestam scripturarũ doctrinã magis pugnare, quã in hac tua disputatione hæctenus pugnasti.

VWhitakerus.

9. Sect. Calumniatur \* præterea, nos Ecclesiæ iudicium  
 \* Mēritum merè humanum facere, quod quidem falsum est.  
 perspicue. Etsi enim dicamus Ecclesiam ex hominibus constare, tamen \* quando eius testimonium cum Spiritus S. iudicio ac testimonio conspirat, & cum verbo Dei consentit, tum diuinum esse fatemur.

\* Sic cuiuslibet privati hominis iudicium diuinum erit.

Stapletonus.

Præclarè scilicet. Quidni verò & tuum VWhitakere iudicium, ac meum, aut cuiuslibet alterius iudicium diuinum quoque erit, non secus quàm Ecclesiæ, quando nostrum testimonium cum Spiritus sancti iudicio ac testimonio conspirat, & cum verbo Dei consentit? Quid ergo amplius tribuis Ecclesiæ iudicio, quàm cuiuslibet alterius fidelis iudicio, imo quàm Turcæ cuiuspiam iudicio, si fortè aliquid dixerit & docuerit quod cum Dei verbo consentiat? Porro quemadmodum etsi hoc in quolibet verum sit, testimonium eius verum esse si cum Dei verbo consentiat, & tamen negari non potest, singulariũ & priuatorũ hominũ de fide iudicia humana esse, quia iudicandi de fide à Deo potestaté non acceperunt; sic tamen si hoc Ecclesiæ iudicio tribuatis, vt tũ verum habeatur ac diuinũ quando cũ Dei verbo consentit, nihilominus simpliciter loquẽdo eius iudicium non nisi humanum constituitis. Porro de hac fucata conditione, *si cum Dei verbo consentiat, &c.* quæ nihil est quàm ad populum phaleras, vt dici solet iam in argumento 12. satis multa diximus, & vanissimam esse ostendimus. Sed & à te (VWhitakere) Ecclesiæ iudicium pro merè humano haberi (quod nunc tam sanctè negas) hæc tua verba in hac disputatione tua posita, alta & clara voce proclamant. Sic enim scribis, *Aduersariorum verè humana mediã sunt. Nam praxis Ecclesiæ est consuetudo hominum.*

Quæst. 5.  
 cap. 10.

*hominum. Patrum sententia est opinio hominum. Concilij definitio est iudicium hominum. Papa decretum est voluntas hominis, idq; vnus. Sed Ecclesia (inquiunt) non errat. Papa non errat. Vtrumque esse falsum suo loco (in Vtopia) docebimus. Nos scripturam non errare scimus; ideoq; eam interpretationem verissimam esse iudicamus quæ cum scripturis congruit. Quid nobis cum Ecclesiis aut Concilijs aut Papis, nisi quæ definiunt, scripturis esse consentanea doceant? Nos Ecclesiam non errare vnde accepimus? & quam hanc tandem Ecclesiam esse dicemus? Hic certè nihil inuenies nisi humanum ac proinde incertum minimeq; tutum. Hæc tibi. Concludis in Ecclesia nihil inueniri nisi humanum. Et hic conquereris dicens. Calumniatur nos Ecclesie iudicium merè humanum facere. Distingue ergo & discerne inter hæc duo. In Ecclesia nihil inuenitur nisi humanum: & Ecclesie iudicium est merè humanum. Repetere tibi semper debeo. Mendacem oportet esse memorem.*

*VWhitakerus.*

Interim tamen ei tum credi dicimus, \* non propter ipsam Ecclesiam & eius authoritatem, sed 10. Sect. \*Falsum vt supra. propter illam veritatem quam sequitur, ac pronunciat: & propter Dei ipsius authoritatem cui Ecclesia duntaxat in isto iudicio tanquam ministra inseruit.

*Stapletonus.*

Huic quoque distinctioni tuæ in præcedentibus In respon. ad arg. 12. sect. 14. responsum est. Tu enim hic nihil nisi vetera replicas, vt chartam repleas & copiosè respondisse videaris. Sed & nunc hæc addo. Si Ecclesie credendum censeres propter veritatem quam sequitur & pronunciat, cuius quoque priuato in causa fidei credendum est, si veritatem sequitur & pronunciat. Nusquam autem priuatos audire aut illis credere iubemur. Ecclesiam verò sicut Christum au-

dicit ipse Christus iubet: Ecclesie prædicatoribus  
 legitime missis credendum esse Paulus docet. Est  
 Luc. 10. Rom. 10. ergo aliquid amplius cur Ecclesie credamus, quã  
 propter veritatem quam sequitur. Sed addis præ-  
 terea: *etiam propter Dei auctoritatem cui in hoc iudicio  
 tanquam ministra inseruit.* Si igitur propter hoc mini-  
 sterium illi commissum (quod nunc magis vigi-  
 lanter attendis) credendum illi est, quæro à te an  
 quod hoc ministerium suum fideliter exequatur,  
 certò nobis constet, an non. Si certò constat ergo  
 prior tua conditio & cautio (*quando cum verbo Dei  
 consentit*) superuacanea fuit. Si non constat, ergo  
 ad prius redeundum est, nec propter ministerium  
 quo fungitur, sed propter veritatem quam sequi-  
 tur, credendum ei est. Nos verò Ecclesie iudicio,  
 voci, testimonio, ministerio credimus simpliciter  
 & absolute, quia Dei ministra & organum est, quia  
 Deus per eam loquitur, quia fidei nostræ magistra  
 est, *ad docendum omnes gentes à Christo missa*, quia deni-  
 que *qui illam audit Christum audit*: non quidem siue  
 verbo Dei consona loquatur siue non, sed siue hoc  
 nobis constet siue non: tum quia de Ecclesie iu-  
 dicio postea iudicare nostrum qui oves & subdi-  
 ti sumus non est: tum quia certissimè credimus ad  
 Ecclesiam cæcam & errantem audiendam Chri-  
 stum nos mittere noluisse, nec talem ab omnibus  
 audiendam in mundum mittere voluisse; ne con-  
 tra quam ipsemet dixerat: *Cecus cecum ducat, & ambo  
 in foveam cadant.* Vos oves & subditi esse nescitis;  
 Arietes singuli esse vultis; & petulcis cornibus pa-  
 storum vestrorum iudicia & voces ventilare; exa-  
 minare, refellere si potestis. Nam & vide quid  
 nunc consequenter dicas.

Ecclesie  
 credendū  
 simplici-  
 ter.

Matt. 28.

Luc. 10.

Matt. 18.

*Whitakerus.*

11. Sect.

Non sunt autem omnes Ecclesie Dei quæ hoc  
 sibi

sibi assumunt & arrogant, sed illæ tantum quæ statuunt quod Christus statuit, & idē docent, quod ille docuit.

*Stapletonus.*

Ita sanè: nec pastores agrestes omnes sunt qui hoc sibi assumunt & arrogant, sed illi tantum qui in bona pascua suas oves deducunt & curam illarum habent: nec Reges, Principes, Magistratus, Prætores omnes sunt qui hoc sibi assumunt & arrogat, sed qui iuxta leges, & legitimas patriæ consuetudines, ipsamque maximè rationem, ex æquo & bono regunt & Rempub. administrant. Nec demum omnes doctores ac professores Regij hoc nomine digni sunt, qui ad hunc titulum ac locum quocunque tandem modo peruenerunt, sed illi tantum, qui eruditionem titulo conuenientem adepti sunt, & docendi officium diligenter, eruditè, prudenter exequuntur: iuxta artis quam docent principia, axiomata, conclusiones: & quatenus veritati consentanea profitentur. Sed quid mihi Whittakere? An propterea pastori rustico oves non obediunt, sed de bonis pascuis cum suo pastore contendunt? An propterea Regi, Principi, Magistratui, Prætori, subditi & ciues non obediunt, sed de legibus ipsis & consuetudinibus, quantumlibet olim constitutis & tempore firmatis, de vniuerso æquo & bono cum illis disceptabunt, & ad rationis normam omnia de nouo exigent? An propterea Doctoris ac Professoris dictata, singuli discipuli examinabunt, excutient, & pro suo arbitrio probabunt vel improbabunt? Talis *ἀναρχία* & totius ordinis perturbatio tibi placet, tibi laudanda & approbanda videtur? Si in propositis exemplis ista displicent, multò magis multoque fortius in Ecclesiæ iudicio hoc displicere debet: multò magis mul-

Exceptio-  
nes hære-  
ticæ cōtra  
Ecclesiæ  
authori-  
tatem.

*Ecclesiæ  
iudic. o  
cur sim-  
pliciter o-  
bediendū*

gis multoque fortius Ecclesiæ vox, iudicium, testi-  
monium (tametsi nihil aliud docere debeat quam  
quod Christus docuit) simpliciter & absolutè reci-  
pienda & credenda sunt: eo quòd solius Ecclesiæ in-  
fallibile iudicium sit; quum pastores agrestes, reges,  
principes, magistratus, prætores, doctores ac pro-  
fessores etiam Regij, à vera ratione aberrare, ab æ-  
quo & bono deflectere, à veritatis tramite suos ab-  
ducere, facillè possint & frequenter soleant. Ordo  
tamen in omnibus seruandus est, vt si pastorem a-  
grestem in officio suo negligentem non ipsæ oues  
sed Dominus ipse pastoris corripere; si Reges in  
tyrannidem verios non nisi plena regni comitia in  
ordinem cogere; si magistratum inferiorem ac præ-  
torem aut Dominus superior aut ipsa communitas  
delinquentem arguere; si doctorem ac professorem  
aliena docentem, vel doctorum collegium, vel le-  
ges Academicæ, vel Cancellarij aut Rectoris pote-  
stas, pro cuiusque loci consuetudine in viam redu-  
cere debent, multò magis multoque fortius pastor  
spiritualis particularis, aut aliqua Ecclesia particu-  
laris in doctrina fidei errans, non à suis subditis  
(multò minus ab ijs, qui ab vnitae gregis sese se-  
parant) sed ab alijs collegis & pastoribus suis, vel si  
opus est à tota pastorum communitate in plenario  
concilio, aut demum à supremo in terris pastore  
Christi vicario, corripì, emendari, iudicari debet.  
Singulorum autem subditorum de suo pastore,  
multò minus de pastorum communitate aut supre-  
mo pastore iudicare, eiusve vel eorum doctrinam  
ac iudicium de fide in dubium vocare, nunquam  
fuit, nisi hæreticorum. vt vnus hodie Caluini, v-  
nius Chemnitij, vnus Whitakeri, & huiusmodi.

*VWhitakerus.*

12. Sect. Sed non disputamus hic de vera Ecclesia, quæ &  
qualis

qualis illa sit: hoc tantum querimus, vnde nobis constet Ecclesie iudicium verum ac diuinum esse? Hoc enim illud est quod in quaestione ponitur. Afferant ergo argumentum aliquod vnde hoc nobis constare possit, alioqui nihil agunt. Sed nullum certe afferre possunt: nec attulit \* ipse Stapletonus aliquod, sed tanquam concessum sumit. Tantum dicit, impudentes nos esse, si non credamus & indignos quibuscumque disputatio habeatur: Aut idem per idem probat hoc modo. Verum est Ecclesie iudicium diuinum esse, quia Ecclesia ipsa ita dicit. Regitur à Spiritu sancto, quia se regi affirmat. Sed nos multò rectius possumus respondere, impudentes eos esse, si non credant scripturis, & scripturam diuinam esse, quia ipsa scriptura id affirmat. Atque de hoc argumento non est quòd plura dicamus.

*Stapletonus.*

Iam penè mihi persuadeo verum esse quod aliquando audiui, libros nostros de rebus in religione controuersis etiam latinè scriptos, non secus in insula vestra supprimi & occultari, quàm quos olim Anglica & Vernacula lingua scripsimus; quos grauissimis interdictis & pœnis prohibitos esse, edicta vestra promulgata & ad nos delata certam fidem fecerunt. De latinis nostris idem factum fuisse nunquam credidi. Nunc tamen saltem summo studio illos apud vos occultari, hæc tua oratio mihi penè persuadet. Quum enim quæ in hac disputatione scripsisti, eadem discipulis tuis in schola Cantabrigiensi dictasti, vt in principio operis apparet, procul dubio si hoc opus nostrum quod hic impugnas in illa Academia aut venale prostaret, aut in studiosorum manibus versaretur, vt ita vel antequàm hæc dictares nostra legissent, vel postquam dictasses ea legere potuerint, profectò vel auditorum

tuorum

tuorum ambæ aures quum hæc audiebant tinnirent, quia librum legerant, vel vultus tuus totus rubore suffusus esset (si quis in te rubor aut pudor est) quia legere eos potuisse animaduertes. Quid enim a te impudentius dici vnquam potuit, quam hic dictum est? Aut ad quod vnquam mendaciam erubescere poteris qui hic non erubuisti?

Dicis & dicendo repetis, vnde nobis constare possit Ecclesie iudicium verum ac diuinum esse, nullum à nobis argumentum afferri posse: Nec attulit (inquis) ipse Stapletonus aliquod, sed tanquam concessum sumit, &c. quæ sequuntur. Dico hic te impudentissimè mentiri. Videat enim & attendat Lector. Tu hic librum nouum operis mei de principijs fid. doctrinal. impugnas. In eiusdem operis libro octauo, per multa capita, longa & accurata disputatione, multis scripturis, multis rationibus theologicis doceo, vnde nobis constare possit Ecclesie iudicium verum ac diuinum esse. Capitis octauo hoc argumentum est. *Vocem docentis & attestantis Ecclesie esse medium necessarium ex hypothesi, quia à Deo ordinatum, vt propterea non nisi in Ecclesia & per Ecclesiam Deus audiatur, rationibus theologicis explicatur.* Capitis noni hoc argumentum est. *Idem ex scripturis copiosè ostenditur, & propterea Ecclesia loquenti neminem fidelem refragari debere, demonstratur.* Omitto capita intercedentia huius demonstrationis appendices & corollaria. Capitis duodecimi hoc argumentum est. *Vox docentis seu attestantis Ecclesie est medium non solum necessarium sed etiam certum & infallibilis Regula ipsius fidei.* Capitis decimi tertij hoc argumentum est. *Cauillationes Aduersariorum contra probationes è scripturis superius allatas soluuntur.* Capitis decimi quarti hoc argumentum est. *In quo sensu asseratur hæc infallibilitas Ecclesie in docendo ex scripturis collecta.* Capitis decimi quinti hoc argumen-

Ecclesie  
Iudicium  
verum ac  
diuinum  
esse,  
quàm  
operosè  
fuerit de-  
monstra-  
tum.

tum est. Circa quæ in genere versatur hæc infallibilitas docenti Ecclesiæ attributa. Capitis decimi sexti hoc argumentum est. Demonstratio, quod vox docentis Ecclesiæ non sit merè humana, sed suo modo diuina, ex discrimine legum & sententiarum omnium. Capitis decimi septimi hoc argumentum est. Quod doctrina Ecclesiæ est diuina, licet leges Ecclesiasticæ eo modo diuinæ non sunt. Capitis decimi octauæ hoc argumentum est. Ecclesiæ docentis vocem esse diuinam ex scripturis demonstratur. Tamenne dices Whitakere, vnde nobis constare possit Ecclesiæ iudicium verum ac diuinum esse, nullum argumentum afferre Papistæ possunt; nec attulit ipse Stapletonus aliquod, sed tanquam concessum sumit? Tamenne rursum ita mentieris? Qui per decem capita hoc demonstrauit, ille nullum argumentum attulit? ille tanquam concessum sumit? Ille tantum dicit impudenter vos esse si non creditis? Rursum qui ex scripturis & rationibus theologice accurata disputatione hoc probauit ille (vt tu hic dicis) idem per idem probat hoc modo: verum est Ecclesiæ iudicium diuinum esse quia Ecclesiæ ipsa ita dicit. Regitur à Spiritu S. quia se regi affirmat? Quam hic Magister mendax tot mendaciorum tuorum tantæque impudentiæ tuæ excusationem afferre potes?

An dices hoc in loco & in huius argumenti Calviniani solutione me nullum huius rei argumentum attulisse? ideoque etsi alibi attulerim, mētutum te non esse? Atqui non sic elabi poteris. Primum enim hoc ipso in loco lectorem monui, huius rei argumenta me prius attulisse, idque his verbis; quæ tu propterea prætermittere voluisti, ne hoc tuum tam luculentum mendacium Lector aduertere. Tale publicum & illustre Spiritus sancti testimonium in Ecclesiæ Dei perpetuò residere supra docuimus: ideoque spiritum Dei per Ecclesiæ loqui &c. Et in margine apponitur. supra lib. 3. cap. 12. & seqq. Monitus ergo

VWhitaker  
kero mē-  
daciōr.  
Nemo.

ergo satis fuisti, etiam hoc ipso in loco, ne sic impudenter de me mentirere. Deinde aio debuisse te cognoscere & aduerrere quid in præcedentibus libris eius operis quod impugnas de Ecclesiæ potestate disputaueram. Postremò dico non debere te hoc tam constanter affirmare, quod prius compertum & exploratum non habes. Manet ergo mendacium tuum inexcusabile, & pro sua impudentia cote dignum. Certè toties & tam impudenter in hac tua contra me disputatione mentitus es, vt de mendacissimo aliquo hæretico aut scriptore dici vix possit. *VWhitaker mendaciōr est.* Atque de hoc argumento non est opus vt plura dicamus.

---

## R E S P O N S I O A D A R G V M E N T V M D E C I - M V M Q V I N T V M.

### C A P V T. X V.

*VWhitakerus.*

2. *Seçt.* **S**E Q V I T V R iam Argumentum nostrum de Scimum quintum, Caluini verò quartum quod est huiusmodi. Dicitur Ecclesia (Ephes. 2. 20.) ædificari in fundamento Prophetarum & Apostolorum, hoc est in doctrina Prophetica & Apostolica. Ergo Prophetica & Apostolica doctrina, hoc est, tota scriptura, & eiusdem etiam approbatio, præcessit Ecclesiam sine qua nunquam ea extitisset.

*Stapletonus.*

Antequam quid contra nostram responsionem plices expendamus, illud breuiter à te quero cur  
Aposto-

Apostoli verba inuertis, & ordinem verborum eius Scripturæ  
verba in-  
uertit.  
cur non exactè tenes? tu inquam qui scripturæ  
Maiestatem diuinam vt alibi loqueris, ita reuere-  
ris? Apostolus enim non dixit, *fideles adificari super  
fundamento Prophetarum & Apostolorum* vt tu verba  
Pauli recitas, sed super fundamento Apostolorum  
& Prophetarum. Apostolos primo loco ponit non  
Prophetas. Ita scilicet. Hæc est erga scripturas reue-  
rentia vestra. Quum causæ vestræ commodum est,  
verba ipsa & textum inuertitis, vt instituto vestro  
subseruiat. Idcirco enim ordinem verborum in-  
uertisti; idcirco Prophetas Apostolis præposuisti, vt  
postea probabilius sustineres, Prophetas veteris te-  
stamenti ab Apostolo hic intelligi, non noui testa-  
menti: de qua re plura mox.

*VWhitakerus.*

Respondet Stapletonus, Caluinum fallere le- 2. *sect.*  
ctorem duplici equiuocatione, in his nimirum du-  
abus vocibus: *fundamentum & Ecclesia*, Ait enim pri-  
mò fundamentum hoc in loco non significare do-  
ctrinam à Prophetis & Apostolis scriptam, sed illo-  
rum prædicationem. Deinde ait per Ecclesiam hic  
intelligi, non magistros, præsules, & præpositos,  
sed ipsos fideles, vt corpus Ecclesiæ constituunt.

*Stapletonus.*

More tuo, id est fallaciter & mutilatè, respon-  
sionem meam ita refers, ita proponis, vt sua ratione  
& confirmatione eam semper spolies; illud vniuer- Respon-  
sionis  
quam im-  
pugnat  
confirma-  
tionem &  
rationem  
diffirma-  
las.  
sum prætermittens quod ad responsionis factæ pro-  
bationem pertinet. Qua in re dupliciter tibi consu-  
luisti. Primum vt non sit tibi necesse contra proba-  
tiones allatas replicare: deinde vt ipsa responsio  
mea tuis replicis facilius exponeretur, magisque  
infirma appareret. Astutè vt seductorem decet.

Whitakerus.

3. Sect.

Quod ad primam æquiocationem attinet, quatuor respondeo. Primum. Quid si concedamus fundamentum Prophetarum & Apostolorum, hoc in loco de prædicatione Apostolica & Prophetica intelligi? Nihil hoc quidem contra nos pro ipso valebit.

Stapletonus.

Hoc tibi necessario concedendum est propter causam in nostra Responsione allatam, contra quam tu nihil replicasti: quæ hæc erat. Non enim de scriptis Apostolicis (quæ nondum scripta erant) illa Paulus dicere potuit, sed de prædicatione Apostolica, de qua alibi dixit. *In omnem terram exiit sermo eorum* & de qua Petrus quum dixisset, *verbum Domini permanet in æternum*, adiecit: *hoc est autem verbum quod evangelisatum est in vobis*. Hæc ibi olim dixeramus, quæ tu hic penitus dissimulas. Quibus nunc addo. Neque etiam quæ scripta ab Apostolis fuerant, pro Apostolicis ubiq; innotuerunt; neq; Ephesios Paulus per scripturas Apostolicas sed per viam vocis prædicationem connoterat; neque maior ratio erat cur Paulus Apostolicas & Propheticas scripturas pro fundamento poneret, quàm Euangelicas. Euangelistarum, quas tamen omnino tacet. Præterea Apostoli & Prophetæ (vt in eadem epistola Paulus docet) dati sunt *ad adificationem corporis Christi*: & Paulus vnus Apostolus, scribit se vt *sapientem architectum fundamentum posuisse, alios autem superadificare*: vbi & longa oratione profequitur, quomodo superadificare alij debeant super fundamentum ab ipso positum. Perspicuè igitur & euidenter Paulus hoc loco per fundamentum Apostolorum & Prophetarum, super quod ædificatos fideles dicit, de illa ædificatione loquitur, ad quam Apostolos &

Ephes. 4.  
I. Cor. 3.  
Fidelium  
superædi-  
ficatio su-  
per prædi-  
catione  
Ecclesia-  
stica facta  
est.

Pro-

Prophetas datos fuisse à Christo in eadem epistola commemorat. Hæc autem fuit prædicatio & viua vox Ecclesie, de illo quoque fundamento loquitur, quale illemet Apostolorum vnus, sese posuisse alibi testatur. Hoc autem fuit fundamentum fidei de Christo, quod prædicando viua voce posuerat. Antea enim præmiserat eodem in loco. *Ego plantavi, Apollo rigauit, Deus incrementum dedit. Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundam laborem suum. Dei enim sumus adiutores. Dei agricultura estis; Dei ædificatio estis. Secundum gratiam Dei que data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui. alius autem superædificat.* Quis tam stupidus aut pertinax esse potest vt negare velit Apostolum in rota hac oratione de sua prædicatione verba facere? Quo posito, quis rursum tam stupidus aut pertinax esse potest, vt non manifestè videat & agnoscat, eundem Paulum quum fideles scribit *ædificari super fundamentum Apostolorum* &c. eandem ædificationem & idem fundamentum intelligere, qualem tum in eadem epistola, tum alibi ipsemet describit. An melior verborum Pauli interpretes esse potest, quam Paulus ipse? Hoc igitur vt dixi, necessariò tibi concedendum est, Paulum hoc loco què Calvinus protulit, de prædicatione Apostolica & doctrina Prophetica noui testamenti propria, non de scripturis Propheticis aut Apostolicis loqui. Sed nunc quia totum hoc nihil contra te aut pro nobis valere affirmas, illud vt probes, videamus.

*VWhitakerus.*

Prophetarum enim & Apostolorum prædicatio \* eadem plane fuit cum ipsa scriptura. Quod quidem patet ex Actis 26. 22. vbi Paulus in hunc modum loquitur. Auxilium à Deo nactus, in hunc vsque diem petisti, testificans ista tum paruis tum

4. Sect.  
\*Ridiculum in sensu suo.

magnis, nec quicquam dicens extra ea quæ Propheta ac Moses futura prædixerunt *ἕδεν ἔκτως λέγων.* Quicquid ergo docuerunt Apostoli, ex Prophetis & Moyse sumpserunt: extra verò illos nihil docuerunt.

*Stapletonus.*

Nihil est tam absurdum quod tu dicere verearis. Nulla tam inepta & ridicula probatio est quam tu reformides. Et sicut famelici canes vilissimis ac sordidissimis cibis vescuntur, sic tu famelicus & inanissimus disputator, etiam absurdissima asserere & argumentis vti ineptissimis non recusas; modo aliquid dicendo, fami ac libidini contradicendi tuæ satisfacias. Quid enim absurdius dici potuit, quàm Prophetarum & Apostolorum prædicationem eandem planè esse cum ipsa scriptura? id est Apostolos & Prophetas nihil amplius prædicasse quàm quod in veteribus scripturis inuenerunt? Hic enim est tuæ assertionis sensus manifestus, vt probationes tuæ perspicuum faciunt. Certum quidem & indubitatum est, Prophetarum & Apostolorum prædicationem scripturis veteribus fuisse conformem, & hoc modo eandem, id est, eiusdem sententiæ ac veritatis fuisse cum ipsa scriptura. Sed eandem cum scriptura hoc sensu prædicationem illorum fuisse, vt nihil aliud prædicauerint quam quod in scripturas relatum fuerit, prorsus absurdissimè dicitur; ideoque rationibus firmissimis probari debet.

Sed ratio & probatio prima quam adfers, ipsa tua assertione adhuc adsurdus quid, id est, magis perspicuè & euidenter absurdum concludit. Sic enim disputas. Paulus profitetur se in prædicatione sua nihil dixisse, extra ea quæ Propheta ac Moses futura prædixerunt. Ergo quicquid docuerunt Apostoli, ex Prophetis & Moyse sumpserunt: extra verò illos nihil docuerunt.

Hæc

Apostolorum ac Prophetarum prædicationem non fuisse eandem cum ipsa scriptura.

Hæc est tua collectio, quæ vide nunc quot modis <sup>Argumē-  
ti absur-  
ditates.</sup> absurda sit. Primum quod vnus Paulus de se dixit, tu ad omnes Apostolos trahis. Esto Paulus quicquid docuit ex Prophetis & Moyse sumpsit. An propterea sequitur: ergo alij Apostoli similiter quicquid docuerunt ex Prophetis & Moyse acceperunt? An quem vnus Paulus in prædicando modum ac formam sequutus est, eandem ceteros Apostolos secutos esse necesse est? An quia Paulus in sua prædicatione legalium cessationem vehementer vrgebat, vnde à Iudeis conuersis male audiebat, *quasi discessionem à lege Moysis doceret*, vt ex verbis Iacobobi ad illum patet, ideo omnes alij Apostoli idem faciebant? Imò manifestum est in prædicatione Pauli vel hac in parte à prædicatione D. Petri & aliorum qui in Iudæa & ipsis maximè Iudæis extra Iudæam Christum prædicabant, hoc discrimen fuisse quòd ille cæteris acrius, vtpote gentium Apostolus, legalium cessationem vrgebat. Vnde ait ipsemet. *Qui operatus est Petro in circumcisionem, operatus est & mihi inter gētes.* <sup>Gal. i.</sup> Tametsi ergo vnum Christum omnes Apostoli prædicabant, certum tamen est nõ eodem modo omnes prædicasse, sed paulò aliter Iudæis, aliter gentibus Christum annuntiasse. Primum igitur non sequitur, etsi aliàs bona esset collectio. Paulus sic fecit: ergo & alij Apostoli.

Deinde (quæ multò maxima absurditas est) ex hac tua collectione sequitur nec Paulum nec alios Apostolos, ex Euangelio, aut de verbis & doctrina Christi, aut ea quæ in epistolis Apostolicis continentur quicquam prædicasse. Dicis enim tu. *Quicquid docuerunt Apostoli ex Prophetis & Moyse sumpserunt: extra verò illos nihil docuerunt.* Quid? An negabis 4. Euangelia totamque noui Testamenti scripturam aliquid esse extra Prophetas veteres & Moysem?

An, vt semel captam absurditatem tuam perpetuò pertinaciter tuearis. ( qui omnium hæreticorum mos est ) dices pētateuchum Moyſis, libros Regum, duodecim prophetarum ſcripta, idem planè numero eſſe, cum 4. Euangelijs & literis Apoſtolicis? nihilque prorsus ab illis differre? Niſi hoc enim dicas, quòd niſi abſurdiſſimè dici poteſt, fateri neceſſariò debes aut Apoſtolos multa prædicaffe extra Moyſen & prophetas, aut ex tota Euangelica historia; & ex ijs quæ in literis Apoſtolicis continentur nihil prædicaffe.

3. At vrgebis Pauli verba qui diſertè profitetur ſe non dixiſſe quicquam extra ea quæ propheta ac Moyſes futura prædixerunt. Optimè quidem. Sed illud, *extra*, non aliter potes interpretari, niſi vt intelligas, eum omnem ſuam prædicationem ex ſcriptura Moyſaica & Prophetica ſumpſiſſe? Primum aduertere debes doctor indocte, Paulum non dixiſſe, ſe nihil docuiſſe vltra ea quæ propheta, &c. quaſi nihil præter ea docuiſſet, ſed *nihil extra*: id eſt, nihil propheticiſ libris aduerſum aut contrarium. Deinde non dixiſſe extra ea quæ propheta & Moyſes ſcripſerunt, vt tu rem accipis, ſed *nihil extra ea quæ futura prædixerunt*. Vide ergo; ſi illud, *extra*, vrgerè ſic voles, ne etiam Pauli prædicationem ad ſolas prædictiones propheticas & Moyſaicas de Chriſto reſtringas. Quod ſi facis, mox concludes. Quicquid ergo docuerunt Apoſtoli, de prædictionibus illis propheticiſ & Moyſaiciſ ſumpſerunt, & extra illas prædictiones nihil docuerunt.

4. Deinde niſi contentionis morbo hic laboraſſes & ad ſenſum tuum verba Apoſtoli torquere ſtudiſſes, ſi animo pacato verba eius legiſſes, tota ſententia inſpecta, longè alium tibi ſenſum, obuium, germanum, fluentem, ſuggeſſiſſet. Hæc eſt  
Apoſtoli

Apostoli integra sententia. Reddens rationem prædicationis suæ Agrippæ regi Iudaicis literis imbuto, & qui prophetis credidit, vt hic Paulus affirmat, sic ait. *Auxilio adiutus Dei vsque in hodiernum diem sto, testificans minori atque maiori, nihil extra dicere, quam ea que propheta locuti sunt futura esse & Moyses, id est, nihil de Christi quem prædico aduentu & passione & resurrectione annuntians, quàm illis conformia & consentanea quæ propheta & Moyses de Christo prædixerunt. Vnde statim sequitur. Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus est populo & gentibus: id est, videlicet quòd iuxta prædictiones prophetarum & Moysis, Christus passurus erat, resurgere debuit, & sic in eius nomine lumen fidei annuntiandum esset tam populo Iudaico quàm vniuersis gentibus. Hæc enim futura partim Moyses, partim ceteri propheta clarissime prædixerunt. De his ergo doctrinæ capitibus ait Paulus nihil se docuisse extra ea quæ de Christo prædicta sunt, id est, non aliter quàm iam olim prædictum fuit: nihil ex suo capite, vt seditiosum aliquem (quo nomine apud Festum proconsulem accusatus fuerat) sed omnia iuxta veteres prophetias, & illis conformiter docuisse. Hoc est totum quod Apostolus Agrippæ dicit. Non erat Apostoli intentio totius prædicationis suæ substantiam aut compendium aliquod Agrippæ proponere. Sed de eo solum Agrippam informare voluit, quòd quoad Christi passionem & resurrectionem, nouamque prædicationem salutis in nomine eius, nihil aliud docuit, quàm quod veteribus prophetis & ipsi Moysi conforme esset.*

Cæterum quemadmodum non tam absurdus es, vt propterea dicere velis, Paulum nihil aliud

prædicasse quam tria illa doctrinæ Euangelicæ capita (quum alia quàm plurima sint, de Christi natiuitate, de tota eius cœlesti doctrina, de sacramentis quæ instituit, de fide iustificante & similia doctrinæ capita) sic non tam absurdus esse debes vt existimes Apostolum & alios quoque Apostolos nihil aliud prædicasse nisi quæ de illis tribus capitibus in Moyse & prophetis scripta sunt. Atq; hæc de prima tua probatione quæ sententiæ per se absurdæ, absurdior confirmatio fuit.

*VWhitakerus.*

*s. Sect.*

Idem etiam confirmari potest ex Act. 17. 11. vbi Berrhæenses examinasse dicuntur Apostolorum prædicationem ad scripturam: quod certè facere non potuissent, si illi aliquid præter vel extra scripturas prædicassent.

*Stapletonus.*

Respondeo breuiter, ne ineptissimis tuis argumentis nimium immorando, fastidio tibi sim. Si dixisset Lucas Berrhæenses illos vel omnem & vniuersam Apostolorum prædicationem ad scripturam examinasse, vel prædicationem totam quam audiuerant in ipsis scripturarum libris sic scrutatos fuisse, vt quærerent vtrum in illis scripta inueniretur vel nō, aliquo modo probabile esset tuum argumentum. Nunc autem Berrhæenses illi nec omnium Apostolorum sed solius Pauli prædicationem, nec ipsius Pauli omnem & vniuersam prædicationem, sed id solum quod docuerat, *Christum oportuit pati & resurgere à mortuis, & quia hic est Iesus Christus quem ego annuntio vobis*, ad scripturam examinabant: nec denique ita examinabant vt viderent an omnia in scriptura legerentur quæ Paulus dixerat (quod tuum argumentum petit) sed, *an hæc ita se haberent*: id est, an ista essent veteribus prophetijs

Act 17.

prophetijs & veteris Testamenti literis cōformia. Hoc enim maximam consolationem afferebat illis nouis Christianis, ex Iudaismo maximè conuersis, quum viderent ea quæ de Christo dicerentur, in veteribus scripturis prædicta fuisse. Hic igitur locus probat sanè Apostolicam Pauli prædicationem scripturis fuisse cōformem, nec aliter eum de Christo prædicasse, quàm prout se res habebat in veteribus scripturis prædicta. Sed nullo modo probat omnem prædicationem Pauli aut aliorum Apostolorum, ipsammet fuisse scripturam, quod vt tu probare contendis, vt *adificari super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*, etiam si de prædicatione Apostolica intelligatur (vt necessariò intelligendum esse ostendimus) tamen de ipsa quoque scriptura intelligi debeat.

*VWhitakerus.*

Secundum. Dico fundamentum Prophetarum 6. *Sec.* & Apostolorum hoc in loco \* ipsam scripturam \* *Aburdū* significare. Quod quidem ex eo probo, quòd Paulus hic Prophetas cum Apostolis coniungit. Prophetæ verò tum non prædicabant, sed eorum tantum scripta extabant. Stapletonus hoc præuidit, ac proinde hoc in loco, non veteris sed noui Testamenti Prophetas designari statuit, qui simul cum Apostolis vixerunt, & docuerunt, quales illi sunt, quorum mentio fit Ephes. 4. 11. & 1. Corinthiorum 12. 28.

*Stapletonus.*

Meam quidem sententiam ex parte refers, sed meæ sententiæ probationem aduersarius ignauus omnino non profers: nec ei quicquam respondes: magis ad aliquid obijciendum (quo nihil facilius) quàm ad aduersarij argumenta refellenda (quod operosius est) paratus & promptus. Ego igitur hoc

*Respon-*  
*nis tuam*  
*impugnat*  
*cōfirma-*  
*tionē dif-*  
*simulat.*

loco meas probationes repetam, easq; magis pre-  
mam, vt probabiliter appareat Prophetarum no-  
mine non veteres, quorum scripta extabant, sed  
nouos quorum officia tunc vigeabant, ab Apostolo  
intelligi. Primum quia mox in seq. capit. coniu-  
gens Apostolos & Prophetas, & quidem in mu-  
nere docendi & ædificandi fideles, ait. *Potesis le-  
gentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi,  
quod alijs generationibus non est agnitum filijs hominum,  
sicuti nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius & prophetis  
in spiritu.* Hic Apostolos & prophetas coniungens,  
& de prophetis illius temporis disertè loquens,  
plus quàm probabile nobis facit, quòd in verbis  
paulò ante præcedentibus vbi eosdem coniunxe-  
rat, eiusdem generis prophetas intellexerit. Dein-  
de capit. sequenti recenset eodem ordine *Apostolos,  
Prophetas, &c. ad ædificationem corporis Christi.* Quis  
ergo dubitare possit quin hoc in loco ad Ephes. 2.  
vbi ait *superædificatos esse fideles super fundamentum A-  
postolorum & prophetarum,* de illis Apostolis & Pro-  
phetis dixerit, qui ad fidelium ædificationem dati  
à Christo sunt? Deinde quum certum sit super  
fundamentum Apostolorum ædificatos fuisse fi-  
deles illos Ephesios propter prædicationem Apo-  
stolicam, non propter scripturam Apostolicam,  
vt paulò ante ostendimus; necesse est per funda-  
mentum quoque Prophetarum prædicationem &  
doctrinam propheticam quæ tunc vigeabat, & ma-  
xima post Apostolos in autoritate fuit, non scri-  
pturam propheticam intelligi. His accedit quòd  
nec scriptura prophetica, nec vlla alia scriptura  
quatenus talis, fundamentum fidei nostræ ædifi-  
catium proprie dici potest, quia per se non ædifi-  
cat nec facit Christianos, sed tum demum ædifi-  
candi fideles vim habet, quando nobis prædica-  
tur &

1.

Ephes. 3.

2.

Ephes. 4.

3.

4.

Scriptura  
vt talis, nõ  
est funda-  
mentum  
ædificandi  
fideles.

tur. & explicatur, quod fit per Apostolos, prophetas istos novos, pastores & doctores quos Christus dedit, ut per illos ædificaretur corpus eius, id est, Ecclesia eius, totaque fidelium societas. His de causis literæ Apostolicæ inhærendo, prophetas hoc loco, noui Testamenti Prophetas, de quorum officio tam multa Paulus disputat 1. Corin. 14. ab Apostolo intelligi magis probabiliter existimamus. Neque enim dum huic Caluini argumento responderem simpliciter & absolutè Prophetarum nomine hoc loco, noui Testamenti Prophetas intelligi debere dixeram, de veteribus autem prophetis intelligi non debere: sed vtrumque sensum posui his verbis. *Nam quod Prophetas adiungit, ideo fit, quia vel veteris Testamenti prædicationem fidelibus quoque necessariam docet, vel (quod magis existimo) quia noui Testamenti prophetas, id est, interpretes sermonum intelligit.* Vides me non prorsus rejicere interpretationem de veteribus prophetis, sed magis inclinare ad sensum de prophetis noui Testamenti: idque propter causas iam dictas.

Cæterum intelligendo de veteribus prophetis, Paulum loqui, ut authores à te in sequentibus citati exponunt, nihil tamen hoc tuam sententiam iuat, nec propterea ipsa scriptura prophetica intelligenda est, sed ut antea respondi (nec contra illam responsionem vel vno verbo replicasti) veterum prophetarum & oraculorum prædicatione & explicatio fidelibus ædificandis necessaria fuisse docetur: quod idcirco Paulum diligenter fecisse, cæterosque similiter Apostolos, tum loca nuperrimè ex Act. 17. & 26. à te prolata, tum epistolæ Paulinæ, maximè ad Romanos. 10. & 11. capit. ac D. Petri 2. Pet. 1. verba de prophetico sermone cui tanquam lucerne attendere monet, perspicuè ostendunt. Quare hæc

tua probatio nulla prorsus est qua dicis. Dico fundamentum Apostolorum & prophetarum hoc loco ipsam scripturam significare. Quod quidem ex eo probo, quod Paulus hic prophetas cum Apostolis coniungit. Prophetæ verò tum non prædicabant, sed eorum tantum scripta extabant.

Scriptura  
propheti-  
ca adifi-  
cationis  
nostræ  
fundamē-  
tum cur  
nō à Pau-  
lo asserta.

1.

AQ. 3.

Hæc tua inquam probatio nulla est propter has causas. Primum quia etsi scripta veterum prophetarum extabant, tamen extabat quoque scripturæ propheticæ explicatio, tractatio, & ad res præsentis applicatio, quæ iam factum esse quod illi prædicabant Apostoli docuerunt: sine qua Apostolorum explicatione fundamentum ædificandi fideles ipsæ per se prophetiæ scriptæ non fuissent: quod in illo Eunuchō apparet, qui Esaiã prophetam legens, intelligere tamen non potuit, nec edificari super angulari lapide Christo, donec veniret Philippus vir Apostolicus qui prophetam illi prædicando exponeret: qua facta prædicatione, factus est civis & domesticus Dei super edificatus super fundamentum Apostolica prædicationis, & doctrine prophetica. Quare authores à te citati, Chrysostomus, Ambrosius, Thomas Aquinas, & Dionysius Carthusianus, per fundamentum prophetarum, doctrinam ipsam propheticam fidelibus explicatam & traditam, non ipsas scripturas propheticas in se & quatenus tales intelligunt. Deinde sicut tu vrges quod prophetas cum Apostolis coniunxit, ut scripta prophetica intelligas, sic ego vrgeo quod Apostolos cum prophetis coniungat & quidem primo loco ponat, ut scripta prophetica non intelligantur quia scripta Apostolica intelligi non possunt, ut supra ostendi. Tertio, ut supra quoque dictum est, scriptura prophetica ut scriptura fundamentum fidei ædificativum esse non potest; ideoque accipiendo prophetas pro veteribus illis, non tamen eorum scripti libri, sed eorum doctrina per Apostolos explicata

2.

3.

plicata & tradita intelligi debet. Nunc quid tu  
contrà disputes, videamus.

*VWhitakerus.*

At prophetica doctrina nomine in scripturis to-7. Sect.  
ta veteris Testamenti doctrina intelligi solet. Sic 2. Argumē-  
Petri 1. 19. vbi Apostolus ait, *ἔχομεν βιβαιότερον τὸν προ-* tum vix  
*φητικὸν λόγον.* Sic Hebr. 1. 1. vbi Apostolus ait, Deum puero di-  
olim multis modis loquutum esse patribus per pro-  
phetas. Sic Roman. 1. 2. vbi Paulus ait Deum ante  
promississe Euangelium per prophetas suos in scri-  
pturis sanctis. Sic Luc. 1. 70. vbi Zacharias Ioannis  
Baptistæ pater ait Deum erexisse nobis cornu salu-  
tis in domo David sui prout locutus fuerat per os  
sanctorum à seculo prophetarum eius. Ergo & hoc  
etiam in loco, prophetarum nomine veteres, non  
noui prophetæ intelliguntur.

*Stapletonus.*

In solum argumentum tuum vno verbo refuta-  
tur. Age enim, ex locis à te citatis, conclude quoque  
Paulum ad Ephes. 4. & 1. Corinth. 12. vbi recenset  
Apostolos, prophetas, doctores, & pastores Ecclesiæ  
datos in opus ministerij; rursus 1. Cor. 14. vbi de  
Prophetis tam multa disputat, conclude inquam  
similiter: & dicit. Ergo etiam in his locis prophe-  
tarum nomine veteres, non noui prophetæ intelli-  
guntur. At hæc tua conclusio mendacissima est: er-  
go & altera. Quod ineptius argumentum & vix  
puero dignum formari potuit? An non enim vides  
in vtramque partem valere argumentum? & tam  
contra te facere quàm pro te? Non ergo à sola nun-  
cupatione, quæ vtrisque communis est, sed ab alia  
aliqua nota solis veteribus prophetis propria argu-  
mentari debebas.

*VWhitakerus.*

Si enim noui Testamenti prophetas illos Paulus 8. Sect.  
intel-

Argumē-  
tum ficul-  
neam.

intellexit, cur non æquè meminit Euangelistarum, pastorum, & doctorum, qui verbum quoque prædicabant, & cum Apostolis ac prophetis in hoc negotio suas operas coniungebant?

*Stapletonus.*

Et hoc quoque argumentum tuum commune est, nec minus vitiosum. Vite enim quomodo in te retorquetur. Si veteris testamenti Prophetas quorum scripta extabant, ideoque scripta Prophetica Paulus ibi intellexit, cur non æquè meminit Moysaicæ scripturæ totiusque historię veteris Testamenti, cur non maximè 4. Euangelistarum quorum scripta Euangelia ad sacram scripturam vel maximè pertinent? & fundamenti loco, si scriptura fundamentum est, vel maximè poni debuerunt? Vides quam ficulnea formas argumenta, quæ leui impulsu reflexa aduersum te pugnant.

Iam verò cur Apostolus etiã de prædicatione Apostolica & Prophetica, non de scriptura loquutus fuerit, Euangelistarum tamen, pastorum & Doctorum non meminerit, in promptu est ratio; quia per primarios ac præcipuos verbi tractatores cæteros intelligi, & in Apostolica ac Prophetica doctrina explicanda, vtriusque testamenti doctrinam & prædicationem ædificandis fidelibus necessariam esse docere voluit. Quæ etiam consideratio plerisque interpretes mouit, vt Prophetarum nomine hoc loco veteres potius quam nouos intelligerent.

*VWhitakerus.*

9. Sect.  
Mendacium.

Chrysostomus Stapletono\* refragatur, & non alios quam veteres Prophetas significari docet. Ait enim Apostolos fuisse tempore posteriores Prophetis istis, quos hic Paulus nominat, & tamen in primo loco poni. Πρῶτον τίθει τὰς ἀποστόλους ἐχάτους ὄντας τοῖς χρόνοις.

*Scapletonus.*

Iam dixi vtrumque sensum esse probabilem siue de veteribus siue de nouis prophetis Paulus intelligat. Cur autem de nouis eum intelligere mihi verisimilius videatur, iam exposui. Chryostomus, Theodoretus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, & pleriq; veteres de veteribus prophetis Paulum loqui intelligunt duabus ex causis. Primum vt doceat Paulus ex vtriusque Testamenti doctrina ædificandos esse fideles, vt iam dictum est, quam causam reddit Ambrosius. Deinde propter veteres hæreticos, Marcionem & alios, qui alium esse legis alium Euangelij Deum dicebant, veteres propheta Paulum dicere voluerunt, vt ostenderent Paulum, Apostolos ac prophetas veteres, nouum ac vetus testamentum simul coniunxisse quam causam D. Hieronymus reddit. Cæterum, quod præsentis disputationis caput est, nec Chryostomus. nec Ambrosius nec vlli veterum interpretum de scriptura prophetica hæc verba exposuerunt, vt illa per se & tanquam scriptura fundamentum esset: sed doctrinam propheticam intellexerunt per ipsos Apostolos aliosque prædicatores verbi explicatam, vt superius dictum est. Sane Chryostomus non solum prophetas quorum scripta extabant, sed ipsos patriarchas qui etiam prophetae erant (Abraham enim *vir propheta* vocatur) à Paulo intelligi vult, vt vnum ostendatur ædificium Ecclesiae ab orbe conditæ. Ait enim. *ἡτοι ἐν τῆσδε δικτύσ φρονι, τούτῃσι ἱμερίας ἐσιν ἐκ ἐνοί, μια ἀικοδομη τὸ πᾶν, κὶ ρίζα μια. ἐν τούτων τῆσ ἐδικίας ἱμερίων ἐχογτας τῆσ παζιὰ ἐχας.* Hoc sane dicens, ostendit illos esse fundamentum, totum tamen vnum esse ædificium & radicem vnam. Intellige hic & gentes fundamenti loco Patriarchas habere. Quum autem Patriarchæ nihil scriptum reliquerint, per illos

Gen. 22.

los scriptura intelligi non potest. Vides nihil minus docere Chrysostrum quam quod tu vis, & vides eum mihi non refragari, sed meam sententiam pulchre adiuuare.

*VWhitakerus.*

10. Sect.  
\*Insignis  
vel blas-  
phemia  
vel igno-  
rancia.

Tertium. Dico Apostolorum ac prophetarum prædicationem, ut pote quæ illorum actio fuerit, breui tempore durauisse. At Apostolus loquitur de perpetuo fundamento, quod consistat & duret ad finem vsque mundi, & cui Ecclesia omnium temporum semper innitatur. Ea est doctrina quam Apostoli primum voce, post libris perpetuo mansuris tradiderunt. Quomodo potest Ecclesia iam in illa prædicatione fundari, quæ multis ab hinc seculis defuit ac cessauit?

*Stapletonus.*

Apostoli-  
ca prædi-  
catio huc  
vsque per-  
durat.  
1. Ratio.

Sicut hospes & aduena, non ut ciuis & domesticus Dei, de rebus fidei nostræ loqueris, & ethnico plane spiritu argumentaris. Quid enim? Tibi non dico doctore ac professore theologo, sed vel homini Christiano Apostolica prædicatio cum Apostolorum tempore desisse ac cessauisse videretur? An non saltem Ecclesiam Catholicam & Apostolicam nobiscum profiteris? Quod si Ecclesiam adhuc agnoscis Apostolicam tamen si Apostoli ipsi iam diu in hac Ecclesia nostra esse desierint, quomodo etiam prædicationem quoque Apostolicam non aduertis, tamen si Apostoli prædicare iam dudum desierint? An sine doctrina & prædicatione Apostolica, Ecclesia aliqua poterit esse Apostolica? Aut si Apostolicam hodie agnoscis Ecclesiam quia doctrinæ Apostolicæ inhæret, & eandem tenet; quomodo prædicationem & doctrinam quoque hodie Apostolicam non agnoscis, non vides, quia prædicatio & doctrina Ecclesiastica hodie cum illa

Apo-

Apostolica concordat, & eadem est?

Quid? An quæ Apostolos hac vita defunctos <sup>2. Ratio.</sup> subsecuta Ecclesia est, aliud Euāgelisauit, aut aliud Euangelium prædicauit, quam quod Apostoli prædicauerant? An anathema Apostolicum tota subsequens Ecclesia incurrit? Aut si tota subsequens Ecclesia idem Euangelium prædicauit, quod Apostoli prædicauerunt, quomodo non vides, quomodo non aduertis doctor indocte, eandem quoque fuisse subsequentis Ecclesiæ prædicationem, quæ Apostolorum fuit, ideoque verè & propriè Apostolicam?

Quid? An ita crassus & tardus es, vt Apostoli- <sup>2. Ratio.</sup> cam prædicationem intelligere nequeas, nisi quæ ipsorum Apostolorum propria actio fuit? Quid ergo Paulo respondebis, qui de sua & Timothei sui prædicatione ita scribit. *Videte vt sine timore sit apud vos. Opus enim Domini operatur sicut & ego. Ne quis ergo* <sup>1. Cor. 16.</sup> *illum spernat. Quod est, dic sodes, hoc opus Domini de quo Paulus loquitur, quàm prædicatio Euangelica & Apostolica, quam sicut Paulus, sic Timotheus exercebat, ideoque monet Corinthios, primum vt cum omni humanitate eum excipiant, vt sic cum fiducia & absque timore verbum Dei annuntiet: deinde vt omni honore ac reuerentia eum colant hoc enim est, Ne quis illum spernat. Deinde quum Timotheo ipsi Paulus scribit, Quæ audi- <sup>2. Tim. 2.</sup> *sti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt & alios docere, nonne disertissimè docet, non solum doctrinam Apostolicam docuisse Timotheum quam publicè prædicantem & docentem Paulum audiuerat (quæ audisti à me per multos testes) sed & à Timotheo alios ad docendum prædicandum institutos fuisse, qui eandem doctrinam & prædicationem Apostolicam alijs traderent? Er**

quid absurdissimam sententiam tuam pluribus refutabo?

4. Ratio.

Ioan. 17.

Vide & aduerte vnā adhuc refutationem, quam vel tardissimus quisquam facile capiet? Dicit Christus in Euangelio, orans pro Apostolis suis, vt sanctificentur in veritate: *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Audi & attēde doctor indocte. An putas Christum orasse pro ijs tantum qui tempore Apostolorum credituri erant, aut qui ipsis in persona Apostolis prædicantibus crederent? An non pro tota credentium multitudine ad finem vsque mundi futura orauit? *Vt omnes (inquit) vnum sint, sicut tu Pater in me & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint?* An illi soli hanc beatam cum Deo vñionem consequentur, qui Apostolos in persona prædicantes audiuerunt? Non tam opinor impius & in humanum genus ferus ac barbarus es. Age ergo. Pro illis Christus orauit, & illi vnum cum Deo erunt, qui per verbum Apostolorum crediderunt in Christum. Verbum autem Apostolorum est prædicatio Apostolorum: (nam tua hebetudo in singulis docenda est: ) Orauit quoque pro omnibus credituris in eum. Ergo omnes qui in Christum credunt & cum Deo vnum futuri sunt, per Apostolorum prædicationem crediderunt. Latius igitur Apostolica prædicatio patet quam illorum propria actio, & ad totam succedentis Ecclesiæ prædicationem, quæ etiam Apostolica est, quatenus cum ea concordat se extendit. Sanè ex hoc loco concludit Augustinus, verbum fidei quod ab Ecclesia accipimus, & verbum Apostolorum prorsus idem esse. Ex multis alijs scripturæ locis probari hoc posset, maximè ex illis Esaiæ verbis, *verba mea quæ posui in ore tuo non recedent de ore tuo, nec de ore seminis tui, nec de ore seminis seminis*

Tract. 109.  
in Ioan.

Esai. 59.

*seminis*

*seminis tui amodo & vsque in sempiternum.* Vbi iterum euidenter apparet verba Dei in primis prædicatoribus (quales Apostoli fuerunt) posita à semine, id est successoribus eorum in perpetuum non recedere: id est Apostolicam prædicationem in Ecclesia Dei perpetuò vigere. Sed cui hæc tam clara satis nō sunt, ei nulla sufficient. Quare quod de Ecclesijs Apostolicis scripsit Tertullianus, *Omnes primæ & omnes Apostolicæ sunt, dum omnes vnā probant vnitatem,* idem de doctrina & prædicatione verbi Dei dicendum est. Omnis doctrina & omnis prædicatio est prima & Apostolica dum vna quælibet vnā probat vnitatem, id est, eandem ostendit fidei conformitatem.

In lib. de præscript.

*Whitakerus.*

Quartum: Ambrosius dicit per fundamentum hoc loco vetus ac nouum Testamentum intelligi, <sup>11. Sect.</sup> & Prophetas alios hic designari ait, quàm sunt hi, de quibus Ephes. 4. 11. & 1. Cor. 12. 28. legimus. Eadem est sententia Thomæ Aquinatis, eadem Dionysij Cathusiani, & aliorum nonnullorum Papistarum, vt & \*cum suis pugnare Stapletonum \* Futile mendacium. intelligamus. De primo æquiuoco diximus: Restat iam vt ad secundum veniamus.

*Stapletonus.*

Ambrosius dicit quidem per fundamentum hoc loco vetus ac nouum testamentum intelligi: sed addit, quod tu addere noluisti, quia si addidisses, responsionis tuæ robur addendo perfregisses. *Quod enim Apostoli prædicauerunt, propheta futurum prædixerunt.* In his enim verbis aperte docet se nomine noui Testamenti, non scripturam noui Testamenti, quod tu sustines, sed prædicationem Apostolicam quod ego assero, intelligere. Similiter per vetus Testamentum non scripturas totius veteris instrumenti,

strumenti, nec ipsas scripturas propheticas in se, quatenus scriptas, sed propheticas tantum prædicationes, ab Apostolis explicatas (vt supra dictum est,) intellexit. Thomas quoque Aquinas, nõ super scripturam Apostolorum & Prophetarum (vt tu absurdissimè cum tuo Caluino vis, quum scriptura Apostolica tota necdum conscripta fuerit, nisi forte tum reliquum huius epistolæ ad Ephesios, tum aliæ epistolæ quas postea vel i, se Paulus vel alij Apostoli scripserunt, ad scripturas Apostolicas pertinere neganda sint) sed *super doctrinam eorum*, exponit. Doctrina autem Apostolica est quam viua voce docuerunt, & prædicauerunt iuxta Christi ad eos mandatum, *docete omnes gentes, & iterum: predicare vniuersæ creaturæ.*

Matth. 28.

Quod autem isti doctores prophetarum nomine hoc loco non nisi veteres prophetas intelligendos putant, nihil contrà me faciunt, qui vtrumque sensum probabilem existimo. Sed in hoc quod prædicationem & doctrinam Apostolicam omnes ad vnum, non scripturam intelligunt, in eo contra te aperitissimè faciunt. Ex quibus omnibus patet magno te conatu, multisque pertentatis medijs, vt Caluini tui insulsum argumentum tuerere, in primo æquiuoco quo lectorem & seipsum turpissime sefellit, nihil adhuc egisse, nisi quod absurdum hæreticum defendendo, plurimas ipse absurditates effutisti. Videamus nunc an in secundo Caluini tui æquiuoco defendendo, honestius te gerere, & melius euadere queas.

VWhitakerus.

12. Sect. Secunda æquiuocatio, quam Stapletonus in Caluini argumento animaduertit, est in verbo. *Ecclesia*. Stapletonus vult per Ecclesiam hoc in loco non pastores, sed populum intelligi. At manifestum

stum est, Apostolum hic ponere \* totius Ecclesie \* Manife-  
fundamentum : ergo & pastorum, nisi illi fortasse <sup>nefallum.</sup>  
Ecclesia non sint.

*Stapletonus.*

Quod tu manifestum esse ais, tibi Stapletonus ne-  
gat, & quod tam constanter asseris, ut aliquo argu-  
mento probes, optimo iure postulat. Sic enim con-  
tra tuam assertionem disputat. Per fundamentum  
Apostolorum & prophetarum non scriptura sed  
prædicatio Apostolica & doctrina prophetica præ-  
dicata intelligitur, ut iam probatum est. Atqui  
hæc prædicatio per ipsos fit Apostolos, & alios pa-  
stores verbi prædicatores; ergo Ecclesie nomine,  
iplos Apostolos & pastores intelligere non potest.  
Hoc enim esset dicere, ipsos super seipsos fundari  
& superædificari, quo nihil absurdius. Deinde sic  
disputat. Apostolus hoc loco non alloquitur to-  
tam Ecclesiam, sed solos Ephesios à se & alijs co-  
postolis suis, maximè Epaphrodito, recenter con-  
uersos. Non ergo ponit totius Ecclesie fundamen-  
tum, sed populi tantum Christiani, & eorum qui  
superædificati fuerant, non ipsorum ædificantium  
& architectorum, quales Apostoli & alij pastores  
erant. Quod ergo tu tam manifestum esse dicis, ille  
propter has duas causas, manifestum esse in te erro-  
rem affirmat. At enim aliquo modo quod dixisti,  
probare velle videris, ita subiungens.

*Whitakerus.*

Et sane absurdum est, ut Ecclesie magistros ac <sup>13. Sect.</sup>  
præsules magis excipiat quam ipsos fideles; quasi \* Studiosè  
illi aliud fundamentum habeant, cui nitantur, præ- <sup>paralogi-</sup>  
ter propheticam & Apostolicam doctrinam; cum <sup>iat.</sup>  
omnes omnino fideles in hoc fundamento, cu-  
ius lapis angularis Christus est, constituti sint. Quæ  
quum ita se habeant, ineptè ait Stapletonus Eccle-

fiã, vt significat corpus fidelium in doctrina Apostolorum & prophetarum fundari, non autem vt significat præfules & magistros.

*Stapletonus.*

Huic otioso commento tuo, in mea responsione satisfactum erat, si eam aduertere voluisses. Illic enim dixi, quod & hic repeto, quia tu id totum dissimulas, tantum abest vt contra aliquid disputes. *Fundamentum autem ipsorum Ecclesiæ Magistrorum vt talium est Christus & Spiritus Christi ipsis promissus; non ipsa prædicatio quam faciunt, aut doctrina quam tradunt. Illa enim nos respicit, nõ illos quatenus tales sunt. Ideo enim sunt fundamenta (ait Augustinus) quia eorum authoritas portat infirmitatem nostram. Ideo etiam portæ, quia per illos intramus in regnum cælorum.* Hæc ibi. Ex qua sanè responsione mea patet, Ecclesiæ magistros ac præpositos non habere aliud fundamentum principale, quàm reliqui fideles habent, quia Christum pro fundamento habent, & in hoc angulari lapide pariter cum reliquis fidelibus fundantur. Sed idem ministeriale fundamentum (quale est prædicatio & doctrina Apostolica per Apostolos primum, posteaque per eorum successores tradita) quatenus Ecclesiarum magistri non habent, quia ipsimet isti successores hoc fundamentum sunt, & hanc prædicationem ipsi faciunt, & hanc doctrinam ipsi docent. Idem tamen vt Ecclesiæ membra sunt, super idem quoque fundamentum doctrinæ Apostolicæ fundantur. Quod si necdum intelligas, pone tibi ante oculos magistratum quemlibet vicarium principis inferiorem. Tales enim vt Reipubl. membra legibus subijciuntur non secus quàm alij. Officij tamen sui ratione, leges ipsi ferunt, edicta proponunt, & quid sit legibus ac voluntati principis consentaneum quid non,

Enarrat.  
in psal. 83.

Ecclesiæ  
præpositi  
quomodo  
sunt  
fundamentum,  
&  
quomodo  
fundantur.

ipsi sua auctoritate discernunt. Quæ quum ita sint, ineptè & pertinaciter negat VWhitakerus, Ecclesiã vt significat corpus fidelium in doctrina ac prædicatione Apostolorum & Prophetarum fundari, non autem vt significat præpositos & magistros, Pastores & Doctores.

*VWhitakerus.*

Ex his constat, \* firmum esse Caluini argumentum, nempe; Scriptura est Ecclesiæ fundamentum: ergo scriptura & eius approbatio est Ecclesia prior. 14. Sect. \* Ridiculum esse.

*Stapletonus.*

Ex his quæ iam respondimus constat ridiculum esse Caluini argumentum: & te miserum Caluinistam magis ridiculum magisque absurdum; qui vt eius absurdum argumentum defenderes, multa ipsemet absurdissimè protulisti, tuamque infantiam & tarditatem, rerumque Theologicarum crassam incitiam magis ac magis prodidisti.

*VWhitakerus.*

\* Sed Stapletonus adhuc se defendit sua trita illa 15. Sect. distinctione, Ait scripturam esse posteriorem Ecclesia, acceptatione quoad nos. Quam hoc ridiculè ab illo dicitur? \* Concludit Caluinus, approbatione scripturæ esse priorem Ecclesia; & Stapletonus ait. \* Sed nec probatur, nec admittitur. † Mendacium: non sic ait. \* Error crassus. At scriptura tamen est posterior acceptatione quoad nos: quasi verò acceptatio & approbatio \* non idem valeant; & quasi tū non acceptetur scriptura, cū approbatur. Ergo hac distinctione nō potuit aduersarius Caluini argumentum eludere.

*Stapletonus.*

Vide ne dum meam responsionem ridiculam vocas, te disputatorem non ridiculum modò sed & stupidum prorsus, aut certè maleuolum probes, qui aduersarij quem tibi delegisti sententiam aut præ

Scriptura  
est poste-  
rior Eccle-  
siae appro-  
batione  
quoad  
nos

mentis stupore non tenuisti, aut ex animi maleuo-  
lencia dissimulasti. Ais ridiculè à me dici, *scripturam*  
*esse posteriorem Ecclesia, acceptatione quoad nos.* Hoc au-  
tem quantum valeat, ignoras? Scriptura est poste-  
rior quàm Ecclesia quoad acceptationem nostram,  
quia à nobis acceptari non potest nisi approbante  
Ecclesia, saltem ordinariè acceptari non solet, nisi  
ex Ecclesiae approbantis iudicio & autoritate, tan-  
quam medio externo ordinatio, & necessario. Si  
igitur acceptatur à nobis scriptura per Ecclesiae ap-  
probationem, prior debet esse Ecclesia quæ eam ap-  
probet, quàm esse potest vlla acceptatio nostra. Vi-  
de in simili, si necdum capis. Per Prætores & Magi-  
stratus cognoscimus leges & edicta Principis. Ergo  
prius debemus habere prætores & magistratus qui  
hæc operâ præstet, quàm illæ leges & edicta principis  
nostri à nobis cognosci & acceptari queant. An nõ  
perspicuũ hoc est? Dixi ergo & iterũ dico, scriptu-  
ram esse posteriorem Ecclesia, acceptatione quoad  
nos, quia vt scriptura à nobis acceptetur, Ecclesia  
per cuius approbationem acceptatur, necessariò de-  
bet præcedere. Quid tu hic ridiculum & absurdum  
vides? quid non rationi consonum? posita illa Ec-  
clesiæ approbatione, nostraque (illa mediante) ac-  
ceptatione, quam copiosè probauimus.

*Calvinus (inquis) conclusit approbationem scripturae  
esse priorem Ecclesia. Conclusit quidem sed non pro-  
bavit, vt tum in priori nostra responsione, tum in  
hac defensione magis, satis apparet. Nec hanc con-  
clusionem à me concedi, optimè sciebas: vt qui eam  
oppugnaui, Vide tamen quid tu inferas. Et Stapletonus ait. At scriptura tamen est posterior acceptatione quoad  
nos. Ridiculum caput, quomodo illa mihi verba at-  
tribuis: At scriptura tamen, &c. quasi ego Caluini  
conclusionem admissem, & ea admissa, dixissem*  
*tamen*

tamen scripturam esse posteriorem acceptatione quoad nos. Ego quidem hoc dico, sed non hoc dico recepta & adm ista Caluini conclusione, vt tu perridiculè supponis; sed planè id dixi & dico quia falsa est Caluini conclusio, non vera. Falsum inquam est quod Caluinus vult, *approbationem scripturæ esse priorem Ecclesiæ*, hoc enim est dicere scripturam approbari & acceptari ab omnibus antequam Ecclesiæ iudicium aut testimonium accedat: Et quia hoc falsum est, vt in tota hac disputatione probatum est, contrarium autem verum est, idcirco consequenter & conuenienter dixi, *scripturam esse posteriorem Ecclesiæ, acceptatione quoad nos*, id est, vt scriptura à nobis acceptetur, Ecclesiæ approbantis testimonium præcedere debere, per quod & propter quod à nobis acceptatur. Iudicet nunc æquus Lector vter nostrum ridiculè dixerit. Tu certè vertiginem capitis passus videris, <sup>1. Tim. 3.</sup> & pœnam illam subiisse quam Apostolus de tuis similibus prædixit. *Volentes esse legis Doctores, nescientes neque de quibus loquuntur, neque quæ affirmant.* Vide enim adhuc quàm perturbatè hoc loco & confusè omnia loqueris. Sic profèqueris. *Quasi verò acceptatio & approbatio non idem valeant.* Nempe somniasti approbationem à Caluino assertam, scripturæ videlicet ante Ecclesiam me admisisse, sed acceptationem negasse; quasi aliud esset acceptatio, aliud approbatio. Sed nunc opinor euigilasti, & approbationem scripturæ ante Ecclesiæ iudicium à Caluino assertam à me nunquam admissam fuisse iam demùm intelligis: ideoque acceptationem illam quoad nos quam dixi, non ad Caluini sententiam à me negatam, sed ad orthodoxam & Catholicam sententiam à me defensam referendam esse. Nempe *scripturam esse posteriorem Ecclesiæ acceptatione quoad nos*, quia vt à nobis acceptetur, Ecclesiæ approbatio præcedere

debeat, sine qua non acceptatur.

Accepta-  
tio & ap-  
probatio  
non idem  
valent.

Nec tamen etiam verum est quod tu quasi somnians narras, *acceptationem & approbationem idem valere*, Acceptatio enim est à parte credentium quibus scriptura commendatur & promulgatur credenda. Approbatio est Pastorum & magistrorum Ecclesiæ qui eam suo testimonio ac iudicio commendant & approbant ut credatur. Quare inter acceptationem & approbationem scripturæ tantum interest, quantum inter discipulum discentem, & magistrum docentem; inter populi obedientiam, & Magistratus præceptum, denique inter filium genitum & patrem genitorem.

Et vide adhuc quàm ridiculè probes quod tam ridiculè asseruisti. *Et quasi (inquis) tū non acceptetur scriptura cum approbatur*. Egregia probatio & doctore ridiculo digna. Tum scriptura acceptatur cum approbatur: ergo acceptatio & approbatio idem valent. Vide in simili tuam stupiditatem. Tum filius gignitur quando pater generat. Tum discipulus discit quando magister docet. Tum populus edictum audit & acceptat, quando magistratus illud principis nomine proponit. Ergo pater & filius, Magister & discipulus, Magistratus & populus idem valent. Ergo nec Dialecticam tuam tenes Doctor indocte? & correlatiua simul esse tempore, etsi re ac natura differant, ignoras? Sed nullus est tuarum absurditatum & ineptiarum finis. Cætera prosequamur, postquam semel hoc Angæum tuum stabulum, disputationem tuam stupidissimam & turpissimis absurditatibus confertam, per-purgare me oportet.

16. Sect.

\* Menda-  
cium quia  
nihil tale  
subiungit

Whitakerus.

Quòd verò subiungit Pastores prius cognosci quàm scripturas, falsissimum est, & aperta petitio principij.

Staple-

*Stapletonus.*

Verè hoc loco somniasti VWhitakere, & nescio quæ spectra tibi in somnio occurrentia proposuisti. Ego in huius argumenti Calviniani refutatione, Pastores prius cognosci quàm scripturas, omnino non dixi, nec tale aliquid aut adiunxi aut subiunxi. Tu tamen quia falsissimum esse ais, videamus quam strenuè & fortiter id probes.

*VWhitakerus.*

Prius enim cognoscere debemus, quomodo <sup>17. Sect.</sup> pastores boni pascere debeant; quod ex scriptura <sup>Falsum & ridiculū.</sup> tantùm cognosci potest, quæ pastorum munus luculentissimè describit; quàm possimus ipsos bonos pastores agnoscere. Sic gubernatorem, sic Imperatorem, sic artis cuiusque professorem ex ipsis rebus scimus quas tractant, quæque illi arti subijciuntur, non aliter. Nisi fortè confusam quandam cognitionem intelligat, qualis illa est, de qua Aristot. loquitur, 1. Physic. cap. 1. Sed illa cognitio incerta tantùm est, coniectura quædam ac diuinationo potius, quàm explorata & certa cognitio.

*Stapletonus.*

In ista certa & explorata cognitione Pastorum, distinguere debes, de quorum cognitione loqueris, & qui demum illi sint, de quibus dicis, *cognoscere debemus.* Si enim hoc ad populum subiectum <sup>Pastores à quibus præcognosci debent.</sup> pertinere ais, ut tua oratio velle videtur, toto cælo erras, & exempla à te prolata tuam ignorantiam conuincunt, ut mox dicetur. Sin vero ad ipsos Ecclesiæ Præpositos maiores ac superiores, quorum est alios ad pascendi munus eligere, mittere, ac destinare, vera est tua oratio, quòd ab huiusmodi cognosci & optimè cognosci debeant, antequam pro pastoribus habeantur. Sed illa sententia contra illos

illos nihil facit qui dicunt pastores prius cognosci debere quàm scripturas. Hoc enim de illis intelligitur qui debent ex Pastorum testimonio scripturas cognoscere; qui inferior credentium populus est.

Cæterum ut à populo fideli prius cognosci debeat, idque ex scripturis, quomodo pastores boni pascere debent, ut sic demum qui sint boni pastores, populus agnoscat, absurdissimè dicitur, & ab eo tantùm dici potest *qui non intelligit neque de quibus loquitur, neque quæ affirmat.* Hoc enim est dicere. Populus debet esse doctus antequam discat. Futuri fideles debent prius credere, antequam credant. Quum enim ea quæ sunt fidei cognoscere aut credere populus nequeat nisi à pastoribus Ecclesiæ institutus, nisi ab Ecclesiæ pastoribus fidem accipiat, (*quomodo enim credent quem non audierunt, aut quomodo audient sine prædicante?*) si & scripturas cognoscere & ex scripturis intelligere possunt, quod sit boni pastoris officium, antequam bonos pastores cognoscant & pro talibus agnoscant, an non evidenter sequitur, quòd erunt docti antequàm discant, & poterunt credere antequam fidei doctrinam audiant? nisi for:è tam absurdus sis, ut putes intelligi posse scripturas absque recta fide, aut hoc solum quidem intelligi posse, quid ad boni pastoris officium pertineat, etsi cætera per ipsos postea pastores doceri debeant. Populus ergo fidelis non ex eo pastores suos cognoscit, si iuxta scripturas benè fungantur officio, nec populi est hac de re iudicare; sed ut alibi docuimus, pastores suos populus cognoscit ex legitima missione, & ex communi ac recepta doctrina. Hæc enim duo fidelis populi cognitionem non excedunt. De priori ait Augustinus, reddens causam, cur novis Donatistis hæreticis pastorale manus sibi arrogantes, populus Catholicus autè præbere

Populi nō  
est ex scri-  
ptura co-  
gnoscere  
Pastores.

1. Tim. 1.

Rom. 10

Princip  
fid. lib. 5.  
Pastoris  
veri duo  
argumēta

præbere

præbere noluerit, sed Episcopis Catholicis adhaerere. *Sequestrata* (inquit) *hac dubia questione* (qualis Epist. 161. etiam hæc tua est, an pastores officio suo iuxta scripturas bene fungantur, nam & hoc objiciebāt Donatistæ, contra Catholicos Episcopos quedam crimina proferentes) *quæro. quomodo vos iuste separastis ab innocentia cæterorum Christianorum qui per orbem terrarum successionis ordinem custodientes. in antiquissimis Ecclesiis constituti, penitus ignorarent, qui fuerint in Africa traditores* (scilicet librorum sacrorum persecutio- nis tempore, propter quod crimen non esse eos amplius pastorum loco habendos Donatistæ clamabant) *qui certè non possent communicare nisi eis quos sedere in sedibus Episcopalibus audiebant.* Sic hodie tumultuantibus vobis, Lutheranis, Calvinistis, Puritanis, & id genus alijs sectarijs, nos Catholici nō potuimus communicare nisi illis quos in Episcopalibus sedibus sedere, & successionis ordinem per orbem terrarum custodire vidimus. Hac vna legitimæ possessionis nota, quæ missionem legitimam nobis fecit indubiam, Pastores nostros cognouimus, & à lupis rapacibus qui venerunt ad nos (non Matt. 7. sunt missi ad nos, sed venerunt seseq; intruserunt) *in vestimentis ovium, sub nomine Christiano, & blando Euangelij titulo, discreuimus.* Aliud medium cognoscendi legitimos pastores populi iudicium non excedens, est doctrinæ veteris ac receptæ, non nouæ non peregrinæ prædicatio: quod etiam scripturæ præmonuerunt. *Observate eos qui dissensiones faciunt, præter doctrinam quam vos didicistis.* Rom. 16.  
Galat. 1. *Si quis Euangelizauerit præterquam quod accepistis, anathema sit. Quod audistis ab initio, in vobis permaneat.* De hoc me- 1. Ioan. 2. dio & hac nota sic scripsit Augustinus. *Non magnum est tunc discernere Spiritum, quum ad aliqua perue-* De Genes.  
ad Lit. lib.  
12. c. 14. *nerit, vel perduxerit, quæ sunt contra bonos mores, vel cōtra regulam*

*regulam fidei. Tunc enim à multis discernitur. Vulgare nempe & totius populi iudicium hoc est, an aliquid contra fidem receptam & contra bonos mores, omnium iudicio tales, pastor aliquis doceat. Tunc enim euidenter non pastor sed lupus apparet. Cæterum in particulari & ex scripturarum norma ac doctrina iudicare quis sit bonus pastor, non est popolare iudicium, nec ad populum de hoc iudicare pertinet; sed eorum est qui magis exercitatos in scripturis sensus habent: qui spirituales & sapientes & perfecti in scripturis vocantur.*

Similia ab  
aduersario  
prolara  
ipsum cõ-  
futant.

1. Pet. 2.

Nunc vide quomodo similia à te prolata contra te militant. Gubernatorem & Imperatorem, an ex eo subditi & milites agnoscant, quod bene vterque officio suo fungatur? Pone ergo non eos officio bene fungi. An amplius pro gubernatore & imperatore à suis haberi non debent? Vbi est ergo illud Apostoli? *Subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis sed etiam dyscolis.* An hoc ad gubernatores & Imperatores extendi negabis? Ergo vbi primum gubernatores & Imperatores officium suum non rectè facere subditi & milites iudicabunt, classicum canes, vt mox abiecta obedientia, pro talibus eos agnoscere desinant? Disputator absurde cur hoc exemplum te non mouit, vt què admodum gubernatoribus prouinciarum & Imperatoribus exercituum, propter officium quod gerunt obeditur, & quia à suis principibus ad hoc munus delegantur, ideo pro talibus habentur, bene autem an malè suo fungantur munere, Superioris principis iudicare, non subditorum aut militum est; sic Ecclesiæ pastoribus obediri intelligas, propter potestatem à Christo acceptam, & quia ad paciscendi munus legitimè missi sunt, ideo pro talibus habentur.

habendos esse, bene autem aut male suo officio fungantur nec ne, id non ex populi sed ex superiorum suorum iudicio pendere? De artis quoque professoribus qui tales sint qui non, vis ut artis illius discipuli iudicium ferant? An de eo possunt iudicare quod nondum didicerint? Aut si didicerunt iam & periti artis sunt, non iam discipuli sunt, sed eam & ipsi quoque profiteri poterunt. An non & hoc exemplum tenere te potuit, ut sicut artium professores non à suis discipulis an artem rectè exercent iudicari debent sed ab aliqua communitate eandem artem profitentium, iudicari solent; sic Ecclesiae pastores non à suis ouibus, sed à pastorum communitate iudicari potius debent, boni ne an mali pastores sint? Ita uti dixi omnia tua exempla contra te egregiè militant, & currunt.

Potè tantò magis hæc omnia exempla contra te faciunt, quantò maior & amplior fideli populo erga suos pastores spirituales obediètia requiritur, quam vel à subditis & militibus erga gubernatores & imperatores suos, vel ab artis cuiuslibet studiosis, erga eiusdem professores. In fidelibus enim quia causa fidei agitur, nec ratione res discerni debet, ideo simpliciter doctrinæ traditæ obediendum est. Audire & credere oues iubentur. *Qui vos audit me audit. Qui non crediderit condemnabitur.* Quare notitia pastorum quam oues habent in grege Christi, nec ita confusa est ut qui procul hominem videns arborem esse existimet, (qualem confusam notitiam Arist. loco à te citato commemorat) nec tamè ita certa & explorata est, ut quasi demonstratiua sit sed est notitia materiæ subiectæ conueniens, & quæ locis crederi habere cõuenit. Credunt enim boni Christiani bonos esse pastores quos legitimè missos vident & bene docere audiunt. Quod quidem adeo  
fimi-

Luc. 10.  
Marc. 16.  
Pastorum  
notitia  
qualis.

firmiter credunt, vt illis non obedire in causa fidei pro sacrilegio habeant. An tu Patrem tuum qui dicitur aut qui dicebatur esse, certa scientia esse, aut fuisse patrem tuum nosti? Tamen quia firmiter hoc credidisti, illi opinor obedire, & eum pro indubitato patre agnoscere, non recusasti.

*VWhitakerus.*

*18. Sect.* Quòd autem ait ipsam Ecclesiam etiam, pastores nempe & magistros fundamento aliquando & portę comparari, vt ab Augustino in explanat. Psal. 88. fatemur id quidem & libenter concedimus. Ratio verò est, quia illorum constantia in firmiores sustentantur, & corroborantur: Illorum prædicatione cœlorum quodammodo fores aperiuntur, sic vt sine verbi ministerio \*nullus cuiquam ad salutem aditus patere possit.

\* Confessio  
qua seipsum iugulat.

*Stapletonus.*

Plura quidem & ampliora ratione fundamenti Ecclesię magistris competunt: Sed interim quædas accipimus, hisque contenti erimus. Tu tantum vide, ne vel hæc pauca quæ dedisti, improbè & impudenter nobis statim in sequentibus eripias.

*VWhitakerus.*

*19. Sect.* Interim tamen verū illud est, quod suprà posuimus, pastores in verbo fundatos esse nec posse \*nisi ex ipso verbo dijudicari, qui veri, boni, ac fideles sint.

\* Falsum vt supra.

*Stapletonus.*

Pastores quidem in verbo Dei fundantur, quatenus nihil aliud docere possunt, quam quod sit Dei verbo conforme, siue scriptum id verbum sit, siue ex Apostolica traditione sine scripto ad nos deriuatum. Pastores tamen quantum ad auctoritatem docendi qua funguntur, in verbo non fundantur, nec ex verbo eam accipiunt, sed à Christo à quo mittun-

Pastores in verbo quo sensu fundantur.

mittun-

mittuntur, Christique ministris quorum manus impositione ordinati fuerunt, tametsi verbo Dei illorum quoque authoritas confirmetur, vt alia plæraque quæ creduntur. Baptismus peccata nostra abluit, quia sacramentum est à Christo ad hunc finem institutum, non quia talem eius vim esse scripturæ attestantur: & sic baptismus etsi verbo Dei & scripturis consentaneus sit, & quoad eius notitiã in verbo fundatur, tamẽ quoad operationẽ & efficaciam eius non in verbo sed in Christi institutione fundatur. Sic Ecclesiæ pastorum authoritas quæ & quanta sit, in verbo scripto cognoscitur, & eo sensu quoad eius notitiam in verbo fundari aliquatenus dici potest; ipsa tamen in se à Christi ordinatione pendet, non à verbi testimonio. Quod ergo subinfers: *Nec possunt nisi ex ipso verbo dijudicari, qui veri, boni ac fideles sint*, hoc ad populũ fidelẽ relatũ falsum omnino est, si quod iam concessisti non reuocas, *Pastorum predicatione calorũ fores quodammodo aperiri, quatenus sine ministerio verbi nullus ad salutem aditus pateat*. Si enim sine ministerio verbi nullus ad salutem aditus patet, & hoc ministerium non nisi penes pastores est, vnde sequitur sine pastorum doctrina nullum ad salutem aditum patere, vnus autem ad salutem aditus est, isque permagnus, cognoscere ac dijudicare qui demum veri, boni ac fideles pastores sint, profecto hoc ipsum fidelis non ex verbo (vt tu hic dicis) id est, ex lectione scripturæ ante pastorum iudicium præcognitæ, sed omnino ex ipsis pastoribus eorumque ministerio cognoscere debent. Quo sanẽ ex tuis cõcessis (quantumlibet exiguis) posito, etiam totũ quod subsequitur corrui. Ais enim.

*VWhitakerus.*

Itaque \* tenendum semper est vt verissimum, <sup>20. Sect.</sup>

B b b

\* Tenere  
scri-

non potes  
quia iam  
dimisisti.

Scripturæ approbationem præcedere hæc pastorum dijudicationem. Si enim illos pro pastoribus approbamus; tum prius & multo etiam magis, scripturam approbamus quæ illos fecit pastores; & docuit non modo quid sit illorum officium, sed & nostrum: sine qua nec illi sciant quomodo pascant, nec nos illos pro pastoribus habeamus.

*Stapletonus.*

Atqui hoc totum quod hic dicis, amplius tenere non potes, quia dudum dimisisti, quum dices sine verbi ministerio nullum ad salutem aditum patere, & hoc nomine Pastorum prædicatione fores caelorum quodammodo aperiri. Quare nisi iterum impudenter repetas quod semel dedisti, horum nihil quæ hic dicis tenere potes. Si enim sine pastorum prædicatione & verbi ministerio quod illi exercent, nullus ad salutem aditus patet, scripturæ autem approbatio, & quæ inde sequitur acceptatio, vnus est, isque permagnus ad salutem aditus, & quidem tantus vt in vnus scripturæ cognitione omnem vos salutem reponatis; profectò pastores ipsi eorumque certa cognitio & dijudicatio per quos hic rätus aditus nobis impertiatur, præcedere & præhaberi, necessario debent. Ita corrui quod dicis, *scriptura approbatio præcedit pastorum dijudicationem*. Nunc enim pastorum prædicatio & verbi ministerium præcedit vt scripturæ approbentur, quarum approbatio magnus ad salutem aditus est. Quòd si prædicatio & ministerium præcedit, ipsa dijudicatio ac certa notitia præcedat quoque necesse est; quum nec prædicatio nec ministerium eorum vllam authoritatem habeat aut fidem, quorum personæ ad prædicandum legitimæ & ad ministerium idoneæ adhuc ignorantur. Porro hac corrui prima conclusione tua quam vt semper verissimam tenendam

tibi

tibi posuisti, corruunt sua sponte & cætera quæ sequuntur. Neque enim nunc vos pro pastoribus illos ex scriptura approbatis, sed ab illis vt Dei ministris, *sine quibus nullus ad salutem patet aditus*, ipsam scripturarum approbationem, magnum ad salutem aditum, accepistis. Quare multo minus scripturam approbatis, cuius approbationem ex prædicatione pastorum & ministris verbi accepistis; Nec iam scriptura illos pastores fecit, sed ab illis pastoribus quæ sit sancta ac diuina scriptura didicistis, per approbationem eius videlicet pastorum ministerio factam, *sine quo nullus ad salutem aditus*, ac per hoc nec ipsa scriptura vobis patebat. Et docet quidem scriptura quod sit pastorum officium; sed hoc ipsum ex prædicatione pastorum didicistis, qui ipsam vobis scripturam suo ministerio tradiderunt: sine quo ministerio nec essent aliqui qui vos scripturam docerent, nec illas ipsas scripturas pro huiusmodi quales sint haberetis. Hæc omnia ex tuo concessio sequuntur; quod ne iterum à nobis impudenter repetas, tu iterum atque iterum vide. Certe si semel id repetieris, nos in ratione fundamenti quæ Ecclesiæ pastoribus competit, multo adhuc plura & ampliora contineri docebimus nec solum quod iam concessisti, sed præterea maiora à te extorquebimus. Adhuc aliquid est quod huic argumento addendum putasti. Prætereundum non est.

*VWhitakerus.*

Similiter cum ex scripturis Ecclesia pendeat, 21. *Scet.* cognitionem Ecclesiæ præcedat cognitio scripturarum necesse est.

*Stapletonus.*

Huic tuo complemento, quo veluti futura ac sarrimine quodam lacerum hoc tuum argumentum claudere ac replere voluisti, iam dudum re-

sponsum est in tertio tuo argumento, vbi quomodo ex scripturis Ecclesia testimonium accipiat, & tamen cognitionem Ecclesie scripturarum cognitio nō præcedat, sed ab ipsa Ecclesia scripturarum nihilominus cognitionem accipimus, copiosè ostendimus. Tibi eadem repetere non pigrum; nobis verò eadem denuo refutate necessarium nō est.

# R E S P O N S I O A D D E C I M V M S E X T V M A R G V M E N T V M.

## C A P V T. X V I.

*VWhitakerus.*

1. *Secl.*

**D**E C I M V M sextum nostrum argumentum ita se habet. Scriptura in doctrina religionis habet rationem & locum principij: eius quæuis dicta sunt tanquam axiomata ac principia certissima, quæ probari nec possunt nec debent ex alijs; sed alia omnia ex illis probanda ac confirmanda sunt. Si hoc in scientijs humanis teneat, quarum authores homines sunt multò magis tenet in scriptura, cuius author est Spiritus S. spiritus nēpe veritatis. Cuiuscunque tandem sit, verum argumentum est. Videtur esse Musculi. Respondet Stapletonus per distinctionem: (est enim multus in distinctionibus suis, quibus plerunque valde abutitur) hoc modo. Principia (inquit) scientiarum in se sunt indemonstrabilia in eo quod quid est: sed respectu nostri demonstrari possunt, propter nostram nimirum tarditatem demonstratione qua quia est. \*Sic scriptura.

\* Respon-  
sionē ve-  
teratorie  
mutilat.

*Sta-*

*Stapletonus.*

Responsionem meam quare hic abrumpis, nec applicationem rei præsentis, in qua responsionis pondus est, adiungere voluisti, nisi quod more tuo, infidum & imbellem aduersarium agere semper vis? Mea igitur responsio post verba à te citata sic habet. *Sic scripturae per Ecclesiam demonstrantur non quid sunt, sed quia sunt. ut à nobis videlicet acceptentur, non ut in seipsis sacra & diuina subsistant.* Nunc quid contra disputes, videamus.

*VWhitakerus.*

Respondeo. Fatemur scripturas argumento à 2. *sect.* posteriori demonstrari posse, & hoc nobis imprimis utile argumentum esse, propter ingenij nostri tenuitatem: itaque nos hac in re multum iuuari voce testimonioque Ecclesiæ. Sed tamen scripturam indigere hoc testimonio Ecclesiæ, aut non aliter esse nobis authenticam \*prorsus negamus.

\* Prorsus in præcedentibus confirmatum est.

*Stapletonus.*

Scriptura quidem non indiget testimonio Ecclesiæ, ut sit vera, sacra, diuina, ac talis qualis est: sicut nec Deus indiget fide nostra aut iustitia nostra, ut in eum credamus vel ut eius mandata seruemus. *Bonorum nostrorum non indiget:* nec quisquam aut lucif se profuisse si viderit, aut fonti si biberit rectè dixerit. Cæterum ut nostra interest in Deum credere, & Deum rectè colere, sic nostrà interest, nosque vehementer concernit, ut scripturas sacras teneamus verasque à falsis dignoscere valeamus. Quare illud à te prorsus *wasseyus* dictum est, scripturam indigere testimonio Ecclesiæ. Cæterum quod addis, eam absque testimonio Ecclesiæ authenticam nobis esse, & ut nobis authentica sit, Ecclesiæ testimonium necessarium non esse, id ab omni veritate remotif-

*Psal. 15.*

ssimum esse, iam in tota hac defensione nostra, satis superque demonstratum est.

*Whitakerus.*

3. Sect.

Respon-  
sionē no-  
stram ista  
confirmāt  
non refel-  
lunt.

Suscipimus quidem axiomata scientiarum cum primò traduntur, eaque vera esse credimus, inducti verbis & auctoritate professorum. Sed cum illorum rationem tenemus, tum magis credimus, propter ipsorum axiomatum quam videmus apertam ac necessariam veritatem. Habent enim in se certam rationem quæ illis facere fidem possit. Scientiarum principia possunt explicari quia sunt. Sed num intelligantur esse vera non aliter quàm quia sic professores tradiderunt? Imò ipsa se axiomata mutuo demonstrant. Similiter scripturæ possunt illustrari ac commendari voce Ecclesiæ, etsi sunt principia certissima in se ac firmissima, quæ & Dei ipsius auctoritate probantur, & se mutuo testimonio communiunt.

*Stapletonus.*

Responsionis nostræ vim ad hoc argumentum quod tu verum esse affirmas, non diluisti; sed explanatione tua magis roborasti & confirmasti. Argumentum huiusmodi erat. *Scriptura in doctrina religionis principij locum habet. quod per se constat; ergo per Ecclesiam eam approbari non conuenit.* Ad hoc ego respondi, quemadmodum scientiarum principia & axiomata demonstrantur demonstratione qua quia est, propter tarditatem nostram, auctoritate videlicet magistrorum qui scientias docent, pro veris recipiuntur, sic scripturæ per Ecclesiam demonstrantur non quid sunt sed quia sunt, ut à nobis videlicet acceptentur, & eæ esse credantur quæ sunt; contra hanc responsionem tu nihil aliud disputas nisi scripturas illustrari ac commendari voce Ecclesiæ: sicut axiomata propter professorum auctoritatem vera esse

esse creduntur. An non verò hoc ipsum est quod nos diximus? Cur ergo te respondere ais nostræ solutioni, quando ei nihil respondes, sed eam magis confirmas?

Quod enim addis scripturas Dei quoque *authoritate approbati*, id scripturis, non ut quædam sunt principia competit, sed ut sunt fidei nostræ obiecta: nec solis scripturis est proprium sed & omnibus alijs quæ creduntur: nec denique Ecclesiæ testimonium infirmat sed roborat, quia hæc Dei autoritas vel per os Ecclesiæ sonat (si autoritatis vocabulo testimonium Dei publicum & externum intelligis) vel cum Ecclesia testificante cooperatur, si autoritatis vocabulo internum & priuatum Dei testimonium, quo efficaciter ad credendum inducimur, intelligi voluisti. Quod addis scripturas se mutuo testimonio communiri, ut in axiomatibus fit, hoc ad rem præsentem nihil facit, quia Ecclesiasticæ approbationis conuenientiam aut necessitatem hoc non excludit; sicuti nec in ipsis axiomatibus professorum autoritas, ut à rudibus primò credantur, propterea excluditur, quia illa se mutuo demonstrant. Hactenus ergo nihil respondisti, sed inani verborum obiecto fumo, falsam responsionis speciem excitasti.

*VWhitakerus.*

Subiungit Stapletonus scripturam ita principium esse in religione, ut tamen vox Ecclesiæ prior sit. 4. Sect.

*Stapletonus.*

Hæc fuit altera ad præsens argumentum responsio mea, quæ his verbis paulò plenius quàm tu referre dignaris, concepta fuit. *Præterea non sic est principium scriptura, quin prius eo sit vox Ecclesiæ. Nam scriptura est vnum ex ijs quæ creduntur. Vox Ecclesiæ est regula*

*La omnium quæ creduntur. De quo discrimine latius postea in Controuers. 7. lib. 12. cap. 16. Hæc ibi fuit responsio mea. Nunc vt illam impugnes dispiciendum est.*

*VWhitakerus.*

Quod quidem falsissimum est, cum Ecclesiæ vox  
5. Sect. omnis ex scriptura nascatur.

*Stapletonus.*

Concisè admodum, ne quis quod dicere velis, facile capiat. Ecclesiæ vocem ex scriptura nasci, quia multos sensus habere potest, quum tu sensum tuum aperueris, verus ne ille an falsus sit, dispiciemus. Interim tua tibi ænigmata à te ipso soluenda remitto. Facile est conijcere tam absurdum sensum in illis verbis contineri, vt eum explicatè proponere, non sis ausus, iuxta illud. *Qui male agit, odit lucem.*

Ioan. 3.

*VWhitakerus.*

6. Sect.

\*Multis modis falsum.

Præterea quod docetur \* prius semper est eo quod docet. At scriptura docetur, Ecclesia verò docet. Scriptura ergo est Ecclesia prior.

*Stapletonus.*

Hic quia explicatè disputas, argumenti tui turpitude, prima se facie prodit. *Quod docetur* (inquis) *prius semper est eo quod docet.* Verbi gratia. Grammatica est prior grammatico, & philosophia prior philosopho qui eam docet. Id quidem certum est loquendo de prioritate temporis & naturæ in munere ac ratione docendi; quia quæ docentur prius subsistant oportet quàm is qui docet, quatenus illa docentur. Sed an etiam quod docetur prius semper est eo quod docet, vel simpliciter loquendo de rebus ipsis quæ docentur, & personis docentibus, vel prioritate dignitatis & authoritatis in ratione & respectu dicendi? Illud si verum existimas, ergo quod ad prius attinet, omnem veritatem à Deo hominibus reuelatam, Deo esse priorem probabis.

Tempore prius non est semper quod docetur eo quod docet.

bis.

bis. *Quod enim docetur prius semper est eo quod docet* ais, tu. At reuelatæ veritates à Deo docentur; ergo reuelatæ veritates sunt Deo priores. Placetne tibi huius argumenti tui conclusio blasphema? Non opinor. Rursum. *Quod docetur prius semper est eo quod docet.* At lex in deserto per Moysen promulgata est, & à Moyse filij Israel eam didicerunt: ergo lex fuit prior Moyse. An non iterum vides, maiorem illam tuam propositionem nō esse semper veram, quum tu illam tamen vt semper veram affirmes? Sed quid? An hæc sola exceptio vel instantia contra illam dari potest?

An non etiam, loquendo de prioritate dignitatis & authoritatis in ratione & respectu docendi prorsus falsa est? An putas omne quod docetur prius semper, id est, semper nobilius, maioris dignitatis & authoritatis esse in ratione & respectu docendi, quàm id quod docet? Vide ergo absurditatem. *Id quod docetur prius semper, id est, nobilius & maioris authoritatis est eo quod docet.* Sed Spiritus sanctus docet nos omnem fidei veritatem. Ergo omnis fidei veritas prior & nobilior est Spiritu S. Hæccine tui quoque argumenti conclusio tibi placet?

An dices, vt te non nihil adiuuem, id quod docetur semper esse prius eo quod docet, non quidē efficaciter & principaliter docendo, vt Deus ac Spiritus sanctus nos docent, sed certè ministerialiter tantum docendo, vt Ecclesia docet? Atqui nec hoc etiam modo argumentum tuum absurditate carebit. Quum enim Ecclesia ministerialiter docens ea quæ sunt fidei, in persona & authoritate Christi doceat ( vt ex præcedentibus luculentissimè patet) quemadmodum cæteris fidei articulis & dogmatibus quæ docet dignitate & authoritate

Authoritate & præstantia prius non est semper quod docetur eo quod docet.

Ecclesie vox quo sensu & modo scriptura prior.

prior est ( eius enim testimonium, iudicium, vox, prædicatio illis omnibus auctoritatem adfert quoad nos, id est, facit ut nos illis credamus, non autem, ea dogmata Ecclesiæ auctoritatem adferunt) sic haud dubiè ipsa scriptura, quatenus liber scriptus est, quam Ecclesia suo testimonio sacram & diuinam esse scripturam docet, hoc est attestatur, & iudicat (neque enim nisi attestando & iudicando docet) dignitate & auctoritate in ratione docendi scriptura prior est: quia Ecclesiæ testimonium ipsi scripturæ quoad nos auctoritatem adfert, id est, facit ut illi credamus, eamque pro sacra & diuina habeamus: non autem è conuerso scriptura Ecclesiæ auctoritatem adfert, nec facit ut Ecclesiæ credamus; tametsi in ipsis scripturis Ecclesiasticæ auctoritatis luculenta testimonia habeamus: sicuti sanè cælum ipsum Soli splendorem non adfert, nec causa est cur sol in eo videatur, tametsi in cælo solem videamus; sed contra sol cælum illuminat nobisque cælum demonstrat. Et hoc sensu dixeram, quòd ipsa scriptura vox Ecclesiæ prior est, quia videlicet (ut statim adieci) *Ecclesia vox est regula omnium credendorum*, id est, testimonio & voce Ecclesiæ mediante, omnia quæ credimus creduntur, quum ipsa scriptura non sit talis regula, nec tale medium à Christo ordinatū, sed sit vnum eorum quæ per Ecclesiæ vocem creduntur. Sanè Paulus huius ordinis non ignarus suum Timotheum, primum ad Ecclesiæ vocem, deinde ad scripturas remittit. *Permane* (inquit) *in ijs quæ didicisti &c sciens à quo didiceris, & quia ab infantia sacras literas nosti.* 2. Tim. 3, Priori loco ponit Ecclesiæ magisterium à quo didicerat, secundo loco scripturas quas legerat. Vox igitur Ecclesiæ hoc sensu prior est scriptura quia per Ecclesiæ vocem ipsam

ipsam scripturam cognoscimus : & id quod docet quatenus docet maioris authoritatis est quàm quod docetur, quum à doctore doctrina fidem & authoritatem accipiat, in ijs quæ sunt fidei (quod enim credimus. authoritati debemus) non e contra, vt in humanis scientijs, vbi non quis dicat, sed quid dicatur, meritò attenditur.

*VWhitakerus.*

Sed pergit Stapletonus, ac probat Ecclesiam 7. *Sect.* priorem esse scripturam, & maioris etiam authoritatis: quia scriptura (inquit) est vnum ex ijs quæ creduntur, vbi duplex eius ἀντιλογία obseruanda est. Prima est, quod cum supra \* negaret scripturam \* Mendacium stupidum. credi, in capite proximo sequente, & diceret nos in symbolo Ecclesiam credere, sed nō scripturam; nunc contra ait, scripturam vnum esse eorum quæ creduntur, \* & sic ad symbolum pertinere. Sic secum pugnat, nec quid omnino dicat attendit. \* Crassa stupiditas

*Stapletonus.*

Pergis tu profectò ineptè & perabsurdè disputare, vt me tui planè pudeat, tuæque Academiæ olim florentissimæ, cui professor Regius tam stupidus & ignarus obuenerit. Vide enim hoc loco & attende ingentem stupiditatem tuam. Duplicem in meis verbis ἀντιλογίαν vis obseruare. Et hanc obseruationem tanti facis, vt tanquam res summa obseruatione digna etiam in Indice libri tui annotata fuerit. Debet ergo luculenta aliqua esse & valde crassa contradictio mea, quam ita studiosè obseruandam mones. Nunc autem vide non aliquam ἀντιλογίαν meam, sed duplicem ἀναισθητικῶν καὶ ἀναισθητικῶν tuam. Primam meam contradictionem ponis, quod quum alibi dixissem nos in symbolo Ecclesiam credere, non scripturam; nunc contradicam scripturam vnum eorū esse quæ creduntur:

& sic

Non omnia quæ creduntur in symbolo ponuntur.

*& sic (infernus tu) ad symbolum pertinere. Quo in loco Crassam tuam stupiditatem quis non obseruet? Ita- ne verò? Omnia quæ creduntur in symbolo nos credere profiteamur, aut in symbolo eorum fit mentio? Sic enim dixeram de scriptura, sub hac verborum forma. In ipso symbolo profiteamur nos credere Ecclesiam, non item scripturas, quarum in symbolo nulla fit mentio. Hæc mea illic verba fuere. Nunc autem hoc loco dico; Scripturam esse vnum eorum quæ creduntur. Quæ hic demum contradictio, quæ ἀντιλογία? An hic dico scripturæ in symbolo mentionem fieri, quod antea negaueram? Aut hic dico, in symbolo profiteamur nos credere scripturas, cuius antea contrarium dixeram? Neutrum horum dico: quum tamen non nisi in alterutro horum contradictio vlla consistat.*

*At aio nunc esse vnum eorum quæ credantur & sic ad symbolum pertinere? Esto, ponatur verum, quod est falsissimum (vt supra ostensum est) omnia quæ credantur ad symbolum illud Apostolicum quod pueri didicimus pertinere & eo referri; An propterea vlla hic contradictio est? Nescis contradictionem in eodem & circa idem semper versari? Aut tibi prorsus idem videtur; in symbolo mentionem huius rei fieri, & ad symbolum hoc pertinere? Vel rursus, In symbolo hoc profiteamur credere: & ad symbolum hoc pertinere? Si hæc eadem prorsus esse existimas, non est quòd cum asino tam stupido quisquam disputet. Si multum differre agnoscis, cum tam inuerecundo aduersario disputare quis vellet? Quid enim inuerecundius, quid impudentius, quàm contradictionem obijcere, vbi tam aperta rerum differentia sese ostendit? Sed hic tuus stupor mentis & hebetudo, ex eo nascitur quod supra absurdissimè sustinebas, totius scripturæ compendium esse symbolum, & quod in ipso*

*etiam*



Cap. 21.

dantur, quum ipsa tamen sit regula omnium quæ creduntur, ego met in huius operis quod impugnas libro 8. proposui & dissolui. Tu obiectionem retinuisti: solutionem dissimulasti. In quo ostendisti, non te veritatis studiosum, sed obganniendi & contradicendi cupidum esse.

Ecclesiæ  
vox quomodo  
omnium  
credendorum  
Regula, & v-  
nam ex ijs  
quæ creduntur.

Ego huic difficultati duas solutiones dedi, quarum hic vnam tantum compendiò referam. Non est absurdum, quod in Symbolo profiteamur nos credere Ecclesiam Catholicam, tametsi Ecclesiæ Catholicæ vox & testimonium sit eorum omnium quæ credimus Regula; quia non est Regula principalis, sed conditio tantum quædam & modificatio ipsius. Regula principalis fidei totius nostræ est testimonium Dei. Sed quia Deus per Ecclesiam loquitur quæcumque loquitur, idcirco conditio quædam principalis Regulæ est Ecclesiæ vox, & consequente Regula secundaria ac ministerialis: planè sicuti regula agendorum in Repub. primaria est voluntas & mandatum principis: secundaria & ministerialis est voluntas & mandatum gubernatoris seu locum tenentis à principe constituti. Hanc secundariam Regulam inter ipsos fidei articulos comprehendere quasique regulari non magis absurdum est, quam si Rex inter alias leges & hoc referret, ut ducibus ab eo missis obtemperaretur.

Scriptura  
cur non  
omnium  
credendorum  
Regula.

At hic inquis. Cur idem de scriptura non statuis, quod tametsi sit vnum eorum quæ creduntur, possit nihilominus esse eorum quæ creduntur regula? Respondeo, posset fane, si sic esset vnum eorum quæ creduntur, sicut Ecclesiæ vox est: hoc est, si præterquam quod creditur, etiam credendi Regula à Deo constituta fuisset. Nunc autem scriptura sic est vnum eorum quæ creduntur, ut tametsi multorum aliorum quæ creduntur principium &

fons

fons quidam sit, vnde fidei dogmata hauriuntur & confirmantur; tamen Regulæ ministerialis rationem non habet, vt mox in sequentibus magis dicitur. Valet igitur argumentum in scriptura, quia simpliciter & absolutè est nisi vnum eorum quæ creduntur, & sicut cætera omnia quæ creduntur, vt in præcedentibus latè disputatum & demonstratum est. Non valet argumentum in Ecclesia, quia etsi credere Ecclesiã sit vnus articulus fidei, tamen hoc ipsum, Credere Ecclesiam, & Symbolum totum in quo hic articulus continetur, ab ipsa Ecclesia eiusque testimonio accepimus; ideoque Ecclesiæ vox præter rationem cum cæteris quæ creduntur communem, etiam eorum quæ creduntur Regula & principium est: qualis Regula scriptura non est. Sicut ergo ista argumentatio bona est, baptismum esse sacramentum est nisi vnum eorum quæ creduntur; ergo non est omnium credendorum regula: & rursus ista: lex ciuilis de non furando, est nisi vnum mandatum legis particulare, ergo non est omnium legum principium & regula; ac denique & ista, Corpus iuris ciuilis quod vocatur tamen si leges scriptas contineat, tamen non est Regula agendorum quia principis voluntas & prætoris interpretatio accedat oportet, quæ ipsas leges promulget & approbet, ac veras esse leges sua authoritate demonstrat; eademque exponat; sic hæc argumentatio bona est: scripturarum liber est nisi vnũ quid eorum quæ creduntur; ergo scripturarum liber non est omnium credendorum Regula, quia Ecclesiæ iudicium scripturas tum approbat tum exponit. Iam verò sicut ista argumentatio non est bona, Obdire ducibus à Rege missis est vnum ipsius Regis mandatum; ergo obedire ducibus à Rege missis, non est obedientiæ ciuium aliqua Regula, sic &

ista

ista argumentatio non est bona, Credere Ecclesiam est vnus articulus fidei; ergo obedientia voci Ecclesie præstanda non est aliqua Regula eorum quæ creduntur.

*VWhitakerus.*

9. *Sect.* Sed est ne Ecclesie vox regula scripturæ? Imo  
Nagatur. potius econtrà scriptura est Ecclesie regula.

*Stapletonus.*

Egregiè disputas : quod vt intelligas magis, finge me tecum de fundo contendere cuius dominium ego mihi assero, tu tibi vendicas. In hac contentione, ego sic disputo. Est ne vero hic fundus tuus? Imò potius econtrà hic fundus est meus. An non pulchrè tibi videor disputasse?

*VWhitakerus.*

10. *Sect.* Num Ecclesie vocem scriptura sequitur, an contra?

*Stapletonus.*

Num hic fundus tuus est, an contra?

*VWhitakerus.*

11. *Sect.* Atenim isti aiunt non scripturam aptari ad Ecclesiam, sed Ecclesie testimonium ad scripturam, vt quia est scriptura Canonica, ideo Ecclesia non possit aliter facere, quin eam esse scripturam declaret. \*Sic Ecclesia non est regula sed regulatum.

\*Collectio insulsa.

*Stapletonus.*

Fingis tibi aduersarios nouos, quia quod contra me hoc loco disputes, amplius non vides: & formas tibi argumenta quæ refutes; sicut pueri luteas domunculas fabricant quas postea vno pede deiciant. Sed videamus quàm dexterè digladiaris. Ecclesia non potest aliter facere quin eam esse scripturam declaret quæ scriptura Canonica est: ergo Ecclesia hac in parte non est regula sed regularum. Vide in simili quam bene disputas. Iudex non potest

Ecclesia tamen non possit alias scripturas ap-

test aliter iudicare quam secundum allegata & probata. Ergo Iudex non iudicat sed iudicatur. Rursum. Rex non potuit aliter facere quam illam legem bonam ac iustam pronunciare, quæ bona ac iusta est. Ergo Regis iudicium circa hanc legem non est Regula sed regulatum. Sic nulli erunt legiflatores, nulli Iudices, quia non nisi ex æquo & bono iudicare legesque ferre debet. Hanc veterem tuam absurditatem hoc loco reperitam, in præcedentibus iugulatam reliquimus.

*Whitakerus.*

Scriptura ipsa est Regula fidei ut post luculentius ostendemus. Vox enim Ecclesiæ à scriptura regi debet, estque Ecclesia quidem \* effectum fidei, ac proinde Regula fidei esse non potest.

*12. Sect.*

\* Absurdissime dictum.

*Stapletonus.*

Multa tentas, multa moliris, ut aliquid solidi respondeas: & plane quò te veritas nescis. Nunc ad futuras tuas disputationes nos remittis, quæ si huic tuæ similes sint, & suum parentem referant, non dubium quin multa præclara Absurditatum & Mendaciorum emblemata allaturæ sint. Interim tamen argumentaris aliquid, veluti velitando ante iustum certamen. Vox (inquis) Ecclesiæ à scriptura regi debet. Ita sanè & eatenus ut nihil scripturis contrarium doceat, de quo in sequenti argumento plura dicendi erit locus. Sed hoc nihil impedit quominus scripturas nobis consignet, approbet, commendet, ac exponat: sicuti authoritati regiæ aut prætorix inferendis, promulgandis, approbandis seu novis seu antiquis legibus, nihil derogat quod iuxta leges à se approbatas postea iudicet, & à legibus ipsis quoad iudicium iuxta eas ferendum, regatur. Subiungis præclarum argumentum. Ecclesia est effectum fidei: ergo Regula fidei esse non potest. Quod

Ecclesiæ vox à Scripturis quatenus regi debet.

quia in sequentibus confirmare videris, sequentia coniungemus, ut totam tuam sententiam capiamus.

*Whitakerus.*

13. Sect.

\* Absurdum.  
\* Contradictio.  
\* Maledicendo causam obtinere contēdit.

Nam nihil quod Ecclesia efficit, est regula fidei, cum ipsa sit effectum fidei. Est enim Ecclesia multitudo fidelium: ergo regi fide, sequi fidem, ex fidei regula pendere, ad eamque sua omnia exigere debet. At vox Ecclesiæ est actio Ecclesiæ & \* posterior quàm Ecclesia. Vox Ecclesiæ est \* vox hominum. At Regula fidei est vox Dei. Sic istos \* non pudet vllius absurditatis aut blasphemix: eo deventum est desperationis. Sed de hoc argumento satis multa verba fecimus.

*Stapletonus.*

Multa sane verba fecisti, & non nisi verba fudisti. Multa entymemata effutisti, multa tentasti, ut axioma illud, *Ecclesia est Regula fidei*, tibi ut video molestissimum, aliquo tandem modo excuteres. Sed tandem omnibus frustra tentatis, maledicendo & conuitiando causam obtinere contendis, blasphemias & desperationes proclamans. Ac præcedentia quidem verba tua non nisi verba fuisse, teque lectori tuo verba dedisse satis ostensum est.

Nunc postrema hæc tua entymemata expendamus. *Ecclesia* inquis, *est effectum fidei: ergo regula fidei esse non potest*. Antecedens postea explicas, quia *Ecclesia est multitudo fidelium quæ fide regitur, quæ fidem sequitur, quæ ex fidei regula pendet*, & omnibus his modis est effectum quoddam fidei: Tuas hic absurditates quis non videt? Primum Ecclesia cuius vox est Regula fidei, non est multitudo fidelium, sed huius multitudinis pastores, præpositi, magistri. Atque hac ex parte totum tuum argumentum non claudicat modo sed & corrui. Deinde ipsa multitudo

tudo fidelium etsi fide regatur &c. tamen non est effectum fidei. Fides non facit fideles vt causa efficiens sed vt causa formalis; sicut albedo non facit parietem album vt causa efficiens, qui dealbator aliquis forte fuit, aut aliqua causa naturalis, sed vt causa formalis, quia ex albedine albus est, sicut ex fide fideles sumus. Multitudo igitur fidelium quatenus fidem habet, eaque regitur & ad eam omnes suas actiones exigunt, Dei & Ecclesie effecta sunt vnde fidem suam acceperunt non ipsius fidei. Sic Paulus à se ad fidem conuersos, opus suum vocat, gaudium & coronam suam. *Nonne opus meum vos estis in Domino? Et quare? Sequitur. Etsi alijs non sum Apostolus tamen vobis sum.* Et vt postea dixit, *Per Euangelium ego vos genui.* Rursum ad Thessalonicenses. *Quae est nostra spes aut gaudium aut corona gloriae? Nonne vos ante Dominum &c.* Est igitur multitudo fidelium opus & effectum Ecclesie; Fidei autem non effectum aut opus sunt, sed possessores sunt. Imò fides cuiuslibet fidelis & fidem habentis opus quoddam atque effectum est, quatenus ad Dei vocem per Ecclesiam exterius sonantis, dei que spiritum interius docentis, libero suo consensu crediderunt. An non opus credentis fides est? An non Christus interrogantibus Iudæis, *quid faciemus vt operemur opera Dei,* Ioan. 6. statim respondit illis, *hoc est opus Dei vt credatis in eum quem misit ille?* Fides ergo est opus Dei quatenus Dei donum est, & est opus nostrum quatenus nos operamur illud, liberè credendo in Deum. Vides quam absurdè loquaris, quod Ecclesia, id est homines credentes, sunt effecta fidei; quum planè e contra fides sit effectum & opus ipsorum credentium; nec vlla causa efficiens cur homines credant, sed virtus ipsa iuxta quam formaliter credunt. Ita tu de rebus theologicis vt hospes & aduena, doctor indocte

Multitudo fidelium non est effectum fidei, sed Ecclesie docentis fidem.

1. Cor. 9.

1. Thess. 2.

Ioan. 6.

disputas. Atque hæc de antecedente tua propositione primi tui enthymematis: quæ quum tot modis falsa & absurda sit consequentiam expendere non est opus. Ex falso enim antecedente nihil verum consequi potest.

Adiungis postea. *Ar vox Ecclesie est actio Ecclesie & posterior quam Ecclesia*: quod quorsum adiungas, & quam connexionem vel cum præcedentibus vel cum subsequentiis habeat, nec ipse vt arbitror intelligis. Deinde quam hic rursus absurdè loqueris doctor indocte? *Vox Ecclesie est actio Ecclesie & posterior quam Ecclesia*. Actio cum agente quatenus agente, nonne simul tempore & simul natura semper est? Correlatiua nonne simul natura & tempore sunt quatenus talia; etsi non quoad relationis fundamenta? At forte, Aquila non capit muscas, nec doctor theologus ac professor Regius regulas dialecticas curare debet. Non vacat exiguis rebus adesse Ioui.

Vnum adhuc enthymema adiungis, cæteris nihilò solidius. *Vox, inquis, Ecclesie est vox hominum: at Regula fidei est vox Dei.* Iterum sicut canis ad vomitum & sus ad volutabrum, easdem absurditates, quas dudum reieceras, relambis. An non in præcedentibus falsus es, Ecclesie iudicium esse diuinum, Deum per Ecclesiam loqui, testimonium Ecclesie esse testimonium Dei loquentis per illam? In argumento tuo duodecimo, *Non (inquis) queritur vtrum Ecclesie iudicium in se sit diuinum, sed vnde nobis constet diuinum esse.* In argumento tuo decimo tertio dixisti. *Illud quoque fatemur quod ipse adijcit, Deum per homines loqui.* In argumento tuo decimo quarto ita scripsisti. *Calumniatur præterea nos Ecclesia iudicium merè humanum facere.* Et tamen nunc horum omnium oblitus, opponis vocem Ecclesie voci Dei, &

vocem

Vox Ec-  
clesiæ vox  
Dei.

vocem eius vocem hominum esse absolutè affirmas. Semper tibi occinere debeo, necessarium aliud præceptum. *Mendacem oportet esse memorem.* Nos verò in tota hac defensione nostra, multis in locis, & multis argumentis ostendimus vocem Ecclesiæ non esse vocem hominum, absolutè & solitariè sumptam cum exclusione Dei loquentis vt tu hic illum proponis, sed esse vocem Dei per eam eiusque ministerium omnem nobis veritatem loquentis: sic sane (tuis verbis vtar) vt sine hoc ministerio verbi <sup>Suprà arg. 15. sect. 17</sup> nullus nobis ad salutem aditus pateat. Si ergo vllus hic aut absurditatis, aut blasphemix, aut desperationis locus est, eum iòsum in tuis proprijs verbis aduerte, tuumque te crimen proclamare cognosce.

R E S P O N S I O A D  
D E C I M V M S E P T I M V M  
A R G V M E N T V M.

C A P V T. XVII.

*VWhitakerus.*

SEQUITUR iam Argumentum nostrum decimum septimum, quod quidem tale est. Ecclesia <sup>1. Sect.</sup> subijcitur scripturæ: ergo de scriptura iudicare non debet. Argumentum optimè sequitur, si iudicium authoritatum (vt Iureconsulti loquuntur) intelligatur, quale Papistæ volunt. Antecedens probatur duplici testimonio Augustini. Primum habetur in lib. 11. contra Faustum Manich. cap. 7. vbi ait Augustinus. *Scripturam in sede quadam sublimiter constitutam esse, cui seruiat omnis fidelis ac pius intellectus.* Secundum habetur in lib. de vera religione cap. 31. vbi idem etiam Augustinus asserit, *fas esse aternam*

*Dei legem mundis animis cognoscere, iudicare autem non fas esse. Hic quoque effugere conatur Stapletonus, interposita distinctione quadam vt solet. Ait enim Ecclesiam vt significat corpus fidelium, scripturæ subijci: sed vt pastores, præfules, ac prælatos significat, non subijci: quia illi potius iudicant de scriptura non acceptata, vt acceptetur. Atque hoc modo vult Augustini vtrumque locum illudere.*

*Stapletonus.*

Sicut meam responsionem veteratorie & perfide rursus recitasti, eam penitus mutilando; nec integram proferre ausus es hostis ignauus & imbellis: ad prouocandum audax, in pugna fugitiuus. Sed ego te in aciem fugitiue protraham, & postquam me non prouocatus aggredi voluisti, vt cominus mecum pugnes, efficiam. Vide enim nunc integram responsionem meam, vt quam crudè & mutilatè eam protuleris, videat Lector. Hæc est mea ad illa duo Augustini loca responsio. *Ecclesia vt corpus fidelium significat, subijcitur & seruit scripturæ simpliciter & absolutè, nec de ea iudicium aliquod fert. Et in tali sensu loquutus est Augustinus in loco contra Faustum. Vt autem significat præpositos Ecclesiæ Spiritu S. ad docendum instructos, sic Ecclesia & de ipsa scriptura nondum acceptata iudicat vt acceptetur (non ipsi auctoritatem tribuens, sed nos docens quod ei auctoritas sit tribuenda) & secundum eam iam semel acceptatâ omnia iudicat quæ per eam iudicari possunt. Nec aliter sensit Augustin. in loco de vera religione. Loquitur enim disertè de lege iam constituta. cum de ea dicit neminem iudicare posse. Subiungit enim statim. Sicut in istis temporalibus legibus, quamquam de his homines iudicent quum eas instituunt, tamen quum fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas. Hæc ille. Neque verò cum de acceptatis scripturis iudicat Ecclesiæ, inferior de superiori iudicat,*

Respon-  
sionē in-  
signiter  
mutilat.

iudicat, partim quia Deus per Ecclesiam iudicat, non Ecclesia sine Deo: partim quia iudicium hoc nos respicit formaliter non ipsam scripturam. Secus in humanis legibus fit, ubi ex iudicio & arbitrio hominum tota vis legum pendet. Hęc mea responsio fuit. Attende nunc quàm improbè eam detruncaueris, vt tuæ refutationi locus esset. Sic enim illam refers, vt populum quidem fidelem scripturis subijci respondeam, pastores autem non subijci: moxq; contra eam ita disputas.

*VWhitakerus.*

At Augustinus procul dubio de toto corpore Ecclesiæ loquitur, cum ait omnem fidelem intellectum scripturis seruire oportere: quibus quidem verbis præfules ac prælatos complexus est. Et certè eo capite de ijs potissimum loquitur, quorum est scripturas explicare, hoc est, de ipsis pastoribus. Nonne enim hi etiam debent scripturis subijci? & suum intellectum ijs submittere? \* Videte quantũ præfules Pontificij sibi sumant.

2. sect.

\* Videte quantam mentiendi libertatẽ heretici sibi sumunt.

*Stapletonus.*

Tota hæc tua refutatio, mea inspecta responsione, non vt tu eam mutilasti, sed vt ego hic eam integram reposui, prorsus ridicula & nugatoria apparet. Sic enim disputas, quasi ego negauerim Ecclesiarum pastores ac Magistros scripturis subijci debere, suumque illis intellectum submittere. At in meis verbis prorsus contrarium inuenies. Primum enim aio, ipsum corpus fidelium scripturis subijci & seruire, simpliciter & absolutè, nec de ea iudicium aliquod ferre: quæ tu verba resecasti: ex quibus intelligi potuisset, subiectionem popularem à subiectione pastorum non in eo differre quòd populus suum intellectum scripturis submittere debeat, pastores non debeant, sed in eo, quòd populus aliquod iudiciũ de scripturis ferre, videlicet vt pro huiusmodi

Scripturis omnes subijciuntur.

acceptentur, non possit, pastores possint: vnde postea in altero membro dixi pastores Ecclesiarum de scriptura quidem iudicare, nondum acceptata vt à nobis acceptetur, sed secundum eam iam semel acceptatam omnia iudicare: quæ posteriora verba tu iterum fallaciæ tuæ falce pulchrè rescicasti: ex quibus perspicuè apparet, quòd ipsi quoque pastores scripturis subijciantur eo modo, quatenus suum intellectum ijs submittere illisque seruire debeant. Quid est enim aliud scripturis seruire suumque illis intellectum submittere, quàm secundum eas omnia iudicare quæ per eas iudicari possunt, hoc est, quæ in ipsis scripturis inueniuntur. Præclarus disputator es, qui vt aduersarium refutes, aduersarij verba quæ refutari non poterant, penitus rescindis: & vt hostem deijcias, arma illi prius sua auferas, vt sic inermem aliquo ictu petas. Sed non hoc semel tantùm loco fecisti. Videamus tua reliqua.

Disputator mendax.

*VWhitakerus.*

3. Sect. Non vult ergo (Augustinus) ne eos quidem authoritatum vt vocant iudicium in scripturas exercere, sed ipsis potius seruire.

*Stapletonus.*

Vt hoc aliquo furo responderes, alia mea verba prioribus per parenthesin interiecta prorsus quoque dissimulasti. Hæc videlicet. *Non ipsi authoritatem tribuens sed nos docens quod ei authoritas sit tribuenda.* Male te haud dubiè habuit, quòd tam limatè loquutus fuerim, ideoque quia meam sententiam qualis erat, nullo furo impugnare poteras, illam in disputationis tuæ campum protulisti qualis non erat, vt sic oppugnandi materiam haberes. Nunc enim ex his meis verbis manifestè patet me non tribuere Ecclesiæ pastoribus iudicium authoritatiuū, quod repugnet obedientiæ scripturarum, quam Augu-

Disputator mendax.

stinus

stinus docet; quum perspicuè dicam hanc auctoritatem quam exerceat Ecclesia in approbandis scripturis, non ipsas scripturas respicere sed nos: nec illi aliquam auctoritatem tribuere, sed nos docere quæ sit ei auctoritas tribuenda. De quo discrimine in præcedentibus latius dictum est.

*VWhitakerus.*

Deinde, quod ait Pastorum esse de scriptura non-4. Sect. dum acceptata iudicare, quæro an adhuc scriptura sit acceptata nec ne. Acceptatam iam pridem scripturam esse negare non possunt. Sequitur ergo oportere iam hoc Ecclesiæ iudicium cessare.

*Stapletonus.*

Nec propterea cessat Ecclesiæ iudicium, quia et si à fidelibus Catholicis scriptura iam acceptata est, tamen à multis adhuc infidelibus qui ad fidem conuerti poterunt necdum est omnino acceptata, & à multis hæreticis aliquæ eius partes repudiantur: pro quibus omnibus ad agnitionem veritatis perducendis Ecclesiæ auctoritas necessaria est: nec tamen si nunc cessaret hæc auctoritas ea tamen explicari non debuit, cum ex eadem auctoritate scripturas acceptatas retineamus, ex qua eas semel acceptauimus.

*Ecclesiæ approbatio semper necessaria.*

*VWhitakerus.*

Neque est alius quidem Augustini sensus in se-5. Sect. cundo loco, quemadmodum ex ipsius verbis facile potest animaduerti: Ecclesiam non iudicare scripturam, quam legem, regulam, veritatem vocat, sed secundum scripturam. Utitur enim illic similitudine legum ciuiliū, quæ cum nostra defensione optime quadrat. *Sicut fit in istis temporalibus legibus* (ait Augustinus) *quanquam de his homines iudicent cum eas instituunt, tamen quum fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit ne iudici quidem de ipsis iudicare, sed secundū ipsas.*

*Nihil ad rhōbam.*

• Addit-  
mentum  
artificio-  
sum ac  
falsum.

Ita fit etiam in lege diuina. Ea enim comparationis vis est. At quis habet auctoritatem condendi has diuinas leges? Non homines, sed solus Deus. Si ergo Deus has leges condidit ac \* promulgauit, tum leges sunt sine iudicio & acceptatione Ecclesie. Cum igitur scriptura à Deo condita ac promulgatae sunt, non debent humano iudicio subijci, nec fas cuiquam est de illis iudicare. Deus has leges condidit. Nostrum est suscipere, agnoscere, venerari, parere, nosmet illis subijcere, & secundum illas omnia non quidem de illis iudicare. Atq; hoc sine exceptione omnes mortales facere debent; imo vel ipsi præsules, & ij qui summam in Ecclesia auctoritatem habent.

*Stapletonus.*

Sectionis  
precedentis  
vicia.

- Multa verba sine sensu, sine iudicio, quoad rem præsentem effutisti. Multa quæ tuus, quem tibi delegisti, aduersarius tecum profiteretur, & ante te professus est, inaniter accumulasti. Sed ad aduersarij tui responsionem 1 nihil replicasti, nihil dixisti, quum hoc te tamen hoc loco agere profitearis. Pastores ipsos & Ecclesiarum magistros scripturis subijci & secundum eas iudicare debere in meis verbis inuenisti; sed illa mea verba 2 recitare nolueristi, vt aliquid contra me dixisse homo vanus viderere. Iudicium autem Ecclesie in scriptura approbanda à me explicatum, & à iudicio legum humanarum distinctum 3 non attigisti. Illud vnum repetis diuinarum legum Deum conditorem esse, quod 4 nemo tibi negat: illis ab omnibus obtemperandum esse, quod nemo refragatur, secundum illas iudicare etiam ipsos præsules oportere, quod in meis verbis disertè expressum, 5 pulchrè dissimulasti.

Vnum est fateor verbum, quod de tuo addis, quasi

quasi tibi concessum, quod tibi concedet nemo, quia nec tu probabis inquam; & 7 concludis tamé perpulchrè ac si concederetur; aut certè huiusmodi esset ut à nemine negari debeat. Ex quo etiã vno verbo & intentũ tuum principale, artificiosè mox inferre voluisti. Nempè quum dixisses. *Quis habet auctoritatem condendi has leges diuinas? Non homines sed solus Deus* (quæ omnia sunt verissima & per se patent) mox concludis. *Si ergo Deus has leges condidit ac promulgauit* (ubi verbum, *promulgauit*, artificiosè, id est, mendaciter adiunxisti,) *tum leges sunt sine iudicio & acceptatione Ecclesie.* Vide ergo Doctõr indocte. Condere leges ac promulgare leges, vnũ tibi atque idem videtur? An leges quàm primũ sunt conditæ, eo ipso promulgantur, aut promulgari censentur? Quid, an tam stupidus es ut hoc ignores, leges vtcunque latas ac conditas, nõ prius tamen obligare quàm promulgentur? Nescis regulam omnem ut suum effectum consequatur applicari debere ad id quod regulari debet? Regula fabri in cubiculo iacens, an aliquid in officina operari potest? Lex quum sit regula agendorum, ut ad agendum informet atque obliget, nonne applicari illis debet qui eam seruare tenentur? Aut alio modo applicatur quàm per promulgationem? Vidcs ergo leges condi & leges promulgari, plurimum discriminis habere.

6.

7.

8.

Leges cõdere ac promulgate diuersæ sunt.

Hoc quum ita sit, quo modo, quo sensu, quo iudicio, ex eo quod solus Deus leges diuinas condidit, mox concludis, *condit & promulgat*, Aut verò existimas solum Deum suas leges nobis promulgare? Cur ergo in principio huius disputationis tuæ, mentitus es contra animam tuam, dicens. *Non negamus ad Ecclesiam pertinere, ut scripturas approbet, agnoscat, recipiat, promulget, &c.* Ecce fateris, quod verissimum

Conclusionis aduersariæ absurditas.

Lib. 1. c. 1. sect. 6.

vWhitakeri manifesta

277. 2. 6. 712.

Suprà in  
arg. 15.  
sect. 17.

verissimum est, scripturas quæ Dei leges sunt de quibus hic agitur, ab Ecclesia promulgari. Et qua quæso fronte hoc negare poteris? An Deus aliquid humano generi promulgat, hoc est, in notitiam hominum deducit, quod quidem publicè credi & cognosci oporteat, absque ministerio vel Angelorum vel hominum? Angelorum ministerio Deum in hoc statu non vti, nobiscum haud dubiè agnoscis. Hominum ergo ministerio vtitur, & quidem ita te authore, *Vt sine hoc ministerio nullus nobis ad salutem aditus pateat.* Hi homines Ecclesiarum pastores ac præpositi sunt. Non igitur solus Deus tuas nobis leges promulgat, sicut solus eas condit, sed per Ecclesiam eas promulgat, ideoque falsa & mendax est tua illatio: *tum leges sunt sine iudicio & acceptatione Ecclesie.* Quia enim non promulgantur absque voce & testimonio Ecclesiæ, propterea non sunt nobis leges, nec à nobis acceptantur sine iudicio & approbatione Ecclesiæ. Vides ergo quod solum de tuo addidisti, id solum falsum est. Quæ nobiscum adeoque ex verbis nostris dixisti, ea sola vera sunt. Atque ita ad hanc responsionem nostram nihil replicasti, neq; argumentum hoc tuum (tuum enim esse voluisti) vlla ex parte defendisti. Cætera videamus.

*VWhitakerus.*

6. Sect.

\*Seipsum  
hæreticū  
prohæretur.

Sed hic Stapletonus ait se velle \* nobis hæreticis ora statim obstruere, quod quemadmodum præstiterit attendamus.

*Stapletonus.*

Dixi hoc modo. *Sed vt melius ac plenius aduersariorum ora statim obstruantur. suis ipsorum armis hanc eorum calumniam & inuidiam quam Catholicis hoc nomine concitant (videlicet quòd Ecclesiæ potestatem tribuimus scripturas ipsas approbandi & consignandi)*

*retundemus.*

*retandemius.* Et quidem quod aduersariorum nomine hæreticos à me intelligi existimasti, rectè coniecisti. Solos enim in hac causa hæreticos aduersarios habeo, orthodoxos nullos. Sed quòd teipsum hæreticis annumerasti, & me *vobis hæreticis ora obstruere* velle dixisti, præter expectationem meam fecisti. Tu enim primus es quem, hæreticus quum esset, hæreticum se profiteri velle audiui. Benè ergo se res habet. Si te quisquam posthac hæreticum appellet, aut pro hæretico habeat, nullam tibi iniuriam facit. Hæreticorum enim numero ac loco teipsum tute collocasti: & volenti non fit iniuria.

*VWhitakerus.*

Calvinus 1. lib. Instit. cap. 9. contra eos disputat, qui enthusiasmos inducunt, atque iliorum spiritus, quos iactant, enthusiasticos ex scripturis iudicandos esse, docet. Illi dicunt iniquum esse, Spiritum S. scripturæ subijcere. Respondit Calvinus, nullam Spiritui sancto iniuriam fieri, si per scripturam examinetur: quia isto modo non ad alienam aliquam regulam exigitur, sed sibi ipsi comparatur. Sibi autem ipsi ubique par & similis est; sibi ipsi per omnia constat, ac conspirat: nusquam discrepat. Non igitur hoc illi iniuriosum esse. Quæ quidem ab eo rectissimè dicta sunt. Hinc Stapletonus hoc colligit argumentum. Quemadmodum non est contumeliosum (inquit) Spiritui sancto ex scripturis examinari, sic non est contumeliosum scripturæ ex voce ac testimonio Ecclesiæ examinari.

*Stapletonus.*

Meum argumentum nimis concisè & truncatè ignauus aduersarius proponis. Quare ego illud hoc loco subijciam. Totidem verbis nos Caluino de Ecclesia respondemus, arguenti indignum esse, Ecclesia subijci scripturas quibus omnia subijciuntur. Nam quia per Eccle-  
siam

siam Deus loquitur, (vt iam satis probatum est) idque non  
 secus ac per scripturam, adcirco non ad regulam aliquam vel  
 angelicam vel humanam exigitur scriptura (etsi vt olim  
 Angelorum ministerio sic postea hominum, verbum suum  
 Deus hominibus patefecit) sed sibi ipsi comparatur & con-  
 formis inuenitur. Idem enim Dei spiritus qui in scripturis  
 loquitur, per Ecclesiam loquitur. Quod cum sit, quis dicat  
 verbo Dei scripto iniuriam irrogari? Nam ad examen qui-  
 dem reuocatur scriptura, fateor: sed tale, quo suam Maie-  
 statem nobis certo innotescere & sanciri voluit Deus. Et sa-  
 nè verbum Dei vbicumque lectum vel auditum nobis abundè  
 esse debuerat, si nulla esset in rerum diuinarum cognitione  
 vel ignorantia nostra vel superbia. Verum ne sub titulo ver-  
 bi Dei & scripture sacre fabulosa & heretica simpliciori-  
 bus obtruderentur (quæ omnia respondent Caluini  
 verbis cõtra enthusiasticos quum dicit, Atque ita ad  
 examen reuocatur spiritus Dei, fateor, sed quo suam apud  
 nos Maiestatem sanciri voluit. Nobis quidem abundè esse  
 debuerat Dei spiritus, simulatque se nobis insinuat: Sed ne  
 sub titulo suo Satane spiritus obrepat;) Deus in sua ima-  
 gine quam Ecclesie verissime sponsæ suæ ad vixum impressit  
 vult à nobis recognosci. (Quæ verba respondent illis  
 Caluini verbis. Deus in sua imagine quam scripturis im-  
 pressit, vult à nobis recognosci.) Sic ergo que ratio ostendit,  
 non esse inconueniens, vt pro spiritu Dei aut reuelatione di-  
 uina non recipiatur, vtcunque pratexatur, quod scripto Dei  
 verbo contrarium est, quia in scripto verbo Deus loquitur  
 nec sibi contrarius esse potest; eadem ratio docet quoque non  
 esse inconueniens, vt pro scripto Dei verbo non admittatur,  
 vtcunque scriptura titulum præ se ferat, quod Ecclesie Dei  
 iudicio contrarium est; aut eius testimonio & approba-  
 tione caret quia Deus per Ecclesiam semper loquitur quan-  
 documque Ecclesia loquitur, nec sibi contrarius esse potest.  
 Hæc fuit ibi tota comparatio & refutatio mea,  
 quam tu proferre non es ausus, cuius tu vultum

ignautis hostis reformidasti, ideoq; tribus vix verbis leuissimè perstringere, tutius tibi & consultius existimasti. Quid ad ista replices ac respondeas, videamus.

*VWhitakerus.*

Sed sequetur tum demum hæc Stapletoni ratio, quando ille docuerit atque euicerit, similem esse rationem & proportionem Ecclesiæ ad scripturas, quæ est scripturæ ad Spiritum sanctum, quod ille nunquam probare poterit. 8. Sect.

*Stapletonus.*

Atqui in meis verbis si illa integra posuisses, eandem prorsus rationem & proportionem aduertisses: quæ si tibi falsa videtur, tuum erat vel illam impugnare; vel aliquam dissimilitudinis aut disparitatis causam adferre, vt omnis disputationis ordo postulat. Nunc autem analogiam & proportionem maximam quam ostendi, dissimulas hostis ignarus, & ad probandum me prouocas disputator absurdus. An forre in sequentibus aliquod discrimen, aliquam disparitatem docebis? Videamus quale id sit.

*VWhitakerus.*

Tota enim scriptura est *ἑὸς πνεύματος* & spiritui semper consentanea: ergo omnis spiritus qui non consentit cū scriptura, repudiandus est. At omnes Ecclesiæ non consentiunt cum scriptura. In hoc ergo claudicat tam gloriosum hoc Stapletoni argumentum quo ille se posse ora nobis obstruere sperabat. 9. Sect.

\* Paradoxum contra Scripturæ veritatem.

*Stapletonus.*

Nunc plane video, quod hoc nostrum argumentum ora vobis verè obstruxit. Tua enim misera ref. osio nō claudicat modo sed & corruiit tota, pro-

Ecclesia  
non est  
quæ non  
consentit  
cum Scri-  
ptura.

profusque humi iacet. *Omnis, inquis, Spiritus qui nõ  
cõsentit cū scriptura repudiandus est. At omnes Ecclesiæ non  
cõsentiant cū scriptura. Quid ergo? Tales Ecclesiæ re-  
cipiendæ tibi videntur? Aut tales Ecclesiæ repudi-  
andæ quoque non sunt? Vbi ergo discrimen ponis  
disputator ineptissime? An non sicut omnis spiri-  
tus qui non consentit cum scriptura repudiandus  
est, sic & omnes Ecclesiæ quæ non cõsentiant cum  
scriptura repudiandæ quoque non sunt? An non  
sicut aliquæ interdum Ecclesiæ à scriptura dissen-  
tiant & fideles seducunt, sic aliqui falsi spiritus à  
scriptura dissentiant, hominesque decipiunt; vbi  
ergo discrimen potes ponere disputator vanissime?  
Præterea an illa tibi vera aliqua videtur esse Eccle-  
sia, quæ cum scriptura non concordat? Quomodo  
ergo dicis, quod omnes Ecclesiæ cum scriptura non con-  
sentiant? Sicut enim Spiritus sanctus non est spi-  
ritus aliquis falsus & seductorius; sic Ecclesia non  
est falsa aliqua & mendax hæreticorum societas  
quæ se Ecclesiam vocat. Sed in ista comparatione  
nostra advertere debebas, si quid in te salis esset vt  
intelligeres, aut aliquid pudoris vt non dissimula-  
res, me de vera Catholica Ecclesia eiusque Magi-  
stris & præpositis loqui, qui à scriptura nunquam  
dissentiant, quos Dei spiritus infallibiliter omnem  
veritatem docet. Denique vt tota scriptura spiritui  
diuino semper consentanea est, sic tota Ecclesia eo  
sensu quo hic Ecclesiæ accipitur, Catholica ortho-  
doxa, & verè talis, spiritui diuino semper consen-  
tanea est: imò spiritus diuini perpetuum habitacu-  
lum est, domus Dei, sponsa Christi, lux mundi, columna &  
firmamentum veritatis: quam ipse spiritus S. posuit regere  
Ecclesiam Dei, id est populum credentem: quam spi-  
ritus veritatis docet omnem veritatem in æternum: quam  
qui audit, Christum audit: quæ missa est à Christo in mun-  
dum*

1 Tim. 3.  
Ephes. 5.  
Matth. 5.  
1. Tim. 3.  
Act. 20.  
Ioan. 15.

*dimi, sicut ipse à Patre missus fuerat : quæ iubetur docere* Luc. 10.  
Ioan. 17.  
Matt. 28.  
*omnes gentes : cum qua se perpetuo affuturum omnibus*  
*diebus vsque ad consummationem seculi* Christus promi-  
 sit. De hac Ecclesia nos loquimur, & qualis illa sit  
 ac penes quos, in huius operis quod impugnas, pri-  
 mis quatuor libris studiosè docui. Nec ad hoc ergo  
 argumentum aliquid respondisti : sed in hoc vt in  
 cæteris, Caluini tui argumenta, miser Calvinista,  
 miserè & eneruiter defendisti. Malam causam, pa-  
 tronum debilis, pessimè sustinuisti. Denique hoc  
 vnum argumētum nostrum tibi tuisque omnibus  
 in hac cauiā ora obstruxit, de quo in Domino glo-  
 riāmur.

*VWhitakerus.*

Atque huc vsque Stapletonus; qui quidem in  
 verbis audax est, sed in argumentis infirmus ac dis- 10. Sect.  
 solutus, vt iam vidimus. Iam illum dimittamus.

*Stapletonus.*

An ego in verbis magis audax, quam in Argu-  
 mentis firmus ac fortis fuerim, cuiuslibet lectoris  
 esto iudicium. qui hanc defensionem meam atten-  
 tē legerit. An tu quoque magis audax in me prouo-  
 cando, quàm fortis & fælix in me refutando fueris,  
 eiusdem esto iudicium. Ac tu quidem nunc me di-  
 mittis; sed ego ne adhuc receptri canam, duo tua  
 quæ in hac Quæstione adhuc sequuntur Argumē-  
 ta non permittūt. Vbi illis satisfecero, atque ita vni-  
 uersam hanc disputationem tuam de scripturarum  
 per Ecclesiam approbatione examinauero, ego  
 quoque te dimittam, sed nescio an in pace. Si non  
 in pace, sed cum magna animi tui molestia, tu tibi  
 imputa, qui me in certamē ac bellum primus pro-  
 uocasti.

788 AVTHOR. ECCLESIAST.  
RESPONSIO AD  
DECIMUM OCTAVVM  
ARGVMENTVM.

CAPVT. XVIII.

VWhitakerus.

\*Menda-  
cum af-  
fectatæ  
vel igno-  
rantia vel  
malitia.

SEQVITVR nunc Argumentum nostrum de  
Scimum octavum, quod huiusmodi est. Dicunt  
Papistæ nos credere scripturis ex voce & autori-  
tate Ecclesiæ. Quæro ergo qualis illa fides sit, ac-  
quisita ne an infusa? Acquisitam vocant quæ stu-  
dio nostro & humanis persuasionibus comparatur.  
Infusam verò quam Spiritus S. in codibus nostris  
insevit atque inspiravit. Si dicant acquisitã, \* quod  
neesse est eos dicere, quia Ecclesiæ autoritas est  
instar persuasionis cuiusdam externæ; dico eam  
non sufficere per se, vt nobis certò persuadeat: sed  
vt firmiter aliquid credamus, opus esse interna spi-  
ritus infusione. Id ex his quæ sequuntur facile ap-  
paret. Deuter. 29. 4. *vidistis ista omnia miracula (in-  
quit Moyses Israëlitis) at Deus non dedit vobis mentem  
ad cognoscendum, oculos ad videndum, & aures ad audien-  
dum, vsque in hunc diem.* Vnde intelligimus, nihil nos  
credere vt debemus, sine fide infusa, etiam si fuerint  
manifestissima, vt erant miracula quorum mentio-  
nem fecit Moyses. Matth. 16. 17. *Beatus es Simon bar  
Iona, quia caro & sanguis non reuelavit hoc tibi, sed Pater  
meus qui est in celis,* inquit Christus Petro. Audierat  
quidem Petrus Ioannem baptistam, audierat etiam  
ipsum Christum, ac multa eius miracula viderat,  
tamen non ante credere Petrus potuit, quam divi-  
na reuelatio accessit. Ideoque totum hoc, quod Pe-  
trus credidit, reuelationi Christus tribuit. Perinde  
est

est quod de lydia legimus. Act. 16. 14. cuius cor Deus aperuisse dicitur 1. Cor. 12. 3. *Nemo potest dicere Dominum Iesum.* inquit Paulus, *nisi per Spiritum sanctum.* & vers. 9. eiusdem capituli, fides numeratur inter charismata Spiritus sancti. Loquitur autem de fide iustificante, non de miraculosa fide. Ex his constat fidem qua nos nitimur, infusam esse non acquisitam. Si verò dicant fide infusa scripturis credi, \* idem plane dicunt quod nos volumus. Fides enim ista infusa quid omninò aliud est, quam testi-  
 \*Mentacium nimis impudens.

monium illud Spiritus sancti, propter quod nos etiam scripturis & scripturarum doctrinæ credimus, & quod scripturarum omnem salutiferam veritatem in cordibus nostris obsignat.

*Stapletonus.*

Toti tuo argumento, si tamen argumenti nomen meretur, vno verbo respondeo. Ex fide infusa & dono Dei nos credere nemo Catholicus negat. Et ad me quod attinet, advertere debuisti, in eo opere meo quod in hac Quest tua 3. impugnas, lib. 8. ex instituto probo, tum sine fide infusa neminem posse credere vt oportet, tum etiam ex illa sola, soloque interno Dei munere, fidem in generari posse. Quare tota hæc tua disputatio nihil aliud quam Catholicæ doctrinæ ignorantiam vel certe eius traducendæ libidinem malevolentia plenam manifestè docet Quod autem ex eo inferis: *ergo idem plane dicunt quod nos volumus*, id ab omni veritate alienum esse tota præsens Controversia in hac tua Questione agitata proclamat. In hac enim Questione nos sustinuimus, præter fidem infusam, & internum illud testimonium Spiritus sancti cuius beneficio principaliter & efficaciter credimus, externum quoque Ecclesiæ testimonium, necessarium nobis esse, quod huic interno cooperetur, quasi medium

Externū Ecclesiæ, testimonium cur necessarium.

1. ad fidem inductiuum; tum quia Christus sic ordinauit, ideoque huic externo testimonio Ecclesie illa interna Spiritus sancti gratia cooperatur, vt ex
2. multis scripturis in præcedentibus demonstratum est; tum quia nostra infirmitas & edomanda superbia id postulabant, vt illa quidem hoc externo medio adiuuaretur, hæc eiusdem autoritate in officio fidei contineretur: vt in huius Operis quod hic impugnasti lib. 8. à me demonstratum est. Nimis igitur impudenter tuoque more mendaciter dicis, Catholicos si fidem infusam agnoscant, idem vobiscum dicere, quia vultis nos scripturis credere, ex solo hoc interno testimonio, & luce illa scripturarum innata, vt in hac Quæstione acriter sed infeliciter disputasti, non verò propter vllam Ecclesie autoritatem, iudicium, testimonium, quod à scripturarum approbatione & promulgatione, quoad nos, omnibus istis tuis argumentis longissimè remouere contendis.
- 3.

At enim probare vis, si fidem infusam agnoscerimus, quòd idem vobiscum dicimus. *Fides enim* (inquis) *ista infusa, quid aliud est quam testimonium illud Spiritus sancti propter quod scripturis credimus?* Egregiè verò probasti. Fidem quidem infusam seu donum fidei infusum vnde fides infusa nascitur, testimonium & persuasionem internam Spiritus sancti esse nemo dubitat. Sed præter illam, Ecclesie testimonium necessarium esse vt medium externum per quod Deus nos docet, tota hæc disputatio ac defensio nostra, te nequicquam cauillante, tergiversante, argumentante, mentiente, comprobauit.

Vnum hic verbum addam. Nisi Dei spiritus intus doceat, propter externum Ecclesie testimonium nemo credet. Et nihilominus illud externum necessarium quoque, quia vt per Ecclesie ministerium

Externi  
testimo-  
nij præter  
internum

nisterium omnis fidei veritas nobis innotesceret necessitas  
 Deus voluit. Dicit scriptura. *Nisi Dominus edificauerit domum, in vanum laborant qui edificant eam.* probat. Pſal. 126. An tamen propterea illi qui ædificant nihil faciunt, aut eorum opera necessaria non est? Sic dati sunt Ecclesiæ pastores *ad ædificationem corporis Christi, quæ est domus Dei;* Sed in vanum illi laborant qui hanc domum ædificant nisi Dominus sua interna gratia ædificet illam. Rursum. *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit illam.* Sed an propterea Pſal. eodem. custodes & vigiles civitatum excubias deserent, aut eorum custodia superuacanea habebitur, aut denique verè & propriè & illi quoque in suo genere civitatem custodire non dicentur? Ecclesiæ pastores sunt custodes vineæ dominicæ, & civitatis illius, de qua Christus dixit, *Non potest civitas abscondi super montem posita.* Matth. 5. Esai. 62. Vnde de Ecclesiæ præpositis apud Prophetam dicitur. *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes. Tota die & tota nocte in perpetuum non racebunt:* quia Ecclesiæ vox nec in pace nec in persecutione fidei, à veritatis doctrina & confessione unquam taceret. Talem custodem suum Timotheum esse voluit Paulus, quum ad eum sic scriberet. *Formam habe sanorum verborum quæ à me audisti in fide & dilectione. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum qui habitat in nobis.* Tim. 1. Hæc forma sanorum verborum, hoc depositum, est Regula fidei, & tota sana doctrina, quam Timotheum vt Ecclesiæ pastorem firmiter servare in docendo alios iubet, idque ope & auxilio Spiritus sancti, qui pastores Ecclesiæ inhabitat, vt suum gregem in sana doctrina rectè custodiant. Vnde iterum Maiores & seniores, id est, presbyteros Asianos idem Paulus Epheso discendens sic alloquitur. *Attendite vobis & uniuerso gregi in quo vos posuit Spiritus S. regere Ecclesiam Dei, quam ac-* Act. 20.

Act. 20.

*quisiuit sanguine suo. Ego scio quia post discessum meum intrabunt lupi rapaces in vas, &c. propter quod vigilate, &c.*

Matt. 24.

Act. 6.

Matr. 28.

Ephes. 4.

Prouer. 4.

Pastores ergo Ecclesiarum vigilant & custodiunt gregem suum (qui est Ciuitas Dei & domus Dei) retinendo formam sanorum verborum, tradendo sanam doctrinam *dando cibum in tempore & mensura, precipientes custodire precepta Apostolorum &*

*Seniorum, maxime seruare omnia quaecunque mandauit nobis Christus, denique confirmando fideles, quia dati sunt in consummationem sanctorum; sed & vnusquisque iubetur seipsum custodire, Omni custodia*

1. Tim. 5.

Psal. 126.

*custodi cor tuum, & ad Timotheum Paulus, teipsum castum custodi.* Vide nunc igitur, An quia vna scriptura dicit, *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam*, ex eo sequitur totam Ecclesiae custodiam in solo Deo esse? aut propterea Ecclesiae pastores in suo genere, suos quoque greges non custodire, ac denique vnumquemq; vigilando & orando seipsum quoque sua diligentia custodire non debere? Custodia Dei principalis & sola efficax non excludit, sed includit planeque à nobis flagitat, & priuatam cuiusque custodiam, & generalem pastorum omnium curam & vigilantiam: quia tamen nisi interna Dei gratia custodiat

Philip. 4.

*corda nostra, & vt Paulus loquitur, Pax Dei quae exuperat omnem sensum, custodiat corda nostra & intelligentias nostras in Christo, frustra vigilatur, & inanis omnis alia custodia est; tamen quia diuina bonitas vigilantibus nobis nunquam deest, & cum Ecclesiae pastoribus vigilantibus super gregem suum semper adest, semper cooperatur, nostra quoque custodia & Ecclesiae custodia ac vigilantia necessaria est. Eodem modo tamen nisi internum Dei testimonium intus in corde loquatur, nec externum Ecclesiae testimonium foris sonans, nec ipsa scriptu-*

Scripturarum lectio, nec nostra attentio, meditatio, oratio, aut alius conatus quispiam, fidem in nobis generabit; verum tamen nihilominus est quòd ut fides ingeneretur, ut Deo credamus, ut omnem veritatem diuinam assequamur, firmiterque teneamus, necessaria nobis est Ecclesiæ docentis vox *sine cuius ministerio nullus nobis ad salutem aditus pateat*; ut ipsemet factus es. Et hæc quidem ad tuam ignorantiam informandam, (qui existimas, posita fide infusa, eaque concessa, Ecclesiæ iudicium ac testimonium à medio credendi penitus excludi) sufficere poterunt.

Tamen ut tua tarditas magis excitetur, ipsa scripturarum loca à te producta expendemus. Moyses dicit, quòd post tam multa miracula filijs Israel ostensa, *Deus tamen non dedit eis cor ad intelligendum, oculos ad videndum, & aures ad audiendum*. Quid ergo? An propterea miracula illis ostensa medium legitimũ & sufficiens non erant, quo ad credendum Deo patrum suorum inducerentur? Prorsus erant. Sed ut Apostolus ad Hebræos exponit, *Obdurauerunt corda sua in deserto*. Cuius pertinaciæ suos Iudæos monens propheta Regius, dixit. *Nolite obdurare corda vestra, sicut in die exacerbationis, quando tentauerunt me patres vestri, &c.* Quod ergo Deus non dedit illis cor ad intelligendum, eorum incredibilis pertinacia in causa fuit. Ex parte miraculorum aut externæ doctrinæ per Moysen defectus non erat. Idem de Iudæis Christo docente & miracula faciente notauit Euangelista. *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*. An ergo dices Christi miracula medium non fuisse sufficiens & idoneum quo ad fidem Iudæi inducerentur, si diuinæ gratiæ pariter cum illis miraculis corda intus excitanti pertinaciter non restitissent? Hoc si dicas, ab eo peccato illos excusa-

bis, de quo illos Christus minimè excusandos affirmat, dicens: *Si non venissem & locutus fuisset eis, peccatum non haberent &c. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Christus quoque parum appositè opera sua toties ante illorum oculos posuisset, ut hoc medio inducti crederent, dicens apertissimè. *Si mihi non creditis, Operibus credite.* Et iterum. *Opera quæ ego facio testimonium perhibent de me.* Et rursum ciuitatibus quæ non crediderunt visis miraculis eius grauissimè exprobrat Christus. *Va tibi Chorozais*  
 Ioan. 8. *va tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone facta essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere penitentiam egissent.* Sed perspicuum est tam Christi prædicationem quàm eius miracula medium externum fuisse plane sufficiens, ut ad fidem Iudæi inducerentur, illos verò tam ad miracula Moyse tempore, quàm ad miracula Christi pertinaciter restitisse, iuxta illud S. Stephani illis veraciter obiectum. *Vos semper Spiritui sancto restitistis; sicut patres vestri ita & vos.* Sicuti ergo veteres illi Iudæi visis illis miraculis non crediderunt quidem, credere tamen potuerunt & debuerunt (vnde aliàs de eodem populo dicitur, quòd viso illo maximo miraculo de submerso Pharaone cum toto exercitu suo, *Crediderunt Domino & Moysi seruo eius:*) sic ad Ecclesiæ vocem & testimonium credere homines possunt & debent; non quia vel miracula & prædicatio Christi, vel Ecclesiæ vox, prædicatio, iudicium, testimonium, absque interna spiritus gratia hominum animis fidem ingenerare possint, sed quia per huiusmodi externa media & cum illis Deus internè cooperatur. Idcirco enim fiunt miracula ut homines credant. Idcirco Ecclesia docet & testificatur omnem veritatem, ut per eam homines credant. Non est ipsa Ecclesia lux, sed ut testimonium perhibeat de lumine, missa  
 in mun-

in mundum est, ut omnes credant per illam.

Quod ad testimonium de D. Petro attinet, illud <sup>Petro cui</sup> vnum exemplum est fidei infusæ sine voce Ecclesiæ <sup>fides im-</sup> sicuti olim annotauimus loco supra citato. <sup>mediate</sup> Sed <sup>à Deo im-</sup> quid? An quia singulariter Petro futuro totius Ec- <sup>fusa est.</sup> clesiæ post Christum fundamento immediatè fides de filio Dei incarnato reuelata erat (quia & hoc ad fundamèti rationè pertinebat, ut illi quidem totū Ecclesiæ ædificium inniteretur, ipsum autè à nulla parte ædificij penderet) similiter vis ut sola fides infusa omnibus credituris à solo Deo immediatè reueletur? Aut sicut Ecclesiæ testimonium hoc exemplo remouere vis, ita & Christi quoque testimonium & prædicationem remouebis? Hunc enim fidei articulum Christus ipse necdum apertè reuelauerat, sed solus Deus pater cum Petro mortalium primo reuelauit. Quemadmodum ergo non obstante hoc singulari priuilegio B. Petro concesso, ut fidei nostræ fundamentum à solo interno Dei Spiritu acciperet, Christi tamen prædicatio & testimonium tam ab illo quàm ab alijs omnibus, tam in illo eodem quàm in cæteris fidei articulis totaque doctrina audienda erat, & sic audienda ut ei credere necesse fuerit; eodem planè modo, hoc non obstante Petri priuilegio, nos Ecclesiæ prædicationem & testimonium audire debemus; & ita audire, ut per verbum Apostolorum credamus in Christum, per <sup>Ioan. 17.</sup> verbum Ecclesiæ credamus quæcunque sunt credenda.

Rursum sicut Deus aperuit cor Lydiæ ut intenderet ijs quæ dicebantur à Paulo (quod tertio loco protulisti) <sup>Act. 17.</sup> sic Deus aperit corda auditorum ut intédant verbo & prædicationi, iudicioque ac testimonio Ecclesiæ; idque efficaciter facit nisi à parte ipsorum, impedimentum Dei Spiritus inueniat. Quod ex

Paulo etiam proferens, *Nemo potest dicere Dominum Ie-*  
*sum nisi per spiritum sanctum*, verissimum est: Nec mi-  
 nus etiam verum est Corinthios illos ad quos hæc  
 Paulus scripsit, per Pauli quoque prædicationem  
 dixisse Dominum Iesum & in illum credidisse.  
 Ait enim illis. *Per Euangelium ego vos genui*. Vna cau-  
 sa non excludit aliam, sed maximo Dei beneficio  
 ad salutem nostram vtraque conspirat, mutuam-  
 que operam præbet. Postremò verissimum est,  
 quòd fides numeretur inter *κατασκευαστα* Spiritus san-  
 cti (de eo quis vnquam dubitauit?) sed & illud  
 quoque verum est quod idem Paulus docuit. *Fides*  
*ex auditu*: *Auditus autem per verbum Christi*: vtiq; præ-  
 dicatum. Præmiserat enim. *Quomodo enim credent ei*  
*quem non audierunt? Aut quomodo audient sine prædican-*  
*te?* Prædicatio igitur externa per Ecclesiam facta  
 (quomodo enim prædicabunt nisi mittantur?) necessaria  
 est vt homines de Deo audiant. Auditus externus  
 necessarius est vt homines intus credant. Sic fides  
 est ex auditu externo: sed nec solo (quia fides est  
 donum Dei intus docentis) nec semper & absolu-  
 tè necessario, quia per singulare priuilegium qui-  
 busdam datur fides sine externo auditu, vt Petro,  
 & Paulo, *qui non ab homine neque per hominem, sed per*  
*reuelationem Iesu Christi* accepit Euangelium. Cæte-  
 ram ordinariè & communiter, fides est ex auditu  
 Ecclesiæ prædicantis. *Placuit enim Deo per stultitiam*  
*prædicationis saluos facere credentes*. Est ergo vera fi-  
 des, fides diuinitus infusa, sed opera & ministerio  
 Ecclesiæ interueniente, ordinariè & communiter  
 infunditur. Vnde fit vt Ecclesiæ vox, iudicium, te-  
 stimonium, siue in scripturis cognoscendis & acce-  
 ptandis, siue in quocunq; alio fidei obiecto am-  
 plectendo, necessariò à nobis audienda sint, vt  
 per ea credamus. Atque hæc de hoc argumento  
 tuo,

tuo, non tam vt illud soluatur, quàm vt tam necessaria veritas magis ac magis illustretur, tuaque ignorantia magistralis, magis ac magis lectori ac tibi ipsi patefiat: vt ex hac defensione nostra vel illud saltem non vulgare bonum consequeris. *Nosce teipsum.*

---

RESPONSIO AD  
DECIMUM NONVM  
ARGUMENTVM.

CAP. XIX.

*VWhitakerus.*

**D**ECIMUM NONVM nostrum argumentum ab authoritate patrum sumitur, qui \* testantur scripturam & eius veritatem, non aliter nobis certò constare, nec alia ratione in animis nostris confirmari posse, quàm Spiritus S. testimonio.

I. Sect.

\*Mendacium;

audax, vt in seq. patebit.

*Stapletonus.*

Necessitatem testimonij interni si ex patribus probare vis, nihil agis, quia actum agis; & omniũ Catholicorum consensu rem testatissimam, atque à me studiosè confirmatam, inaniter probas. Solius huius interni testimonij sufficientiam ordinariam, cum exclusione & remotione omnis testimonij & iudicij externi, quale adfert Ecclesia, probare si potes, causam tuam pulchrè confirmabis, nostramque sententiam subuertes. Hic probationum tuarum scopus esse debet. Nunc vt ad illum rectè aut obliquè collimes, videamus.

*VWhitakerus.*

2. Sect.

Nihil ad  
rhōbum.]

Augustini locus est egregius lib. 11. confess. c. 3. Audiam & intelligam (inquit, Deum alloquens) quomodo fecisti cœlum & terram. Scripsit hoc Moyses, scripsit & abiit, transiit hinc ad te. Neque enim nunc ante me est. Nam si esset tenerem eum, & rogarem eum, & per te obsecrarem, ut mihi ista panderet, & praberem aures corporis mei sonis erumpentibus ex ore eius. At si Hebræa voce loqueretur, frustra pulsaret sensum meum; nec inde mentem meam quicquam tangeret. Si autem latine, scirem quid diceret. Sed unde scirem an verum diceret? Quod si & hoc scirem, num & ab illo scirem? Intus utique mihi, intus in domicilio cogitationis, nec Hebræa, nec Græca, nec Latina, nec barbara veritas, sine oris & lingue organo, sine strepitu syllabarum diceret, verum dicit: & ego statim confidenter illi homini tuo dicerem. Verum dicis. Cum ergo illum interrogare non possim, te quo plenius vera dixit, veritas, rogo: te Deus meus rogo, parce peccatis meis; & qui illi seruo tuo dedisti hæc dicere, da & mihi hæc intelligere. Hæc Augustinus. Quo quidem in loco publicum illud & externum Ecclesiæ iudicium quod Papistæ toties in ore habent, Augustinus non satis virium habere docet ad fidem generandam. Non enim plus tribuent, opinor, huic Ecclesiæ, quàm Moyse & prophetis. Si ergo quantumvis ipse Moyses, & ipsi etiam prophætæ iam reuiuiscerent, & ea vera esse dicerent quæ scribebant, non tamen hoc illorum nobis ad fidem sufficeret testimonium, sed internum etiam Spiritus sancti testimonium accedere oporteret, & ipsam veritatem nobis diuinitus periuaderi, certè nec Ecclesiæ testimonio credemus, nisi idem Spiritus sancti testimonium accedat.

Stapletonus.

Domine Doctor, concedimus tibi consequentiam & consequens. Sed interim pro causa tua nihil con-

hūc conclusisti. Necessitatem internæ gratiæ Dei quam nemo negat probasti. Solum Ecclesiæ testimonium absque hac interna gratia persuadere, (quod omnes Catholici fatentur, & ego studiosè probavi) cōclusisti. Sed externū quoque Ecclesiæ testimoniū nihil agere, nullū esse credendi mediū, ex Augustino non probasti. Atque ita pro causa tua aut contra sententiam nostram nihil dixisti. Videamus reliqua.

*VWhitakerus.*

Idem etiam Augustinus in lib. contra epistolam fundamenti cap. 14. ait. Vt id quod credimus 3. Sect. intelligere mereamur, oportere mentes nostras intrinsecus ab ipso Deo firmari ac illuminari. Et in lib. de vera Religione, capit. 31. hunc in modum scribit, vt modò accepimus. *A Eternam Dei legem mundis animis fas est cognoscere, iudicare fas non est.* Vbi ergo illi sunt, qui hanc sibi iudiciariam potestatem arrogant, quam in scripturas, quarum est summa authoritas exercent?

*Stapletonus.*

Quomodo Ecclesia nō ipsas scripturas iudicat, nec in illas potestatem iudiciariam exercet, sed illas quoad nos approbat, & de illis quoad nos iudicat, nullam illis authoritatem tribuens, sed nos docēs quæ sit illis authoritas tribuenda, & quomodo ac quo sensu Augustinus dixerit, *de lege Dei iudicare neminem posse*, tum aliàs in hac defensione frequenter tum ad argumentum tuum decimum septimum, satis superque explicatum est. Quos ergo tu hoc loco tam anxie quæris, exclamans, *Vbi ergo illi sunt?* &c. eos in Vtopia opinor inuenies. Ibi vide vt quæras, si quocunque modo & quouis precio inuenire desideras.

*VWhita-*

VWhitakerus.

4. Sect. Basilius in Psal. 115. de fide pulchrè vereque scribit. Πίστις ( inquit ) ἡ ὑπὲρ τὰς λογικὰς μεθόδους τὴν ψυχὴν εἰς συγκρατάσεις ἐλκουσα: πίστις' ἔχ' ἡ γεωμετρικαῖς ἀνάγκαις, ἀλλ' ἡ ταῖς τῷ πνεύματι ἐνεργείαις ἐγγινομένου. Ita non ante credimus, quàm fidem nobis Spiritus sanctus inspiravit, \* non Ecclesia.

\* Hoc Basilius non dicit.

Stapletonus.

Ecclesie  
authori-  
tas ex eo-  
dem Basili-  
ij loco.

Basilius quidem pulchrè, vt omnia scripsit: sed tu parum pulchrè & candidè eum hoc loco produxisti. Nam fidei quidem necessitatem, ex interno Dei spiritu natam (quam nemo negat) commendat: sed Ecclesie Dei vocem non esse ad credendum necessariam, quod tu eum dicere vis ( addis enim, non Ecclesia ) adeo non dicit, vt eodem prorsus in loco contra te disertè doceat. Ait enim. καὶ μηδὲς καταχλιναίξεται τὸ λόγον εἰς ἀβασανίως ἡμῶν εἰς τὴν ὑπὲρ ἃν λέγομεν συγκρατήσεις, τὴς ἀκρόντας ἐναγόντων. ἀνάγκη γὰρ ἐκάστης μαθήσεως ἀνάξεται εἶναι τὰς ἀρχὰς τοῖς μαθάνουσιν. Nolim ( inquit ) interea quisquã nostrum hunc sermonem subsannet hoc nomine, quòd auditores proliciamus, & adhortemur fidem vt accommodent & assensum citra vllam demonstrationē his quæ à nobis dicuntur; quum necesse sit cuiusque discipline principia nulla prorsus præuia demonstratione aut disquisitione tradi discipulis. Vide igitur quomodo explicat quod antea dixerat, fidem animam pronocare & inuitare ad consensionem, hoc est enim τὴν ψυχὴν εἰς συγκρατήσεις ( vitio vt opinor typographi tuus codex habet συγκρατάβασιν, quod sensu tamen non multum differt ) ἐλκουσα. Iam enim se excusat, quod ab auditoribus suis flagitet συγκρατήσεις ( eodem verbo vtens quo prius ) consensionem firmam absque vlla disputatione, verbis ipsius, tanquam Pastoris Ecclesiastici scripturam exponentis.

ponentis. Vbi quidem Spiritus sancti gratiam ab auditoribus non excludit. De ea tamen non loquitur vt tu eum loqui vis, sed hand dubiè præsupponit. Illud solū in principio explicationis illius psalmi, 115. tractans illud verbum, *Credidi propter quod locutus sum*, multis verbis agit, vt auditores Christiani philosophicas demonstrationes in rebus fidei non expectent, sed simpliciter credant diuinis scripturis & ijs quæ Ecclesiæ pastor (qualis ipsa erat) eos docet. Ita hic locus nō solum pro te nihil facit, sed & contra te facit plurimum.

*VWhitakerus.*

Huc etiam pertinet illud quod Ambrosius ait, 5. Sect. lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 6. *Noli Ariane (inquit) ex nostris (\* dictis scilicet vel scriptis, vel authoritatibus, vel vocibus) estimare diuina: sed diuina crede, vbi humana non inuenis diuina ex se probantur, ex se creduntur.*

\*Ambrosij verbis turpiter abutitur.

*Stapletonus.*

Turpiter & ignoranter D. Ambrosij verbis abuteris: quod ex præcedentibus statim apparet. Sic enim ibi scribit. *Dicit aliquis. Quomodo generatus est filius quasi sempiternus, quasi verbum, quasi splendor lucis æterna, quia simul splendor operatur vt nascitur. Apostoli istud exemplum est non meum. Noli ergo credere quod fuerit vel momentum aliquod, quo fuerit sine sapientia Deus aut sine splendore lux. Noli Ariane ex nostris estimare diuina: sed diuina crede vbi humana non inuenis. Hac ille. Manifestè docet Arianum non debere ex nostris, id est, ex rebus creatis & exemplis humanis, estimare diuina: Quia enim in humanis, splendor simul operatur vt nascitur, propterea inferre voluit Arianus, Dei filium si splendor est Patris, vt Apostolus dixit, nasci quoque debere, non æternum esse. Cui respondet*

Ambro-

Ambrosius eum *non debere ex nostris*, id est ex ijs quæ inter res creatas & humanas accidunt, *estimare diuina, sed vbi humana exempla & similes effectus in rebus creatis non inuenit, ibi credere diuina*: id est sine inquisitione simpliciter credere quod Deus reuelauit. Vides nunc quàm ignorâter doctor indocte, illud Ambrosij verbum, *ex nostris*, tu glossasti: *dictis scilicet aut scriptis aut autoritatibus & vocibus*. Magna debet esse tua inopia & miseria, qui loca à proposito tuo ita prorsus aliena in medium proferre cogis.

VWhitakerus.

G. Sect. Saluianus Episcopus in lib. 3. de prouidentia, sic scribit. *Humana omnia dicta argumentis & testibus egent; Dei autem sermo ipse sibi testis est: quia necesse est, quicquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis.*

Stapletonus.

Neque hic locus vel hilum tuam causam iuat. De *humanis* enim *dictis* agit, circa ea quæ in cõmuni vita versantur, vel naturales rerum proprietates tractant. Rerum enim naturæ argumentis, hominum res gestæ testibus comprobantur. *Dei* autem *verbum sibi testem esse* ait, quia quod *Dei* verbum esse constat, illud iam nec argumento humano probari, nec testimonio humano confirmari indiget. Quod eum dicere ratio subiuncta demonstrat: *quia (inquit) necesse est vt quicquid incorrupta veritas loquitur incorruptum sit testimonium veritatis.* Vnde & in præcedentibus dixerat, *Non est necesse vt argumentis à me probetur, quod hoc ipso quia à Deo dicitur, comprobatur.*

Ecclesia  
Scriptu-  
ram ap-  
probans  
non quã-  
tum

Ecclesia verò quum testimonium perhibet huic aut illi libro, quod sit ipsum *Dei* verbum & scriptura diuinitus inspirata, quænam quidem sit scriptura sacra, nobis demonstrat & fidem facit, sed  
huic

huic scripturæ sacrae quanta sit fides adhibenda, ipsa non docet. Dei verbo quatenus sit credendum ipsa non iudicat. Huius rei fidem ipsa scriptura sacra per se facit, Dei verbum seipsum commendat, suamque supremam auctoritatem commonstrat. Nemo hoc vel paganus ignorat, Deo loquenti esse credendum. Sed quando Deus loquatur, & quod sit Dei verbum, illud humana ratio assequi non potest: illud fidei dono comparatur: illud Ecclesiæ testimonio & iudicio sicut cætera omnia quæ creduntur, cognoscitur. Quum Moyses ad Pharaonem veri Dei ignarum diceret. *Hæc dicit Dominus: dimitte* Exod. 5.  
*populum meum &c.* respondit Pharaon; *Quis est Dominus* Ioan. 9.  
*ut audiam vocem eius, & demittam Israel? Nescio Dominum.* Christus quoque in Euangelio quum cæco restituto diceret, *Tu credis in filium Dei?* respondit ille. *Quis est Domine ut credam in eum?* Hæc enim est prima fidei quæstio, cognoscere Deum, & verbum eius. Sed Deo & verbo eius semel cognito, quin ei credendum sit, summaque auctoritas tribuenda, nemini dubium est. Quare prius illud Ecclesiæ docet omnes gentes, *predicans Euangelium omni creaturae.* Matt. 28.  
 Posterius per se patet: & ut rem per se notam Saluianus affirmat.

*VWhitakerus.*

Huc accedunt etiam ipsorum Papistarum testimonia. Principes enim Papistæ possunt in hac 7. Sect.  
 causa adduci. Gabriel biel in Sentent. lib. 3. dist. 2. dub. 3. sic habet. *Veritates Catholicae absque omni approbatione Ecclesiæ, ex natura rei sunt immutabiles, & immutabiliter veræ, & sic sunt immutabiliter Catholicae reputandæ.* At hæc Catholica veritas est, de qua querimus: est ergo immutabilis ex natura sua, & immutabiliter Catholica reputanda, idque sine Ecclesiæ approbatione.

*Stapletonus.*

Aut scholasticum hunc non intellexisti, aut ea quæ in libro nostro superius impugnaueras, non aduertisti. Nihil aliud dicit Gabriel biel quam quod nos supra diximus circa huius libri principium, Ecclesiam suo testimonio non facere, vt scriptura sit sacra ac diuina, vel vt iste loquitur, veritas Catholica seu orthodoxa; quia hoc ex seipsa & authore suo habet; & siue à nobis acceptetur siue non acceptetur, veritas erit illa prorsus quæ est & immutabiliter talis, & immutabiliter sic reputanda. Notum enim affirmare vel negare nihil ponit in re. Quare siue ab Ecclesia aliquis liber acceptetur, siue non acceptetur, id est, nullum adhuc de eo iudicium Ecclesia ferat (sicuti quum primum scripta erant Euangelia & literæ Apostolicæ, non statim ab Ecclesia fuerunt promulgata pro scripturis Canonicis, sed temporis processu illa promulgatio facta est, quum illæ interim necdum promulgatæ huiusmodi in se essent, quales postea declarabantur esse) siue publicè promulgetur siue non promulgetur, huiusmodi liber veritas est diuina & orthodoxa, & pro huiusmodi reputanda: ab eo videlicet qui de huiusmodi libro aliquod iudicium ferre vult. Qui enim secus reputaret, grauissimè erraret. Sed hæc prima reputatio (vt scholastici verbis vtamur) hoc primum iudicium per Ecclesiæ pastores factum fuit: quorum iudicium vt anteuertere periculosum ita non sequi impium est.

Rursum immutabiliter Catholicas reputandas esse omnes veritates Catholicas ait Biel, quia non possunt aliter ab Ecclesia reputari aut declarari, quam quales sunt. Hunc vero Scholasticum his verbis Ecclesiæ approbationem nullo modo excludere velle (vt tu ex eo colligis) ipsius doctrina

Quæ sacra  
Scriptura  
est immu-  
tabiliter  
talis est.

in eadem dist. manifestè ostendit nam paulò ante hæc verba à te citata Concluf. 7. hæc habet verba. *Credere Ecclesiam Sanctam Catholicam est credere eam sanctè verè & sine errore approbasse quæcunque approbavit & per consequens est credere omnia per ipsam approbata. Approbavit autem totum Canonem scripturæ.* Hæc ille. Ita authorem protulisti, qui vno verbo totam tuam causam iugulauit.

*VWhitakerus.*

Hosius in Confess. Petrocouiensi cap. 26. ait. 8. *sect.* non aliter nos credere Euangelio, nisi propter vocem Dei intus loquentis & nos docētis. Hoc semel atque iterum in eo libro affirmat, etsi postea se corrigere quodammodo & excusare conetur.

\* *Disputator famelicus.*

*Stapletonus.*

Testem ergo magis contra te protulisti, quam tibi fauētē. Si enim se postea quodammodo corripuit & excusauit, quod minus propriè & exactè dictum erat, hoc ipsum quod pro te dixisse videtur, ipsemet improbavit. Quàm es tu scriptor famelicus & importunus, qui ab ipsis authoribus retractata vel emēdata pro tua causa proferis? Dic sodes. *Æquum* ne esset contra S. Augustinū proferre quæ in suis *Retractionibus* ipsemet retractauit? Quid? An ita improbus & importunus es, vt nō patiaris viros doctos scribendo proficere, & *divergas φρονιδας σοφοτερας ειναι*? Sed totum hoc est inopiæ & miseræ tuæ argumentum, qui à bonis authoribus reiecta & quasi reiecta & abiecta putamina recolligis, vt illis tuam disputationem quoquo modo suffarcias. Sic enim in hac tua disputatione contra doctissimū Bellarminum, quæ in eius dictatis manuscriptis inuenisti, in æditione Sartoriana vel prætermissa vel correctâ (vt ipsemet agnoscis) ea tamen in campum producis vt cōtra illa disputes. Qua in re barbarum

te scriptorem & acri quadam repræhendendi impetigine laborantem demonstras.

*Whitakerus.*

9. Sect. Melchior Canus lib. 2. loc. comm. cap. 8. multis verbis istam causam disputat: vbi et si verbis à nobis dissentiat, re tamen consentit. Ait enim, sine fide infusa nihil aut necessariò credi, aut certò nobis persuaderi posse. At quæ ab Ecclesiæ iudicio nascitur fides, acquisita est, infusa verò fides à Spiritu sancto proficiscitur.

*Stapletonus.*

Hanc ignorantiam tuam magistralem, & Magistro ac professore Regio dignam in proximè precedenti argumento plenè patefecimus. Video te pro tua hebetudine & stupiditate nec Melchiorem Canum nec meas alias disputationes intellexisse. Aut si intellexisti, omnium es mortalium impudentissimus, qui doctrinam nostram de infusa fide ad credendum necessaria sententiam esse tibi consentientem, aut Ecclesiæ iudicio ac testimonio ad fidem generandam requisito, vel minimum aliquid detrahere arbitraris.

*Whitakerus.*

10. Sect. Ergo vel ipsorum Papistarum confessione scriptura nobis est ea quæ est, nimirum scriptura, propter authoritatem Dei: vtque ea quæ in scripturis accepimus, certò credamus, interno Spiritus sancti testimonio opus est.

*Stapletonus.*

Ergo sua propria confessione Whitakerus nobis ille est qui est: nimirum Whitakerus, doctor indoctus; qui eos sibi authores refutandos deligit, quorum sententiam non intelligit: & illud pro magno aduersum eos concludit, quod illorum fuit demonstrata multisque argumentis approbata

Con-

**Conclusio.** Quod iam toties in præcedentibus à me ostensum hoc iam loco repetere non est opus.

*Whitakerus.*

Canisius in Catechismo in cap. de præceptis Ecclesiæ sect. 16. ait nos *scripturæ propter testimonium diuini spiritus intus loquentis credere, adherere, ac tribuere maximam auctoritatem.* Hinc duo \* colliguntur. Primum Spiritum sanctum loqui in scriptura. Secundum, Spiritum sanctum loquentem in scriptura nobis persuadere vt scripturæ credamus, & auctoritatem maximam tribuamus.

II. Sect.

\*Duplex  
stultitia  
plane as-  
nina.

*Stapletonus.*

Ex hac tua duplici collectione, tua duplex stultitia & hebetudo prorsus asinina sese nobis prodit. Ais te ex verbis doctissimi Canisij primum colligere, *Spiritum sanctum loqui in scriptura.* Nempe quia dixerat nos *credere scripturæ propter testimonium diuini spiritus intus loquentis.* Ita tu, illud, *intus loquentis,* intelligis in scriptura loquentis: quum luce clarius sit eum intelligere de diuino spiritu intus in corde loquente, & de illa interna diuini spiritus persuasione quæ facit nos efficaciter credere. Quod te hoc loco non vidisse nec aduertisse, portenti instar est, quum & in tota hac disputatione tua diuinum spiritum intus loquentem non alio sensu ipsemet frequentissimè vrseris, & paulò superius in Argumento tuo decimo quarto acerrimè contenderis Spiritus sancti testimonium priuatū semper internum & arcanum esse, mentibus hominum insculptum, vt ex varijs scripturis ibi demonstrare conatus es. Nunc in scripturis illum spiritum ponis, & *intus loqui,* quum dicitur, quod in scripturis loquatur, dici somnias.

Secundum quod colligis, quum ab hoc tuo somnio dependeat, altius te tamen somniasse de-

monstrat. Dicis ex verbis Canisij secundò te colligere, *Spiritum sanctum loquentem in scriptura nobis persuadere ut scriptura credamus.* Huius enim tui conceptusquam quæso vel minimam significationem ex illis verbis colligere potes; nisi quod in altero illo priori tuo conceptu profus vanissimo fundatur? Dicit ille nos scripturæ credere, scripturæ adhærere, scripturæ maximam authoritatem tribuere, propter testimonium diuini spiritus intus loquentis, ut iam explicatum est: Ita nempe fit, ut vnum somnium alterum trahat, & circulos in cerebro male sano multiplicet. Sed nunquid hæc veritas (ut tua somnia missa faciamus) quod Spiritus sancti testimonium intus in cordibus loquitur, intusque persuadet, alteri veritati de externo illo Ecclesiæ testimonio aliquid derogat, quo minus in suo genere, fidem quoque scripturarum nobis Ecclesiæ testimoniū faciat? Nihil sanè minus. Vtrūq; enim optime simul consistere, pariterque ad fidem generandam cooperari, in hac defensione nostra vbertim & copiosè, ipso diuino spiritu nos iuuantem, & idoneas ex scripturis probationes suggerente, demonstrauius.

*VWhitakerus.*

Sic Stapletonus lib. 1. cap. vltimo. *Scriptura sancta* 12. Sect. *cre, inquit, non derogatur, quòd testimonium accipiat ab Ecclesia, quamuis habeat maius testimonium à spiritu Dei, quo authore scripta est.* Quod si verum sit, quare Stapletonus post tam acriter \* cõtra hoc testimonium spiritus disputauit, quod ipse maius esse testimonio Ecclesiæ ante confessus fuerat.

\* Mendacium diademate dignum.

*Stapletonus.*

Non sic vnquam Stapletonus disputauit: sed tu VWhitakere Stapletonum non intellexisti, quod in hac defensione à Stapletono plenius intelligere potuisti.

potuisti. Sed vnde obsecro factum est, vt hęc vnā sententiam à me obiter in alia disputatione probatam aduertere potueris, & longam hac de re disputationem in eodem Opere ex instituto factam aduertere nolueris? Eiusdem enim operis libro octauo, per duo integra Capita satis proluxa, disputo & demonstro, sine dono fidei infuso neminem credere posse, adeoque ex hoc solo dono absque testimonio Ecclesię fidem generari posse: tametsi vt in sequentibus ostenditur, Deo visum fuerit per externa quoque media homines ad fidem inducere, maximè testimonio, iudicio, & authoritate Ecclesię. Hanc disputationem nostram si aduertisses, me cōtrā testimonium spiritus disputasse, multo minus acriter disputasse, vt hic affirmas, mendax magister nunquam dixisses.

Cap. 2.  
& 3.

*VWhitakerus.*

Et Bellarminus ipse in dictatis manuscriptis in Thomę Secundam secundę quęst. 1. art. 1. dub. 1. docet nos credere\* non propter Ecclesiam, sed propter Dei reuelationem, & contrarias quorundam opinioniones refellit.

13. Sect.

\*Mendacium.

*Stapletonus.*

Mendaciter, & vt hæreticum doctorem decet, dictata Bellarmini manuscripta citas, quę ne veraciter quidem grauis aliquis & cordatus scriptor citaret. Authores qui grauitè & cum iudicio citantur, vt minimum excusi esse debent, & huiusmodi qui in omnium manibus versentur. Nunc verò dictata manuscripta citare dupliciter absurdum & ineptum est. Primum quia huiusmodi penes paucos habentur, atque ira cui mentiri libet, vt tibi maximè, non nisi difficillimè mendacij sui conuinci posset. Quis enim dictata scholarum & sparsas chartas facile inueniet, quę & pauci habent, & non

semper omnes eodem modo habent, sed alij aliter qui simul audierunt dictata exceperunt? Deinde quia dictata Magistrorum suis tantum discipulis tradita, nec ipse Magister tanti semper facit vt in lucem venire velit nisi saltem recognita; nec si tanti faceret, nisi à Censoribus legitimè approbata in lucem venire debent. Nunc tu expilatis alicuius Catholici scrinijs, per illa quæ exercetis in Dei seruos latrocinia, & his P. Bellarmini dictatis inuentis, ea solenniter citas & allegas: quum nec in lucem data fuerint vt allegentur, nec eorum firma aliqua fides esse possit, donec in lucem ipso conscio Authore emittantur. Barbarus scriptor es, & è mendicato victitas, qui discipulorum chartulas in grauissima hac quæstione profers.

Barbarus  
scriptor  
VWhita-  
kerus.

Nactus sum tamen Bellarmini dictata quæ citas, ab ijs qui audierunt excepta, & inuenio te turpiter & pudendè mentiri. Ais enim tu eum docere, *non propter Ecclesiam, sed propter Dei reuelationem nos credere, sed & contrarias quorundam opiniones refellere.* Atqui doctissimus Bellarminus in illis suis dictatis loco à te notato, disputans de fundamento fidei nostræ, quatuor doctorum Scholasticorum ea de re sententias proponit: quarum secunda est, *fundamentum fidei esse testimonium Ecclesiæ, ita vt fides resoluat in testimonium Ecclesiæ.* Hanc refellit eisdem fere argumentis quibus & nos eam refutauimus in Opere nostro quod nunc impugnare voluisti, lib. 8. Quartam sententiam ponit, quam & tenet ac sequitur, *fidei nostræ fundamentum esse primam veritatem, vt cur credam articulis fidei rogatus respondeam, quia prima veritas eos reuelauit.* Eandem sententiam & nos tradidimus libro citato. Sed quid? Num propterea testimonium Ecclesiæ excludit, & vt tu mentiris, *docet nos credere non propter Ecclesiam?* Nequaquam.

Cap. 21.

quam. Mox enim in explicatione suæ quartæ & veræ sententiæ, duo notat: quorum secundum est, requiri præter hoc fundamentum & principium fidei, causam proponentem & explicantem ea quæ sunt credenda. Hanc causam triplicem ponit, quarum tertia est Ecclesia: de qua in hunc modum dicit. *Tertia causa est Ecclesia que est generalis causa, quam Deus voluit esse columnam & firmamentum veritatis. 1. Tim. 3. & Spiritum S. dedit qui non permittit eum errare: &c.* Non igitur negat ut tu ais, propter Ecclesiæ testimonium nos credere, quum disertè ponit esse causam proponentem fidei, eamque certissimam & infallibilem. Quibus ita positis & explicatis, tuam nunc totius huius disputationis conclusionem audiamus.

*Whitakerus.*

Sic nostram sententiam esse non modo in se, 14. Sect.  
sed etiam ipso \*Aduersariorum iudicio veram con-  
cludimus. Arque de tertia quidem Quæstione ha- \*Conclu-  
sio men-  
dax.  
stenus.

*Stapletonus.*

Omnino tam in se tua sententia vera est, quam Authorum quos protulisti iudicio, vera esse inuenta est. Sed posterius falsum. Ergo & prius.


Si quid autem in te vel ingenij vel modestiæ fuisset, facile perspexisses, vel certe accuratius perpendisses, quæ vera esset Catholicorum de hac præfenti Quæstione mens & sententia, postquam tam apertè in eorum scriptis deprehēderas, eos Spiritus sancti testimonium & internam persuasionem à ratione credendi nullo modo excludere, sed contra disertissimè tradere ac docere: Quo animaduerso, videre & attendere debebas, quo tandem sensu & quomodo Ecclesiæ testimonium ac iudicium, ad fidem generandam præterea requiri ijdem Catholici

Authores docēt: quod si fecisses aut hāc disputationem nunquam instituisses, aut in ea multo prudentius & ad rem accommodatius disputasses. Nunc verò Catholicorū sentētia & præsertim mea (quem tibi vnum in hac vna grauissima quæstione impugnamdam delegisti) vel penitus ignorata, vel nequiter dissimulata, disputasti quidem & fumum magnum ac strepitum apud tuos concitasti, de refutato Bellarmino, de conuicto Stapletono, de Ecclesiæ autoritate dejecta, solius autem scripturæ propria atque innata luce ac maiestate omnibus ex se ipsa peruia & explorata; re autē ipsa (vt hęc nostra defensio Deo bene iuuante ad oculū patefecit) Ecclesiæ autoritas non in hoc solū obiecto principali, sed & in vniuersum mirificè roborata & ex scripturis sanctis multò dilucidius explicata est; nostri labores ab omni tua cauillatione asserti ac vindicati sunt; tu verò te ipsum, omnium qui hactenus pro causa Calvinistica scripserunt, vel Ecclesiā Catholicam hoc tempore scriptis oppugnarunt, in disputando absurdissimum, in rebus theologicis maxime ignarum, in studio & libidine mentiendi impudentissimum demonstrasti, nihil doctore theologo nihil Professore Regio dignum scripsisti. Denique quia his omnibus modis à *charitate ex corde puro*, à *conscientia bona*, à *fide non ficta* longissimè aberrasti, de numero eorum factus es de quibus Apostolus, his

2. Tim. 2. *virtutibus enumeratis, dixit. A quibus quidā aberrantes conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Atque hęc aduersus tuam tertiam Quæstionem hactenus.

*Laus Deo qui dedit velle & dedit perficere.*

F I N I S.

  
**S C R I P T V R A R V M**  
**I N D E X Q V Æ A D A V T H O -**  
**R I T A T E M E C C L E S I A S T I C A M**  
**P R O B A N D A M V E L E X P L I C A N -**  
**D A M A F F E R V N T V R .**

- G** *Enes. cap. 1.* Germinet terra herbam virentē lib. 3. c. 13. sect. 5.  
 3. Cur præcepit vobis Deus vt non comedetis ex omni ligno paradisi? lib. 1. c. 7. sect. 9.  
 18. Scio quod præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post te, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam, lib. 3. c. 8.  
*Exod. cap. 5.* Quis est Dominus, vt audiam vocem eius? Nescio Dominum, lib. 3. c. 19. sect. 6.  
 6. Nomen meum Adonai non indicavi illis. lib. 1. c. 2. sect. 5.  
 24. Crediderunt Domino & Moyse seruo eius, lib. 1. cap. 13. sect. 1, & lib. 3. c. 13. sect. 3.  
*Numer. 16.* Cur eleuamini super populum Dei? Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est: & in ipsis est Dominus, lib. 1. c. 8. sect. 2.  
 21. Peccauimus, quia locuti sumus contra Dominum & contra te, lib. 3. c. 13. sect. 3.  
*Deuteron. 29.* Deus non dedit vobis cor ad intelligendum, oculos ad videndum, aures ad audiendum vsque in hodiernum diem, lib. 3. c. 18.  
*Iudic. 13.* Erit Nazareus Deus ab infantia sua, lib. 2. c. 1. sect. 9.  
 16. Erit consecratus Deo ab utero matris suæ, Ibid.  
*1. Reg. 8.* Non te spreuerunt, sed me, lib. 1. c. 9. sect. 13.  
 Olim in Israel sic loquebatur, vnusquisq; vadens consulere Deum. Eamus ad videntem, lib. 2. cap. 1. sect. 6.  
 Hi vagi habitabant in terra antiquitus, &c. Ibid.  
*3. Reg. 3.* Hæc est mater eius, lib. 1. c. 1. sect. 2.  
 Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isar, lib. 2. c. 5. sect. 5.  
*1. Paralip. 29.* Siue in Israel. siue in cunctis regnis terrarum, lib. 2. c. 1. sect. 6.  
*2. Paralip. 20.* Reliqua gestorum Iosaphat priorum & nouissimorum scripta sunt in verbis Iehu filij Hanani &c. lib. 2. c. 1. sect. 9.  
*Psal. 95.* Nolite obdurare corda vestra &c. lib. 3. c. 18.  
 Lucerna pedibus meis verbum tuum, lib. 1. c. 9. sect. 8.  
 Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, &c. lib. 3. cap. 18.  
*Proverb. 4.* Omni custodia custodi cor tuum, Ibid.  
*Esa. 7.* Nisi credideritis, non intelligetis, lib. 1. c. 5.  
 Flos de radice eius ascendet, lib. 2. c. 1. sect. 9.  
 Posuerunt mendacium spem suam,

- suam, lib. 2. cap. 3. sect. 1. lib. 3. cap. 4. sect. 1.
59. Spiritus meus qui est in te, ve-  
 verba mea quae posui in ore tuo,  
 non recedent de ore tuo, nec de  
 ore seministui, &c. libr. 1. cap. 11.  
 sect. 5. & lib. 3. c. 14. sect. 5. & cap.  
 15. sect. 10.
62. Super muros tuos Ierusalem  
 constitui custodes, lib. 3. c. 18.  
*Ezech. 3.* Nolunt audire te,  
 quia nolunt audire me, lib. 1. c.  
 3. & lib. 2. c. 9. sect. 11.
- Ioel. 2.* Omnis qui inuocave-  
 rit nomen Domini, non confun-  
 detur, lib. 2. c. 10. sect. 5.
- Marth. 2.* Ut adimpleretur  
 quod dictum est per Prophetas: &  
 Nazareus vocabitur, lib. 2. cap. 1.  
 sect. 9.
- Ego vox clamantis in deserto,  
 3. lib. 1. c. 6.
5. Vos estis lux mundi: Nemo  
 accendit lucernam & ponit eam  
 sub modio, sed super candelabrum,  
 lib. 1. c. 9. sect. 8.
7. Attendite vobis à falsis prophe-  
 tis qui veniunt ad vos in vestimen-  
 tis ovium &c. libr. 3. c. 15. sect. 17.  
 & lib. 1. c. 5.
8. Vobis datum est nosse mysteria  
 regni coelorum, lib. 1. c. 5.
10. Quicumque non receperint vos,  
 &c. exeuntes inde excutite pul-  
 verem de pedibus vestris. Tolerabi-  
 lius erit terrae Sodomis, &c. lib.  
 1. c. 11. sect. 4. lib. 2. cap. 6. sect. 13.  
 lib. 3. c. 7. sect. 3.
- Prædicare super tecta, lib. 1. c. 6.  
 sect. 1.
- Non vos estis qui loquimini,  
 &c. lib. 1. c. 11. sect. 5.
11. Si in Tyro & Sidone factæ es-  
 sent virtutes quæ factæ sunt in  
 vobis. &c. lib. 3. c. 18.
17. Hic est filius meus. Ipsum audi-  
 te, c. 11. sect. 4.
18. Die Ecclesiae. Si Ecclesiam non  
 audierit, sit tibi sicut ethnicus &  
 publicanus, lib. 1. c. 1. sect. 5. lib. 2.  
 c. 6. sect. 3. c. 1. sect. 6.
19. Quæ Deus coniunxit, homo  
 non separet, lib. 1. capit. 3.  
 Erratis nescientes scripturas ne-  
 que virtutem Dei, lib. 2. c. 5. sect. 5.
- Euntes docere omnes gentes,  
 28. lib. 1. c. 9. sect. 9. lib. 3. c. 10. sect. 11.
- Ego vobiscum sum omnibus  
 diebus usque ad consummationem  
 seculi, lib. 2. c. 4. sect. 22.
- Mat. 6.* Non poterat ibi ullam vir-  
 tutem facere, &c. & mirabatur pro-  
 pter incredulitatem eorum, lib. 3. c. 2.
- Exprobrauit incredulitatem il-  
 16. lorum, & duritiam cordis, quia  
 ijs qui viderant eum resurrexisse à  
 mortuis non crederunt, lib. 1. c.  
 3. lib. 2. cap. 8. sect. 16. lib. 3. cap. 7.  
 sect. 3.
- Qui crediderit & baptizatus  
 fuerit, salvus erit: qui non credi-  
 derit, condemnabitur, lib. 1. c. 3. &  
 c. 9. sect. 6. & c. 11. sect. 4. lib. 2. c. 6.  
 sect. 3. lib. 3. cap. 1. sect. 6. & cap. 7.  
 sect. 3.
- Ipsi prædicaverunt, Domino co-  
 operante & sermonem confirmante  
 sequentibus signis, lib. 1. c. 3. & c.  
 11. sect. 4. lib. 3. c. 6. & c. 7. sect. 3.
- Luc. 7.* Orate Dominum mes-  
 sis, ut mittat operarios in messem  
 suam, lib. 2. c. 11. sect. 5.
- Semen est verbum Dei, lib. 2. c.  
 11. sect. 4. lib. 3. c. 4. sect. 1.
- Qui vos audit, me audit, lib. 1.  
 c. 3. & c. 9. sect. 7. & 9. & c. 11. sect.  
 4. lib. 2. c. 6. sect. 3. & c. 9. sect. 5. &  
 lib. 3. c. 7. sect. 3. & c. 13. sect. 5.
- Qui vos spernit, me spernit, lib.  
 1. c. 4. sect. 2. lib. 2. c. 9. sect. 11.
- Qui autem me spernit, spernit  
 eum qui misit me, lib. 3. c. 12. sect. 9.
- Quis putas, est fidelis dispensa-  
 12. tor & prudens, quem constituit  
 Dominus super familiam suam,  
 ut det illis in tempore tritici me-  
 suram? lib. 1. c. 5. & c. 11. sect. 5.
- Nonne cor nostrum ardens e-  
 24. rat in via, cum loqueretur nobis,  
 & aperiret nobis scripturas? lib. 3.  
 c. 4. sect. 3.
- Ioan. 1.* Ut omnes crederent  
 per illum, lib. 1. c. 6. sect. 1. & c.  
 8. sect. 6.

3. Qui accepit eius testimonium signavit quia Deus verax est, lib. 1. c. 4. sect. 2. & lib. 3. c. 10. sect. 2.
- Omnis qui natus est ex spiritu audit vocem spiritus, lib. 1. c. 5.
- Spiritus ubi vult spirat: & vocem eius audis, & nescis unde veniat, neque quo vadat, lib. 3. c. 14. sect. 5.
5. Si ego perhibeo testimonium de meipso; testimonium meum non est verum, lib. 3. c. 5. sect. 1. & c. 7. sect. 3.
- Ego non accipio testimonium ab homine, lib. 3. c. 5. sect. 1.
- Ego habeo testimonium maius Ioanne, lib. 3. c. 6.
- Scrutamini scripturas; quia vos putatis in illis vitam habere, Ibid.
- Opera quae ego facio testimonium perhibent de me, lib. 1. c. 8. sect. 6.
- Ille erat lucerna ardens, lib. 1. c. 9. sect. 8.
6. Sunt quidam in vobis, qui non credunt, lib. 1. c. 5.
- Hoc est opus Dei ut credatis in eum quem misit ille, lib. 3. c. 16. sect. 13.
7. Totum hominem sanavit in sabato, lib. 1. c. 9. sect. 6.
- Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me patris, lib. 3. c. 7. sect. 3. & c. 12. sect. 9. & c. 13. sec. 5.
8. Operibus credite, lib. 1. c. 11. f. 7.
- Qui ex Deo est verba Dei audit. Vos propterea non auditis, quia ex Deo non estis, lib. 1. c. 3. & cap. 11. sect. 4. lib. 2. c. 9. sect. 11.
- Ecce sanus factus es: noli amplius peccare, lib. 1. c. 9. sect. 6.
- Vos ex patre Diaboli estis, &c. Cum loquitur mēdaeiū ex proprijs loquitur, quia mendax est, &c. lib. 2. c. 8. sect. 17.
- Ego si testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum est verum, lib. 3. c. 7. sect. 3. & lib. 1. c. 8. sect. 6.
9. Quis est Domine, ut credam in eum? lib. 3. c. 19. sect. 6.
12. Quum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, lib. 3. c. 18.
- Et clarificavi & clarificabo, lib. 3. cap. 2.
- Maiora horum facietis, lib. 1. c. 14. 2. sect. 4.
- Multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo, lib. 1. c. 2. sect. 5.
- Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem, lib. 1. c. 7. sect. 9. & c. 8. sect. 2.
- Si non venissem, & locutus esis non fuisset; peccatum non haberent, &c. lib. 1. c. 2. sect. 4. lib. 2. c. 6. sect. 3. lib. 3. c. 2.
- Ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis de me, lib. 1. c. 3. & c. 8. sect. 6. & c. 11. sect. 5. & cap. 14. sect. 8. lib. 3. c. 5. sect. 1. & cap. 7. sect. 3. & c. 14. sect. 5.
- Si sermonem meum servauerunt, & vestrum quoque servabunt, lib. 1. c. 3. lib. 2. c. 9. sect. 17.
- Omnia quae audiui à patre meo nota feci vobis, lib. 1. c. 5. lib. 3. c. 12. sect. 14.
- Ille vos docebit omnia, & fugerit vobis omnia quaecumque dixerit vobis, lib. 2. c. 3. sect. 3.
- Manebit vobiscum in aeternum, lib. 2. c. 4. sect. 22.
- Clarificavi te super terram, lib. 3. cap. 2.
- Verba quae dedisti mihi, ego dedi eis, & ipsi acceperunt, lib. 3. c. 14. sect. 5.
- Sanctifica eos in veritate, Ibid.
- Ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis unum sint, lib. 3. c. 15. f. 10.
- Non pro eis rogo tantum, sed & pro illis qui per verbum eorum qui credituri sunt in me, lib. 1. c. 3. lib. 3. c. 14. sect. 5. c. 15. sect. 10.
- Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego eos misi in mundum, lib. 1. c. 3. lib. 2. c. 6. sect. 3. lib. 3. c. 7. sect. 3.
- Ego in hoc natus sum, & ad hoc in mundum veni, ut testimonium


- nitam perhiberem veritati, lib. 1. c. 7. & 13. cap. 10. sect. 9. & 15. 2. sect. 4. & c. 4. sect. 2. lib. 2. cap. 6. lib. 3. cap. 13. sect. 5.
19. Iesus Nazarenus rex Iudæorū, lib. 2. c. 1. sect. 9. Apostoli & Seniores conuenerunt Hierosolymis videre de verbo hoc, lib. 1. cap. 5. lib. 2. cap. 3. sect. 3.
21. Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus quia testimonium eius verum est, lib. 3. c. 2. Ego iudico non inquietari eos, &c. lib. 1. cap. 5.
- Actor. 1.* Eritis mihi testes in Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ, lib. 1. cap. 8. sect. 6. & c. 4. sect. 2. lib. 2. c. 6. sect. 3. lib. 3. c. 6. & c. 7. sect. 3. Visum est nobis nihil vobis vltra imponere oneris, lib. 1. cap. 8. sect. 1. lib. 2. cap. 8. sect. 18.
2. Præcepit nobis prædicare populo & testificari, & c. lib. 1. capti. 4. sect. 2. Fide purificans corda eorum, lib. 1. cap. 9. sect. 8.
- His auditis eõpuncti sunt corde, & c. lib. 1. c. 11. sect. 4. Quidam exierunt ex nobis turbantes vos, quibus non mandauimus, lib. 2. cap. 8. sect. 18.
- Hunc Iesum suscitauit Deus, cuius nos omnes testes sumus, lib. 1. c. 14. sect. 8. Paulus & Barnabas perambulabant Ecclesias docentes eos seruire præcepta Apostolorum & Seniorum. lib. 2. cap. 8. sect. 18.
3. Quem Deus suscitauit à mortuis, cuius nos testes sumus, Ibid. Iesum scio & Paulum noui. Vos autem qui estis? lib. 2. cap. 10. sect. 5.
4. Virtute magna reddebant Apostoli testimonium resurrectionis Christi Domini nostri, Ibid. Susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie scrutantes an hæc ita se haberent, lib. 3. c. 15. sect. 5.
- Cum fiducia loquebantur, & c. lib. 1. c. 6. Cuius Deus cor mouit, vt attenderet ijs quæ à Paulo dicebantur, lib. 1. cap. 3. & cap. 11. sect. 4.
5. Nos sumus testes horum verborum, & Spiritus S. quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi, Ibidem. Transiens adiua nos, lib. 1. cap. 11. sect. 4.
7. Vos Spiritui sancto semper restitistis, sicut & patres vestri, sic & vos, lib. 3. c. 2. Scio quia credis Prophetis, lib. 20. 1. cap. 13. sect. 12.
8. Quomodo possum intelligere, si aliquis non ostendat mihi? lib. 3. c. 15. sect. 6. Attēdite vobis & vniverſo gregi in quo vos posuit Spiritus Sanctus, & c. lib. 3. cap. 18. & lib. 1. cap. 3.
10. Nos testes sumus omnium quæ fecit Iesus, & c. lib. 1. c. 14. sect. 8. Ad hoc apparui tibi vt constituam te ministrum & testem eorum quæ vidisti, & c. lib. 1. cap. 4. sect. 2.
11. Quare introistis ad viros præputium habentes? lib. 1. c. 2. sect. 5. In modico suades me Christianum fieri, lib. 2. cap. 11. sect. 4.
13. Quia repulistis verbum Evangelij, & c. lib. 1. c. 2. sect. 4. Nihil extra docens, quàm ea quæ Prophetæ locuti sunt, lib. 3. cap. 15. sect. 3.
14. Non sine testimonio semetipsum Deus reliquit, lib. 3. cap. 14. sect. 5. *Rom. 1.* Deum cognouerunt, sed non sicut Deum glorificauerunt, lib. 1. cap. 14. sect. 10.
15. Visum est Spiritui Sancto & nobis, lib. 1. cap. 3. lib. 2. cap. 5. Euangelium virtus est ad salutem omni credenti, lib. cap. 3.

- Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt conspiciuntur, lib. 1. cap. 12. sect. 2.
2. Ostendunt opus legis scriptum in cordibus eorum, lib. 3. c. 8.
4. Qui Spiritum Christianum habet hic non est eius, lib. 1. c. 5.
6. Gratias ago Deo quod obedi- stis ex corde in eam formam do- ctri- næ in quâ traditi estis, lib. 1. cap. 13. sect. 12.
7. Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces, lib. 1. cap. 2. sect. 6.
10. Non omnes obediunt Euan- gelio, lib. 1. c. 2. sect. 4. lib. 3. cap. 12. sect. 11.
- Quomodo credent ei quem non audierunt, lib. 1. c. 2. sect. 4. & 8. cap. 9. sect. 7. & 9. lib. 2. c. 4. sect. 4. & cap. 6. sect. 2. & cap. 10. sect. 5. & lib. 3. c. 12. sect. 9. & 11.
- Quomodo audient sine prædi- cante? lib. 1. cap. 13. sect. 1. lib. 2. cap. 10. sect. 5.
- Quomodo prædicabunt nisi mittantur? lib. 1. cap. 2. sect. 8. & cap. 9. sect. 12.
- Fides ergo ex auditu. Auditus autem per verbum Christi, lib. 1. cap. 2. sect. 6. & cap. 3. & cap. 7. sect. 9. & cap. 9. sect. 5. & cap. 11. sect. 4. lib. 2. cap. 6. sect. 3. & cap. 10. sect. 5.
- Vbi copiosè explicatur, lib. 3. cap. 12. sect. 10.
- Domine quis credidit auditui nostro? lib. 1. cap. 6. sect. 2.
11. Omnis potestas à Deo est. Dei minister est, lib. 1. c. 7. sect. 7.
12. Habentes donationes secundū gratiam quæ data est nobis diffe- rentes, lib. 1. c. 5.
- Sapere ad sobrietatem sicut v- nicuique Deus diuisit mensuram fidei, lib. 2. c. 3. sect. 4.
15. Quæcunq; scripta sunt ad no- stram consolationem scripta sunt vt per consolationem scripturâ spem habeamus, lib. 3. c. 3. & c. 7. sect. 5.
25. Scripsi vobis fratres ex parte,
- tanquam in memoriam vos re- ducens, propter gratiam quæ data est mihi à Deo, lib. 1. c. 11. sect. 4.
- Observate eos qui dissensiones faciunt præter doctrinam quam vos didicistis, lib. 3. c. 15. sect. 17.
1. Cor. 1. Placuit Deo per stul- titiam prædicationis saluos facere credentes, lib. 1. c. 3. & c. 11. sec. 4.
- Sapiētiā loquimur inter per 2. sectos, lib. 1. c. 5. & c. 7. sect. 9. lib. 2. c. 4. sect. 4.
- Non in doctis humanæ sapien- tiæ verbis, sed in doctrina Spiritus spiritualia spiritualibus cōparan- tes, lib. 2. c. 1. sect. 5.
- Sermo meus & prædicatio mea apud vos non in persuasibilibus humanæ sapientię verbis, sed in ostēsiōne spiritus & veritatis, lib. 3. c. 4. sect. 2. & c. 7. sect. 3.
- Non potui vobis loqui quasi 3. spiritualibus, lib. 1. cap. 5.
- Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit, lib. 1. cap. 11. sect. 4.
- Neque qui plantat neque qui rigat est aliquid, lib. 1. c. 11. sect. 4. lib. 2. cap. 4. sect. 4. lib. 3. cap. 12. sect. 11.
- Dei adiutores sumus, lib. 1. cap. 11. sect. 4. lib. 3. c. 10. sect. 11.
- Vt sapiens architectus funda- mentum posui, lib. 3. c. 15. sect. 3.
- Ministri eius cui credidistis, lib. 1. c. 13. sect. 12.
- Sic nos existimet homo quasi 4. ministros Christi, lib. 2. c. 4. sec. 22.
- Per Euangelium ego vos genui, lib. 1. cap. 11. sect. 4. lib. 3. cap. 10. sect. 10. & 11.
- Etsi mille pædagogos habeatis in Christo, tamen non multos pa- tres, lib. 3. c. 12. sect. 10.
- Scripsi vobis in epistola, ne cō- miscamini fornicarijs, lib. 2. c. 2. sect. 1.
- Puto autem quod & ego Spiri- tum Dei habeam, lib. 1. cap. 5. & cap. 8. sect. 2.
- Nonne opus meum vos estis in 2. Domino? lib. 3. cap. 16. sect. 13.

10. **Vos prudentibus loquar.** Vos ipsi iudicate quod dico, lib. 1. c. 5. cap. 12. sect. 14.
12. **Non omnes Prophetæ, nō omnes Pastores, non omnes Doctores,** lib. 1. cap. 5. & cap. 8. sect. 1. lib. 2. cap. 3. sect. 4.
- Non potest oculus dicere manui, opera tua non indigeo; auriterum caput pedibus, non estis mihi necessarij, lib. 1. cap. 8. sect. 2. lib. 2. cap. 3. sect. 4.
- Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem, lib. 1. cap. 8. sect. 2.
- Diuisiones gratiarum, diuisiones ministracionum sunt, lib. 2. cap. 3. sect. 4.
- Qui operatur omnia in omnibus, lib. 3. c. 13. sect. 5.
- De Spiritualibus nolo vos ignorare fratres: & multa seq. lib. 3. cap. 14. sect. 5.
- Vos autem estis corpus Christi & membra de membro, lib. 3. c. 14. sect. 5.
14. **Diudicatur ab omnibus, conuincitur ab omnibus, &c.** lib. 3. cap. 4. sect. 5.
- An à vobis verbum Dei processit, aut ad vos solos peruenit? lib. 2. cap. 10. sect. 6.
15. **Plus omnibus laboraui.** Non ego autem, sed gratia Dei mecum, lib. 2. cap. 10. sect. 15. lib. 3. cap. 13. sect. 5. lib. 1. cap. 11. sect. 5.
- Si non est resurrectio mortuorum, iuuenimur falsi testes, lib. 1. cap. 4. sect. 2.
16. **Videte vt sine timore sit apud vos.** Opus enim Domini operatur sicut & ego. Ne quis ergo illum spernat, lib. 2. cap. 4. sect. 22. & 24. lib. 3. c. 15. sect. 10.
2. Cor. 1. Non quia dominamur fidei vestræ; sed adiutores sumus gaudij vestri. Fide enim statis, lib. 3. cap. 12. sect. 10.
3. **Epistola nostra vos estis, &c.** ministrata à nobis, &c. lib. 1. cap. 11. sect. 4.
- Habemus thesaurum hunc in vasīs fictilibus,** vt sublimitas sit virtutis Dei, non ex nobis, lib. 3. cap. 12. sect. 14.
- Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, &c. Ibidem.
- Ambulantes in astutia, adulerantes verbum Dei,** lib. 2. cap. 9. sect. 6.
- Posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo legatione fungimur, lib. 2. c. 11. sect. 4. lib. 2. cap. 4. sect. 22.
- Adiuuantes exhortantur, &c.** lib. 3. c. 12. sect. 10.
- Destruentes omnem altitudinē extollentem se aduersus scientiā Dei, & omnem intellectum in captiuitatem redigentes in obsequium Christi,** lib. 2. c. 7. sect. 6.
- Timeo ne sicut serpens seduxit Euam astutia sua, sic & corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo,** lib. 1. c. 7. sect. 9.
- Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos,** lib. 2. c. 2. sect. 1.
- An experimentū queritis eius qui in me loquitur Christus? qui in vobis non infirmatur,** lib. 3. c. 7. sect. 3.
- Gal. 1.* Si quis vobis Euangelisauerit præterquam quod accepistis, &c. lib. 3. c. 7. sect. 4. & c. 15. sect. 17.
- Notum vobis facio fratres Euangelium quod Euangelisarum est à me, quia non est secundum hominem, &c.** lib. 3. c. 7. sect. 4.
- Creditum est mihi Euangelium præputij,** Ibidem.
- Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis,** lib. 3. cap. 7. sect. 4.
- Ecce ego Paulus dico vobis, &c.** Ibidem.
- Et quicumque hanc regulam sequuti fuerint, pax super illos,** lib. 2. c. 10. sect. 10.
- Ephes. 2.* Gratia saluati estis per fidem. Dei enim donum est, lib.

- est, lib. 1. cap. 2. sect. 6. lib. 3. cap. 12. sect. 11.
- Superedificati super fundamentum Apostolorum & prophetarum, &c. lib. 1. cap. 8. sect. 6. lib. 3. c. 15. sect. 3.
3. Potestis legentes intelligere prudentiam in mysterio Christi, quod alijs generationibus non est agnitum, &c. sicuti nunc reuelatum est Sanctis Apostolis eius, lib. 1. c. 2. sect. 5. lib. 3. c. 15. sect. 6.
- Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia illuminare omnes, &c. lib. 1. c. 9. sect. 8.
4. Vnus Deus, vna fides, vnum baptismum. lib. 2. c. 6. sect. 3.
- Quosdam quidem dedit Apostolos, alios autem prophetas, alios euangelistas, alios autem Pastores & doctores, &c. lib. 1. cap. 5. & cap. 8. sect. 2. cap. 9. sect. 7. & 9. & 13. lib. 3. cap. 7. sect. 3. c. 12. sect. 10. & sect. 16. copiose, c. 14. sect. 5. & 7.
- Ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, ad edificationem corporis Christi, &c. lib. 2. cap. 7. sect. 6. lib. 3. cap. 1. sect. 6.
- In astutia & nequitia ad circumventionem erroris, lib. 2. cap. 2. sect. 2.
- Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, lib. 3. c. 13. sect. 5.
- Philip. 3.* Si quid aliter sapitis Deus vobis reuelabit. Veruntamen ad quod peruenimus, vt idem sapiamus, in eadem permanemus regula, lib. 1. c. 12. sect. 3.
- Coloss. 1.* Quem annuntiamus corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni sapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum, lib. 1. cap. 9. sect. 9. lib. 2. c. 24. sect. 22. & cap. 7. sect. 6.
- In quo & laboro certando secundum operationem eius qui operatur in me in virtute, lib. 2. c. 4. sect. 24.
- Et eam quae Laodicensium est, vos legatis, lib. 2. c. 2. sect. 1.
- 1. Thessal. 1.* Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed & in virtute & in Spiritu Sancto, & in plenitudine multa, lib. 2. c. 4. sect. 12.
- Quae est nostra spes aut gaudium aut gloria gloriae? Nonne vos ante Dominum? lib. 3. c. 16. sect. 13.
- Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed vt verum erat verbum Dei, lib. 1. c. 4. sect. 2. lib. 3. c. 7. sect. 1.
- Secundum Euangelium gloriae beati Dei quod creditum est mihi, lib. 1. cap. 4. sect. 2.
- Qui haec spernit, non hominem spernit sed Deum, lib. 3. cap. 11. sect. 4. lib. 3. c. 7. sect. 2.
- Qui dedit Spiritum suum Sanctum in nobis, lib. 1. c. 5.
- Rogamus vos fratres vt noueritis eos qui laborant inter vos, & praesunt vobis, & monent vos. lib. 1. cap. 7. sect. 7.
- Spiritum nolite extinguere, lib. 3. c. 2.
- 2. Thessal. 1.* Creditum est testimonium nostrum super vos in die illo, lib. 1. c. 4. sect. 2. lib. 3. c. 7. sect. 2. & c. 13. sect. 3.
- Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, lib. 1. c. 13. sect. 12. lib. 3. c. 7. sect. 2.
- Tim. 1.* Conuersi in vaniloquiu, volentes esse legis Doctores, non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant, lib. 1. c. 14. sect. 13. lib. 2. cap. 3. sect. 4. & cap. 4. sect. 4. & c. 8. sect. 5. lib. 3. cap. 15. sect. 15. & 17.
- Quae est columna & firmamentum veritatis, lib. 1. c. 3. lib. 2. c. 3. sect. 4. lib. 3. cap. 1. sect. 6.
- Attende tibi & doctrina: iusta in illis. Haec enim faciens, & te ipsum saluum facies & eos qui te audiunt. lib. 3. cap. 13. sect. 5.
- 2. Timot. 1.* Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, lib. 3. c. 18.

- Depositorum custodi o Timothee, lib. 1. c. 3.
- In quo positus sum ego predicator, & Apostolus, & magister gentium, lib. 1. cap. 13. sect. 1.
- Noli erubescere testimonium Domini nostri, lib. 1. cap. 4. sect. 2.
2. Probati sumus a Deo, ut crederetur nobis Euangelium, lib. 1. Ibidem.
- Omnia Scriptura diuinitus inspirata, lib. 1. cap. 9. sect. 8.
- Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus qui idonei erant & alios docere, lib. 3. cap. 15. sect. 10.
- Tit. 1.* Ut sit potens ad exhortandum in doctrina sana, & ad arguendum eos qui contradicunt, lib. 1. cap. 5.
- Hebr. 1.* Olim Deus loquens in prophetis nouissime diebus istis locutus est nobis in filio, lib. 1. cap. 13. sect. 1. lib. 2. c. 10. sect. 5.
2. Quae cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab ijs qui audierant in nos confirmata est, lib. 1. cap. 3.
3. Obdurauerunt corda sua in deserto, lib. 3. cap. 18.
4. Viuis est seruo Dei & efficax, & quouis gladio ancipiti penetrabilior, pertingens, &c. lib. 3. c. 4. sect. 4.
5. Qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus, lib. 1. cap. 8. sect. 1.
13. Obedite praepositis vestris & subiaceat illis, lib. 1. cap. 7. sect. 7.
- Iac. 4.* Qui offendit in vno, factus est omnium reus, lib. 1. cap. 9. sect. 6.
- 1. Pet. 1.* Renati estis non ex semine corruptibili sed incorruptibili per verbum Dei viui & permanentis in aeternum, lib. 3. c. 4. sect. 1.
- 2. Pet. 1.* A Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, lib. 1. cap. 9. sect. 13.
- Habemus firmiter propheti- cum sermonem, cui benefacitis attendentes tanquam lucernae lucen- ti, &c. lib. 1. cap. 9. sect. 8. lib. 3. cap. 6.
- Erunt in vobis Magistri men- daces, lib. 2. cap. 1. sect. 5.
- 1. Ioan. 1.* Vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annu- ciamus vobis, lib. 1. cap. 4. sect. 2.
- Propitiatio est pro peccatis to- tius mundi, lib. 1. cap. 1. sect. 5.
- Vnctio docet vos de omnibus, lib. 1. c. 5.
- Quod audistis ab initio in vo- bis permaneat, lib. 3. c. 15. sect. 17.
- Nolite omni spiritui credere. Probate spiritus an ex Deo sint, lib. 3. cap. 14. sect. 8. lib. 1. cap. 5.
- Qui nouit Deum audit nos. Qui non nouit Deum non audit nos. In hoc cognoscimus Spiritum veritatis & Spiritum erroris, lib. 1. cap. 3. & c. 11. sect. 4. lib. 2. cap. 6. sect. 3. & cap. 9. sect. 11.
- Spiritus est qui testificatur quod Christus est veritas, lib. 1. cap. 4. sect. 2. & lib. 3. cap. 9.
- Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se, lib. 1. cap. 4. sect. 2. & lib. 3. cap. 10. sect. 2.
- Si accipimus testimonium ho- minum, testimonium Dei maius est, lib. 3. cap. 10. sect. 1. & 2.
- Qui non credit Deo, mendacem cum facit, lib. 3. cap. 12. sect. 9.
- Apocal. 2.* Mouebo candela- brum tuum de loco suo nisi poenitentiam egeris. lib. 1. cap. 9. sect. 8.
- Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus 1260. amicti saccis, lib. 1. cap. 4. sect. 2.



# MATERIARVM INDEX ALPHABETICVS.

## A.

**A** CCEPTATIO & approbatio non idē valent, lib. 3. cap. 15. sect. 15.

Apocryphorum librorum primum genus vnde à reliquis distinguitur, lib. 2. c. 3. sect. 1.

Apocryphi primum libri postea Ecclesiæ autoritate in Canonem redacti, lib. 2. c. 4. sect. 1.

Apocryphorum & approbatorum librorum duo genera, ibid. sect. 3.

Apostoli regulam fidei à Christo acceperunt, & iuxta eam dogmata definierūt, lib. 2. c. 10. sect. 10.

Apostolorum & Euangeliorum quæ scripserunt mutuum testimonium, lib. 3. c. 3.

Apostolorum prædicatio vnde facta sit efficax, lib. 3. c. 4. sect. 2.

Apostoli à nulla Ecclesia missi, Ecclesiasticæ missioni in successoribus necessariæ nihil præiudicant, lib. 3. c. 7. f. 3.

Apostoli non habuerunt auctoritatem propter doctrinam,

sed doctrina propter ipsos, ibid.

Apostoli suæ prædicationis testes erant, ibid. & libr. 1. c. 14. sect. 8.

Apostolica prædicatio huc vsq; perdurat, lib. 3. c. 15. f. 10.

Augustini sententiæ pro veterum prophetarū scriptis non Canonicis, lib. 2. c. 1. sect. 11. & c. 2. sect. 2.

Augustini sententiæ pro scripturis Canonicis ab Ecclesiæ autoritate accipiendis libr. 2. c. 4. sect. 6. 10. 11. 13. & c. 7. sect. 4. 7. 8. & c. 8. sect. 3. & 9. & c. 11. sect. 8.

Augustinus propter Ecclesiæ autoritatem, Euangelio & alijs scripturis iam Catholicus credidit, lib. 2. cap. 8. per totum.

Autoritas quæ ratione nititur non ideo imminuitur, lib. 2. c. 5. sect. 12.

Autoritas & veritas quem respectum ad inuicem habet, lib. 2. c. 8. sect. 9.

Autoritas diuina & Canonica differunt, lib. 3. c. 1. f. 2.

Authenticum quid significet, lib. 3. c. 1. sect. 2.

Authentici significatio duplex, *ibid.* *sect.* 3.

B.

**B**afilii pro Ecclesie auctoritate, *lib.* 3. *c.* 19. *f.* 4.

Blasphemia immanis ab aduersario obiecta in Apostolum cadit, *lib.* 1. *c.* 2. *sect.* 6.

Blasphemie VWhitakeri, Vide inter eius Emblemata post præfat. huius libri.

C.

**C**aluini confessio pro Ecclesie auctoritate, *lib.* 1. *c.* 11. *sect.* 2.

Calvinus VWhitakeri iudicio homo pessimus & impudens, *lib.* 2. *c.* 6. *sect.* 3.

Caluini mendacium Calvinista mendacior ueri non potest, *lib.* 3. *c.* 12. *sect.* 9.

Calvinus quomodo statum controuersie inuertit, *lib.* 1. *c.* 1. *sect.* 2.

Catholica fides quæ, *lib.* 2. *c.* 6. *sect.* 3.

Christianos nomine aliquos esse qui totam scripturam negant, *lib.* 1. *c.* 9. *sect.* 6.

Christiani veri esse possunt qui scripturas ignorant, *lib.* 1. *c.* 14. *sect.* 4.

Christus non erat Nazareus sicut Sampson, *lib.* 2. *c.* 1. *f.* 9.

Christi & Ioannis mutuum testimonium sicut scripturæ & Ecclesie, *lib.* 3. *c.* 3.

Concilia eadem veteris Testamenti libros ab hæreticis hodie reiectos approbarunt, quæ noui Testamenti libros ab eis receptos, *lib.* 2. *c.* 3. *sect.* 2. & 4.

Conciliorum omnem au-

thoritatem VWhitakeri argumentatio subuerit, *lib.* 3. *c.* 1. *sect.* 7.

Concilia & patres quomodo libros Canonicos declarant, *lib.* 3. *c.* 1. *sect.*

Controuersie religionis sunt de publica omnium fide, *lib.* 2. *c.* 6. *sect.* 3.

Creaturarum consideratio non generat fidem, *lib.* 2. *c.* 6. *sect.* 2.

Cogi ad fidem nemo potest, *lib.* 2. *c.* 6. *sect.* 3.

Credere Deum esse, & credere has esse scripturas multam diuersa, *lib.* 2. *c.* 6. *sect.* 3.

Credens Deo propter Ecclesiam à Deo missam, magis credit Deo, *lib.* 3. *c.* 12. *sect.* 9.

D.

**D**eus per Ecclesiam loquens vnum est testimonium, *lib.* 1. *c.* 10. *sect.* 8.

Deum esse fidei authorem non derogat auctoritati Ecclesie, *lib.* 1. *c.* 9. *sect.* 7.

Dei allocutio peculiaris non generat fidem Catholicam, *lib.* 1. *c.* 9. *sect.* 13. *lib.* 2. *cap.* 6. *sect.* 3. in fine.

Deo non creditur nisi per Ecclesiam, *lib.* 1. *cap.* 10. *sect.* 3. & 8.

Dei in scriptura loquentis notitia sequitur fidem non generat eam, *lib.* 1. *capit.* 13. *sect.* 13.

Deus per Ecclesie vocem proprie reuelat, *lib.* 1. *cap.* 14. *sect.* 12.

Deo credere propter Ecclesie auctoritatem quomodo verum, *lib.* 3. *c.* 12. *sect.* 9.

Deo

# I N D E X.

Deo creditur seu per se seu per alios loquenti, lib. 3. c. 12. sect. 9.

Deus per Ecclesiam loquens vnum est medium, lib. 3. c. 13. sect. 5.

Dei autoritate approbati solis scripturis non est proprium, lib. 3. c. 16. sect. 3.

Doctores non doctrinam Christus in autoritate posuit lib. 3. c. 7. sect. 3.

Dogmata fidei omnia mutuo se se consequuntur & probant, lib. 1. c. 10. sect. 8.

E.

**E**CCLESIAE nomine quid intelligatur, lib. 1. c. 1. sect. 5.

Ecclesiae nomine totam fidelium multitudinem in hac Controversia intelligi non posse, lib. 1. c. sect. 10.

Ecclesiae testimonium externum non excludit Spiritus sancti testimonium internū, lib. 1. c. 2. sect. 6. & c. 8. sect. 1.

Ecclesiae testimonium non simpliciter necessarium, lib. 1. c. 2. sect. 1.

Ecclesiae testimonium ex causis necessarium, lib. 1. c. 2. & c. 3. per totum, & lib. 3. c. 18. per totum.

Ecclesiae foris loquenti Deus intus cooperatur, lib. 1. c. 3. & c. 11. sect. 4.

Ecclesia quomodo est testis fidei, lib. 1. cap. 4. per totum, sect. 2.

Ecclesiae officium non est instar tabellionis, lib. 1. c. 4. sect. 2.

Ecclesiae autoritas haereti-

cis formidabilis, ibidem.

Ecclesiae iudicium non vulgare sed praestans & propriū est, lib. 1. c. 5.

Ecclesia non est aliqua particularis congregatio, ibid.

Ecclesiae credere in hac vita non desinimus, lib. 1. c. 5. lib. 2. capit. 4. sect. 9. & capit. 7. sect. 6.

Ecclesiae vocem cur praconi Chrysostomus comparat, lib. 1. c. 6. sect. 1.

Ecclesiae docentis autoritate amplissimā docet Chrysostomus, ibid.

Ecclesiae contemptus, religionis interitus, ibid.

Ecclesiae voce Deus non sic utitur ut voce praconis princeps, lib. 1. c. 7. sect. 7.

Ecclesia Dei ministra, nobis magistra est, lib. 1. c. 7. sect. 7. sect. 9. & c. 13. sect. 12.

Ecclesiae autoritas maxima, etsi Deus & Ecclesia non sint idem, lib. 1. c. 7. sect. 8. & c. 9. sect. 13.

Ecclesiae & scripturae discrimen quoad Deum loquentem, lib. 1. c. 7. sect. 9.

Ecclesiae voci ac iudicio simpliciter acquiescendū, lib. 1. c. 7. sect. 9. lib. 3. cap. 12. sect. 14. & c. 14. sect. 11.

Ecclesiae iudicium externū quid, lib. 1. c. 8. sect. 1. lib. 2. c. 5. sect. 7.

Ecclesiae iudicium externū nunquam caret interno, lib. 1. c. 8. sect. 1. & lib. 3. c. 9.

Ecclesia non tam sibi sapit quā nobis: & per illam sapere debemus, lib. 1. c. 8. sect. 2.

M A T E R I A R V M

Ecclesie autoritas quo-  
sentu ceteris maior est, libro  
1. capit. 8. sect. 6. lib. 2. cap. 9.  
sect. 11.

Ecclesie autoritas dubi-  
tantem Catholicum in viam  
reducit, lib. 1. c. 9. sect. 5.

Ecclesia cur semper audien-  
da, lib. 1. c. 9. sect. 9.

Ecclesiarum magistri non  
sunt considerandi vt homi-  
nes simpliciter, lib. 1. capit. 9.  
sect. 13.

Ecclesia non est summa  
veritas sed veritatis columna,  
ibidem.

Ecclesia & Deus per quam  
loquitur vnum est testimo-  
nium, lib. 1. c. 10. sect. 8. lib. 3.  
c. 13. sect. 5.

Ecclesia totius fidei magi-  
stra, lib. 1. c. 7. sect. 7. & 9. & c.  
9. sect. 13. & c. 10. sect. 8.

Ecclesie autoritas valere  
potest, vbi scriptura non ag-  
noscitur, lib. 1. c. 11. sect. 1.

Ecclesie vocem audiunt qui  
ex Deo sunt, lib. 1. c. 11. sect. 4.

Ecclesie vox cur persua-  
deat, non alia argumenta, lib.  
1. c. 11. sect. 4. in fine. lib. 2. c. 8.  
sect. 16.

Ecclesie sola vox est per qua  
Deus ordinariè operatur, lib.  
1. c. 11. sect. 5.

Ecclesie vox Dei vox est  
propter tres causas, lib. 1. cap.  
13. sect. 6.

Ecclesia non est hominum  
cætus vt homines Deo oppo-  
nuntur, Ibid. sect. 7.

Ecclesia priuatis & extra-  
ordinarijs reuelationibus nõ  
nititur, lib. 1. c. 13. sect. 9.

Propter Ecclesie authorita-  
tem, non solum per eius mi-  
nisterium credimus, lib. 1. c. 7.  
f. 9. & c. 13. sect. 12. lib. 2. c. 4.  
f. 5. & 9. lib. 3. c. 14. sect. 10.

Ecclesie credendum vt Dei  
promissa consequamur, lib. 1.  
c. 13. sect. 13.

Ecclesiam aut eius vocem  
ignorare nullus Christianus  
potest, lib. 1. c. 14. sect. 6. lib. 3.  
c. 1. sect. 6.

Ecclesie vox est medium,  
principium & causa credendi  
in suo genere, lib. 1. c. 14. f. 7.

Ecclesiam in simbolo cre-  
dere propter ipsius Ecclesie  
authoritatem non est absur-  
dum, lib. 1. c. 14. sect. 8.

Ecclesie prerogatiua sin-  
gularis, lib. 1. c. 14. sect. 11.

Ecclesie vox est organum  
per quod Deus proprie reue-  
lat. Ibid.

Ecclesie autoritas non sic  
obscura est sicut scripture, ibi.

Ecclesia non pro suo arbi-  
trio libros Canonicos taxat,  
lib. 2. c. 1. sect. 5.

Ecclesia non omnia simul  
determinat, lib. 2. c. 3. sect. 3.

Ecclesie autoritate libri  
primum Apocryphi postea in  
Canonè redacti, lib. 2. c. 4. f. 1.

Ecclesie autoritas & tra-  
ditio satis conuincit, lib. 2. c.  
4. sect. 4.

Ecclesie iudicium quale in-  
telligitur, lib. 2. c. 2. sect. 10.

Ecclesie ministri sunt or-  
gana Spiritus S. Ibid. sect. 22.

Ecclesie armis pugnare  
cupiunt hæretici, lib. 2. cap. 5.  
sect. 4.

Ecclesia-

# INDEX

Ecclesiasticae auctoritas necessitas docetur non perfectio, libro 2. capit. 8. sect. 18. Etiam ex aduersarij confessione, Ibidem, & libro 1. cap. 14. sect. 4. & libro 2. capit. 9. sect. 14.

Ecclesiæ auctoritas in repudiandis Apocryphis, lib. 2. c. 5. sect. 10.

Ecclesiæ auctoritas nõ ideo minor quia medijs vtitur, ibi. & sect. 12. & 13.

Ecclesiæ testimonium non generat scientiam, lib. 2. c. 6. sect. 2.

Ecclesiæ auctoritate hæretici commoueri non solent, ibid. sect. 3.

Ecclesiam non audit nisi qui Spiritum sanctum non habet, sect. ead. num. 2.

Ecclesiæ auctoritate homines persuadentur, sect. ead. num. 6.

Ecclesiæ testimonium nec cogit nec conuincit intellectum. Ibid. num. 7.

Ecclesiæ auctoritas argumentum plus quam populare, lib. 2. c. 7. sect. 8.

Ea commouit Augustin. Catholicum vt scripturis crederet, libro eodem. cap. 8. per totum.

Ecclesiæ dicenti, hæc est scriptura sacra, necessario credendum, ibid. sect. 3.

Ecclesiæ auctoritate infirmata, nec Euangelio credetur Ibidem.

Ecclesiæ auctoritas non deseritur, etsi aliquid ei anteponatur, ibid. sect. 9.

Ecclesiæ auctoritas vera est, etsi nec sola nec vnica, ibi. sect. 18. & c. 9. sect. 1.

Ecclesiæ auctoritas est demonstratio à posteriori, lib. 2. c. 9. sect. 11.

Ecclesiæ auctoritas maxima ex Canone Toletano confirmatur, lib. 2. c. 9. f. 14.

Ecclesiæ auctoritas exemplo Regiæ auctoritatis in ferendis legibus, ibid.

Ecclesiæ fidem esse scripturam priorem liquida probatio, lib. 2. c. 10. sect. 4.

Ecclesiæ prædicantis verbum est verbum Christi, lib. 2. cap. 10. sect. 5.

Ecclesia cur melius iudicare potest quam vulgus fideiũ, ibid. sect. 6.

Ecclesiæ auctoritas nõ ideo minor quia regulam fidei cõsultat, lib. 2. c. 10. sect. 9.

Ecclesia præsens regulam fidei ab antiqua accipit, ibid. sect. 11.

Ecclesiæ prædicationi, tamen si operi suo, Deus cooperatur, ibid. sect. 15.

Ecclesiæ auctoritas regula recipiendi libros Canonicos, lib. 2. c. 11. sect. 8.

Ecclesia facit scripturam authenticam, libro 3. cap. 1. sect. 2.

Ecclesiæ veteris ac præsentis viua vox necessaria, ibi. 3. c. 1. sect. 6.

Ecclesiæ ex scripturis probatio non est simpliciter necessaria, ibid.

Ecclesiæ & Scripturæ mutuum.

tuum testimonium Ecclesie non derogat, lib. 3. c. 3.

Ecclesia lux mundi omne lumen ( etiam scripturarum ) demonstrat, ibid.

Ecclesia non accipit suam auctoritatem à scripturis, ibidem.

Ecclesie testimonio cognoscuntur scripturæ, libr. 3. c. 5. sect. 1.

Ecclesie testimonium nobis magis necessarium quam Ioannis Christo, lib. 3. cap. 5. sect. 6.

Ecclesie iudicium cur diuinum non humanum, lib. 3. c. 10. sect. 1. & c. 16. sect. 13.

Ecclesie testimonio nihil derogat, quod testimonio hominum testimonium Dei maius est, lib. 3. c. 10. sect. 2.

Ecclesia facit vt credamus sed non sola, lib. 3. cap. 12. sect. 8. & 10.

Ecclesia docendo fidem nō dominatur fidei sed cooperatur, ibid. sect. 10.

Ecclesia facit credere, nec tamen est vltima resolutio fidei, ibid. sect. 11.

Ecclesie iudicio quo sensu acquiescendum, ibid.

Ecclesie auctoritas amplissima à B Paulo luculenter tradita, lib. 3. c. 12. sect. 16.

Ecclesie auctoritas non ideo minor, quia Dei maior est, ibid. sect. 17.

Ecclesie & Dei testimonium vnum est, tamen illa sunt duo, lib. 13. c. 13. sect. 5.

Ecclesie auctoritas exēplo scripturarum defenditur, ibi.

Ecclesie vox conditio loquentis Dei, ibid.

Ecclesie vox non est causa instrumentalis vt artis instrumenta, ibid.

Ecclesie testimoniū propriè testimonium Spiritus S. lib. 3. c. 14. sect. 16.

Ecclesie auctoritas remedium contra errores à Christo relictum, sect. 8.

Ecclesie præpositi quomodo sunt fundamenta, & quomodo fundantur, lib. 3. c. 15, sect. 13.

Ecclesie ministerium necessarius ad salutem aditus ex aduersarij confessione, lib. 3. c. 15. sect. 18.

Ecclesie vox quomodo & quo sensu scriptura prior, lib. 3. c. 16. sect. 6.

Ecclesie vox quomodo credendorum regula, & vnum ex ijs quæ creduntur, lib. 3. c. 16. sect. 8.

Ecclesia est regula, tamen non alias scripturas approbare queat, quam quæ tales sunt lib. 3. c. 16. sect. 11.

Ecclesie vox à scripturis quatenus regi debeat, ibidem sect. 12.

Ecclesie approbatio semper necessaria, lib. 3. cap. 17. sect. 4.

Ecclesia scripturam approbans, non quantum sit verbo Dei credendum, sed quod sit Dei verbum indicat, lib. 3. c. 19. sect. 4.

Externum Ecclesie iudicium quale, lib. 1. c. 8. sect. 1. lib. 2. c. 5. sect. 7.

# INDEX.

Exceptiones hæreticæ contra Ecclesiæ authoritatē, lib. 3. c. 14. sect. 11.

F.

**F**IDEM Deus cum Ecclesiæ ministerio infundit, lib. 1. c. 3. & c. 11. sect. 4.

Fidei dogmata à Deo sunt, sed ab Ecclesia docentur, lib. 1. c. 10. sect. 8.

Fidem veram nō habet qui aliquid fidei pertinaciter negat, lib. 1. c. 9. sect. 6.

Fidēs ex auditu. Explicatur copiosè, lib. 2. c. 10. sect. 4.

Fidei veritas non indiget illo testimonio quoad se, lib. 3. c. 5. sect. 2.

Fidei dogmata quatenus in dubium vocari possunt, quatenus non, lib. 2. c. 4. sect. 11.

Fides Catholica non gignitur solo Spiritus S. arcano testimonio, lib. 1. cap. 9. sect. 12. lib. 2. c. 6. sect. 3.

Fidei initium ab Ecclesiæ voce accipiendum, lib. 2. c. 8. sect. 11.

Fideles non sunt effectum fidei, sed docentis Ecclesiæ, lib. 3. c. 16. sect. 13. superædificantur super prædicat. Ecclesiæ, lib. 3. c. 15. sect. 3.

H.

**H**ÆRETICI cur quædam credunt & alia non credunt, lib. 1. c. 9. sect. 5.

Hæretica hodie impietas Christi sapientiam redarguit, lib. 1. c. 11. sect. 2. & 4. lib. 3. c. 7. sect. 3.

Hæreticis suis cuique animus Iudex est, lib. 1. c. 13. sect. 13. lib. 2. c. 3. sect. 4. & c. 4. f. 14

Hæreticorum euasio rebellibus conformis, lib. 1. c. 14. sect. 6. lib. 2. c. 5. sect. 5.

Hæretici mendaces, lib. 2. c. 1. sect. 5. & c. 8. sect. 17.

Hæretici moderni in recipiendis scripturis sibi contrarij, lib. 2. c. 3. sect. 4.

Hæretici sine authoritate Ecclesiæ nihil in fide certum habent, ibid.

Hæreticus quisque non minus sapere quam Ecclesia vult Ibidem.

Hæreticæ præsumptionis impietas, ibid.

Hæretici quum respondere equeant, rixantur, lib. 2. cap. 4. sect. 7.

Hæretici authoritate Ecclesiæ commoueri non solent, lib. 2. c. 6. sect. 3.

Hæreticorum veterum eadem exempla, ibid.

Hæretici scripturas ignorantes, solent tamen illas audire volunt, lib. 2. capit. 6. sect. 3. num. 3.

Hæreticorum hodie pertinacia, lib. 2. c. 8. q. 3. & c. 10. sect. 5. lib. 3. c. 7. f. 5.

Hæreticis credendum non est quia Ecclesia præbet, lib. 2. c. 8. sect. 3.

Hæreticæ prauitatis nulla vincula quibus vnitate seruent, lib. 1. c. 3. & lib. 2. c. 8. sect. 9.

Hæretici adulteratores verbi Dei, lib. 2. c. 9. sect. 6.

Hæretici hodie scripturas Sacras leuissimo loco habent quum contra eos faciunt, lib. 3. c. 12. sect. 17.

## M A T E R I A R V M

Hæretici ex vna veritate a-  
liam destruere pro more ha-  
bent, *ibid.*

### I.

**I**NTELLIGENTIA re-  
rum diuinarum non exclu-  
dit fidem, *lib. 1. c. 5.*

Infidelitas duplex, *lib. 1. c.  
2. sect. 4.*

Ioannis Baptistæ præco-  
nium quale, *lib. 1. c. 6. sect. 1.  
lib. 3. c. 6.*

Iudicium de doctrina fidei  
triplex, *lib. 1. c. 8. sect. 1.*

Iudicium liber non est à  
pluribus conscriptus, *lib. 2. c.  
1. sect. 9.*

Iudicare de doctrina Apo-  
stolorum quàm absurdum,  
*lib. 3. c. 7. sect. 5.*

Instrumenta sunt veri no-  
minis causæ, *lib. 3. capit. 12.  
sect. 17.*

### L.

**L**EGIS ratio authorita-  
tem Legislatoris nō im-  
minuit, *lib. 2. c. 5. sect. 13.*

Legis naturæ status sine  
Ecclesia non erat, *libro 3.  
cap. 8.*

Lex naturæ scripta in cor-  
dibus non est pars verbi Dei,  
*ibidem*

Lutherus & Calvinus  
Whitakeri iudicio homines  
pessimi & impudentes, *lib. 2.  
c. 6. sect. 3. num. 4.*

Lutheranorum hodie di-  
scordix excusari nequeunt,  
*lib. 1. c. 13. sect. 4.*

### M.

**M**OYSES legislator &  
præco, *lib. 1. c. 6. sect. 1.*

Mysteria veteris scripturæ à

quibus defendi possunt, *lib. 2.  
c. 7. sect. 8.*

Mutua testificatio Christi  
& Ioannis, Euangelistarum &  
Euangeliorum, Dei Patris &  
Christi, Apostolorum & E-  
pistolatum Apostolicarum  
Scripturæ & Ecclesiæ, *lib. 3.  
cap. 3.*

Mutux consequentiæ &  
demonstrationis exempla à  
rerum naturis petita, *ibid.*

### N.

**N**AZARÆVS vocabi-  
tut, quomodo per pro-  
phetas dictum, *lib. 2. c. 1. f. 9.*

Nazaræus Sampson de  
Christo intelligi non potest,  
*ibidem.*

### P.

**P**ASTORES à quibus  
præcognosci debeant, *lib.  
3. c. 15. sect. 17.*

Pastoris veri duo argumen-  
ta, *ibid.*

Pastores in verbo Dei quo  
sensu fundantur, *ibidem,  
sect. 19.*

Patres non suam sed maio-  
rum suorum authoritatem se-  
quuntur, *lib. 2. c. 5. sect. 7.*

Patrum consensus nō facit  
argumentum leue aut merè  
humanum, *lib. 2. c. 9. sect. 6.*

Pauli ad Laodicenses epi-  
stola in Canonem non reda-  
cta, *lib. 2. c. 2. sect. 1.* Item alia  
ad Corinthios quæ non extat,  
*ibidem.*

Pauli doctrina de Ecclesiæ  
firmamento, *lib. 3. capit. 1.  
sect. 7.*

Pauli vox Ecclesiæ vox erat  
*lib. 3. c. 7. sect. 1.*

Paulus

# I N D E X

Paulus testimonio suæ prædicationis non caruit, lib. 3. c. 7. sect. 3.

Pauli authoritas non à doctrina sed à vocatione sua, ibi. sect. 4.

Paulus suam authoritatem apud Galatas & Corinthios quàm accuratè probat, lib. 3. c. 7. sect. 4.

Petro cur fides in mediâ à Deo infusa est, libro 3. cap. 18.

Phrasis Apostolorum & stylus à sententia eorum non differt, lib. 2. c. 5. sect. 8.

Phrasis quædam scripturis propria, ibid.

Populi non est ex scriptura cognoscere Pastores, lib. 3. c. 15. sect. 17.

Prædicationis Christi & Ecclesiæ comparatio, lib. 2. c. 6. sect. 3.

Prædicatio Apostolorum ac Prophetarum non fuit eadem cum scriptura sacra, lib. 3. c. 15. sect. 4.

Priuata repudiatio apocryphorum apud alios authoritatem non habet, lib. 2. cap. 5. sect. 13.

Priuatum iudicium in causa fidei incertum & fallax est, ibidem.

Promulgare & condere leges diuersa sunt, lib. 1. cap. 17. sect. 5.

Propheticus sermo quomodo firmior, lib. 1. c. 9. sect. 8. & lib. 3. c. 6.

Prophetiæ veteres quo sensu firmiores reuelatione in monte, ibidem.

Propheticus sermo Apostolica prædicatione certior non est, ibid.

Prophetarum scripta etiam in publicum edita non omnia in Canonem redacta, lib. 2. c. 1. sect. 4.

Prophetarum vaticinia semper scribi solita, ibidem, sect. 11.

Protocanonici Apostolorum temporibus confirmati fuisse, lib. 2. c. 4. sect. 14.

Prophetarum vox erat vox Dei, lib. 1. c. 9. sect. 13.

R.

**R**EGVM libri à quo scripti sunt, lib. 2. capit. 1. seq. 6. & 8.

Regulam artifex facit & secundum eam alia facit, lib. 2. c. 1. sect. 10.

Regia fidei differt à testimonio spiritus interno, ibi. sect. 15.

Religio Christianæ veritas non probatur argumentis philippicis, lib. 2. c. 6. sect. 2.

Reuelationus priuatis Ecclesia non nititur, lib. 1. c. 13. sect. 9.

Romana Ecclesia à nullis Christianis Catholicis ignoratur, lib. 1. c. 14. sect.

Romanæ Ecclesiæ iudiciū ab Augustino satis innotuit, lib. 2. c. 4. sect. 10.

S.

**S**ALOMONIS res gestæ à prophetis scriptæ quæ notant, lib. 2. c. 1. sect. 7.

Samaritanæ exemplum quatenus conueniat voci Ecclesiæ,

# M A T E R I A R V M

Ecclesiae, lib. 2. cap. 8. sect. 16.

S. Scripturae reuerentia in se non pendet ab Ecclesiae iudicio, lib. 1. c. 1. sect. 2.

Scripturae & Ecclesiae discrimen quoad Deum loquentem, lib. 1. c. 7. sect. 9.

Scripturae notitia ex verbo per Spiritum est extraordinaria, lib. 1. c. 13. sect. 8.

Scripturae probatio per scripturam ex ipsa scriptura non nascitur, ibidem.

Scripturarum partes aliter veteres orthodoxi aliter hodie heretici negant, lib. 1. cap. 12. sect. 3.

Scripturarum libris Spiritus sanctus coniunctus non est, lib. 1. c. 11. sect. 4.

Scriptura quomodo uerbum Dei & non vox Dei immeditata, lib. 1. c. 13. sect. 1.

Scripturae lux non est maior luce aliorum fidei dogmatum, lib. 1. c. 9. sect. 1.

Scriptura non generat fidem, lib. 1. c. 13. et 13. & lib. 2. c. 4. sect. 9.

Scripturae auctoritas ex ipsis scripturis, lib. 1. c. 14. sect. 8.

Scriptura credere quomodo in synodo continetur, ibid. sect. 1.

Scriptura suam auctoritatem ab Ecclesia non habet, lib. 2. c. 1. et 1.

S. Scripturae libros Ecclesia rejicere non potest, lib. 2. c. 1. sect. 1.

Scripturas aliquas Canonicas interijisse non est probabile, ibid. sect. 8.

Scriptura non est medium

per quod Deus ordinariè docet, lib. 2. c. 4. sect. 4.

Scripturarum testimonium auget fidem non generat fidem, ibid. sect. 9.

Scripturas non soli Apostoli vel scripserunt vel diuulgarunt, ibid. sect. 21.

Scripturas consignare non magis diuini Spiritus officium, quam ala fidei dogmata tradere, ibid. sect. 22.

Scripturae phrasim quandam habent propriam, lib. 2. c. 5. sect. 8.

Scripturarum publica notitia & certitudo in controuersiam vocatur, lib. 2. cap. 6. sect. 3. num. 9.

Scripturas interpretandi media, lib. 2. c. 7. sect. 6.

Scripturam esse regulam fidei non negatur, lib. 2. c. 10. sect. 3.

Scripturarum Canon plenus Apostolorum tempore non consignatus, lib. 2. c. 11. sect. 5. lib. 3. c. 1. sect. 4.

Scripturae & Ecclesiae mutuum testimonium neutri derogat, lib. 3. c. 3.

Scriptura cur perhibet testimonium Ecclesiae, ibid.

Scripturarum tractatio non ipsa scriptura corda inflamat, lib. 3. c. 4. sect. 3.

Scripturis Ecclesiae testimonium sic auctoritatē adfert, sicut earum testimonia Ecclesiae, lib. 3. c. 5. sect. 1.

Scripturae testimoniū maius esse Ioannis testimonio Christus non docet, lib. 3. c. 6.

Scripturas scrutabantur Berthæenses

# I N D E X.

Berthæenses post fidem, non vt crederent, lib. 3. c. 7. sect. 5.

Scripturarum testimonium eodem argumento excluditur quo Ecclesiæ, lib. 3. c. 8.

Scriptura habet testimonium diuinum, sed non iudicium, lib. 3. c. 12. sect. 5.

Scriptura nō accipit vllam precariam authoritatem ab Ecclesia, lib. 3. c. 13. sect. 4.

Scripturarum exemplo Ecclesiæ authoritas defenditur, ibid. sect. 5.

Scriptura vt talis non est fundamentum ædificandi. deles, lib. 3. c. 15. sect. 6.

Scriptura est posterior approbatione Ecclesiæ quoad nos, lib. 3. c. 15. sect. 15.

Scriptura cur non omnium credendorum regula, lib. 3. c. 16. sect. 8.

Scripturis omnes subijciuntur, lib. 3. c. 17. sect. 2.

S. Scriptura quæcunque est immutabiliter talis est, lib. 3. c. 19. sect. 7.

Semen parabolæ Euangelicæ est verbum prædicatum, lib. 3. c. 4. sect. 1.

Spiritus S. testimoniū internum solum ad præsentem controuersiam non pertinet, lib. 1. c. 1. sect. 7. lib. 2. capit. 6. sect. 3.

Spiritus sancti testimoniū internum non excluditur per Ecclesiæ testimonium externum, lib. 1. c. 2. sect. 6.

Spiritus S. qui habent in regula fidei conuenire debēt, lib. 1. c. 12. sect. 3.

Spiritus sanctus per os Ec-

clesiæ docet, lib. 1. capit. 13. sect. 5.

Spiritus sanctum habere non possunt, qui aliquā scripturam Canonicam reijciunt, lib. 1. c. 12. sect. 2.

Spiritus S. arcanum testimonium non persuadet alijs, lib. 2. c. 5. sect. 3. num. 9.

Spiritus S. arcanum testimonium solum fidem Catholicam non generat, lib. 1. c. 9. sect. 13. & lib. 2. c. 6. sect. 3.

Spiritus S. non perpetuo & infallibiliter effectum credēdi producit, lib. 3. c. 2.

Spiritus S. testimonium internum vt non excludit scripturam sic nec Ecclesiæ vocem, lib. 1. c. 9.

Spiritus diuini testimoniū quæritur per Ecclesiam innotescere debet, lib. 3. c. 14. sect. 1.

Spiritus sancti testimoniū publicum scripturis ostenditur, lib. 3. c. 14. sect. 5.

Spiritus testimoniū publicum est in sa voce Ecclesiæ, ibid.

Status controuersie præsentis verus, lib. 1. cap. sect. 1. & 4.

Status controuersie ab aduersario confictus ibidem, sect. 12.

Stylus vt verborum compositionem significat, eodem sacro scriptore nō est, lib. 2. c. 5. sect. 8.

Styli dissimilitudo in uangelio & Apocalypsi loannis, ibid.

Symbolum non creditur propter solam scripturæ authoritatem.

M A T E R I A R V M

thoritatem, lib. 1. c. 14. sect. 6. iudicio quantumlibet appa-  
 Symbolum non est epito- renti ratione fundato, lib. 2. c.  
 me totius scripturæ, ibid. f. 9. 9. sect. 15.

T.

**T**ESTIFICARI plus  
 est quàm annũtiare, lib.  
 1. c. 4. sect. 2.

Testimonium legitimum  
 in humanis persuadet, lib. 2. c.  
 6. sect. 3. num. 6.

Testimonium accipere au-  
 thoritatem acquisitam notat,  
 lib. 3. c. 5. sect. 1.

Testimonium de maiori  
 perhibere potest quod minus  
 est, lib. 3. c. 6.

Tertulliani testimonia pro  
 autoritate Ecclesiæ in sacris  
 scripturis discernendis, lib. 2.  
 c. 9. sect. 6.

Toletani Concilij Caon  
 pro autoritate Ecclesiæ na-  
 xima cui aduersarius ppon-  
 det, Amen, lib. 2. c. 9. et. 14.

Traditio Ecclesiastica eadẽ  
 & sibi cõformis, lib. 2. c. 4. f. 3.

Traditionis ecclesiasticæ  
 vis & autoritas, ibid. sect. 5.

Traditioni Apostolicæ ma-  
 gis ianitendum quàm nostro

V.

**V**ERBUM Dei quomo-  
 do & quale audimus, lib.  
 1. c. 9. sect. 12.

Verbum Dei & verbum  
 Christi nõ conuertuntur, lib.  
 2. c. 10. sect. 5.

Verbum Christi ex cuius  
 auditu fides, est verbum præ-  
 dicans Ecclesiæ, ibid.

Veritas manifesta Ecclesiæ  
 autoritati quo sensu perfe-  
 re, lib. 2. c. 8. sect. 9.

Veritas & autoritas quæ  
 respectum habent ad inuicem  
 ibidem.

Veteris Testamēti libri Ca-  
 nonici ab hæreticis hodie re-  
 iecti eodem argumento reci-  
 piendi sunt, quo recipiuntur  
 noui Testamenti libri, lib. 2.  
 c. 3. sect. 4. & 5. cap. 4. sect. 9. &  
 14. & c. 9. sect. 3.

Verbum Pauli quod verbũ  
 Dei vocat, non erat scriptura,  
 lib. 3. c. 7. sect. 1.

FINIS.

E R R A T A.

**P**ag. 8. illis, lege illo. pag. 9. χαρηταχισμων, leg. χαταρτισμων.  
 pag. 10. Iohannes, lege Iannes. pag. 10. lin. 23. obtempnatur, lege non  
 obtempnatur. pag. 11. lin. 8. enim, lege non. pag. 12. lin. 2. unde, lege  
 vide. pag. 14. lin. 30. vane, lege variè. pag. 50. lin. 9. tua, lege tria. pag.  
 51. lin. 1. respicimus, lege respuimus. pag. 62. lin. penult. etiam, lege enim,  
 pag. 71. lin. 3. in margine. Colof. 1. pagin. 183. lin. antepenult. in margine,  
 pag. 92. lin. 21. Ecclesia quod, lege Ecclesia, sed quod. pag. 197.  
 Rom. in marg. Suprà cap. 9. sect. 6. pag. 200. lin. 26. ex fore ferè vulgi,  
 lin. 1. sect. pag. 260. lin. 6. excellentiorem, lege excellentiorem esse. pag.  
 275. lin. 15. à suis, lege a sinos. pag. 275. lin. 15. eos, lege et. pag. 313. lin.  
 1. lege tria. pagin. 318. lin. antepenult. minus, lege nimis. pagin. 781.  
 quam, lege unquam.

Hanc authoritatis Ecclesiasticæ defensionem,  
authore THOMA STAPLETONO Anglo, di-  
gnam iudico quæ in lucem emittatur:

*Ioannes Lensius S. Theologia  
Regius Professor.*

Et ego quoque infra scriptus eisdem libros  
qui pro Catholicæ religionis confirmatione, fide-  
libus legendi communicentur dignissimos iudico:

*Ioan. Clarius S. Theolog. Professor.*

Libros tres authoritatis Ecclesiasticæ defensio-  
nem continentis Thomæ Stapletoni Angli sedulo  
perlectos, vtiliter ad Catholicæ veritatis confirma-  
tionem, & hæreticæ vanitatis confusionem in pu-  
blicum emitti sentio:

*Jacobus de Bay S. Theolog. Regius Profess.  
Eccl. Colleg. S. I. Louanij Decan.*

Et ego infra scriptus dignissimus iudico hanc  
D. Stapletoni defensionem vt excudat, Antwerp.  
hac 2. Maij 1592.

*Michael Hetsroy eugelius  
Canonic. Antv. niens.*

*Cum priuilegio Regio ad sexennium, vtius  
patet in ipso diplomate dato Bruxellis 2. Maij  
Anno 1592. Subsig.*

VVijtfliet.